F. J.
a 24
19

L
E.2

65980/C
MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

DEMARCO, J.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30416309

T9

K. e. 9

JOSEPHI DEMARCO

Medici Melitenſis Philoſophiæ, & Univerſitatis Monſpellienſis

MEDICINÆ DOCTORIS

DE LANA

Ritè in Secunda, & Adverſa valetudine adhibenda.

OPUS, QUO

Villoſæ Veſtis nudi contactus Præſtantia, & Actio Staticæ experimentis perſpicuè, Utilitates fusè demonſtrantur, Noxæ diligenter expenduntur.

Adjecta eſt ad calcem

DISSERTATIO DE USU, ET ABUSU CHOCOLATÆ

In Re Medica, & Morali.

LONDON MEDICAL SOCIETY



MELITÆ in Palatio, & ex Typographia C. S. S. MDCCLIX.
Apud D. Nicolaum Capacium ejus Typographum. Superior. Facult.

EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRATRI
D. JOSEPHO
DE DUEÑAS
SACRI ORDINIS HIEROSOLIMYTANI BAJULIVO,
Et Commndarum de PAZOS, & de CUBILLAS
COMMENDATARIO,
Regioque Rerum Hiſpa-
nicarum in Melita
ADMINISTRO

JOSEPHUS DEMARCO
FELICITATEM.

EXCELLENTISSIME DOMINE!

Singularis amor, quò omnia litterarum ſtudia colis, totiſque viribus foves, erigit me, certamque ſpem affert, Opellam hanc, quam Tibi offerre, ac dicare audeo, humaniter a Te fore exci-

pien-

piendam, Tuoque auſpicio decorandam. Multa mihi eſſent hoc loco dicenda, ſi juxta morem, veteremque conſuetudinem, laudibus exornare vellem Antiquam, Præclaram, Eximiam Generis Tui Originem, & Nobilitatem; mitto tamen hæc; longo namque ſermonum tuorum experimento didici, quod genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra putas. Præterquam quod tale argumentum & vires ſuperat meas, & longum nimis deſideraret ſermonem, quàm qui brevi Epiſtola poſſit comprehendi. At ſilentio præterire nequeo egregias animi tui dotes, virtuteſque tuas, quibus æternum Tibi Nomen comparaſti, omniumque, qui Te noverunt, amorem devinxiſti. Profectò mira eſt acies mentis tuæ, mira Prudentia, Solertia, Sedulitas, quæque omnium caput eſt, recti conſtans ac perpetua Voluntas, mira quoque eſt Comitas & Pietas tua, mira facundia, & Fides. Nec reticere debeo præcipuos honores, quos tanta virtutum copia inſtructus, ornatus, ditatus hìc atque alibi adeptus es. In ipſo Juventutis flore a M. Magiſtro D. ANTONIO MANOEL e longinquo accerſitus es ad fiduciarium munus Segretarii Hiſpaniae, atque ab eodem Principe ad Invictiſſimum Regem Carolum pro felici ejus adventu ad utriuſque Siciliæ Regna ſui, ac totius Sacræ Militiæ Hieroſolymitanæ nomine Legatus, miſſus es. Atque tanta cum laude utrumque onus perfeciſti, ut tum a M.

Ma-

Magiſtro D. RAYMUNDO DESPUIG, *ubi primum licuit, Commenda Magiſtralis Gratiæ donatus, tum ab Optimo, Sapientiſſimoque Principe D.* EMMANUELE PINTO, *quem Deus nobis, univerſoque Ordini Hieroſolymitano ſoſpitem, atque incolumem diu ſervet, eo ipſo die quo ad tantæ dignitatis faſtigium ſuffectus eſt, denuo a Secretis Hiſpaniæ Epiſtolis electus es. Et ut amplioribus muneribus æquiſſimus hominum æſtimator virtutem tuam condecoraret, inter Sacræ Religionis Conſiliarios te adſcivit, & Oratoris Extraordinarii munere publicis negotiis apud Potentiſſimum Regem* CAROLUM *gerēdis conſtituit. In quo quidem præclaro Munere quāta cum Humanitate, ac Prudentiæ laude te geſſeris, quantumque Sapientiſſimi Regis animum conciliaveris, adeo omnibus exploratum eſt, ut id longiori oratione explicare neceſſe minimè ſit. Illud etiam ad abſolutiſſimam tui Nominis laudem accenſendum eſt, (quod non ultimum tuæ Vigilantiæ, Scientiæ, & Juſtitiæ erit argumentum) Te multis abhinc annis ſummo omnium plauſu Miniſtrum Regis Catholici gerere. Hæc ſunt, Excellentiſſime Domine, quæ rudi minerva delibare placuit, ut quicumque Opuſculum meum in manus ſument, videant quàm benè ſit mihi de Patrono conſultum. Supereſt nunc, ut hilari fronte illud excipias, Tuoque Nomini inſcriptum prodire in lucem, ne dedigneris. Profectò hinc*

ad

ad tot, tantaque beneficia, quæ in me, omnemque meam familiam incredibili humanitate contuliſti, maximus cumulus accedet.

Excellentiæ Tuæ.

Dabam Sengleæ
Nonis Januarii MDCCLIV.

Addictiſſ. & Obſequentiſſ.
Servus
Joſephus Demarco.

CENSORUM VOTA.

OPus hoc *de Lana ritè in Secunda, & Adverſa valetudine adhibenda, Auctore Joſepho Demarco Medicinæ, & Philoſophiæ Doctore*, non oſcitanter legi, nec aliquid in ipſo contra noſtram ſanctiſſimam Catholicam Fidem, bonoſque Chriſtianos mores reperi: imò obſervavi in ordine naturali aliqua ſcitu digna, nempe multa & varia medicinalia experimenta, multaque & varia naturalia phenomena, quæ bené conſiderata, & comprehenſa conducunt ad ſcientiam Philoſophiæ Corpuſcularis & Mechanicæ, quæ agitantur in Neotericis ſcholis. Quæ poſtea addit Auctor in calce libri de Cocholata, valde adjuvant, & confirmant ſanam opinionem Auctorum Probabilioriſtarum, aſſerentium: *Cocholatam Eccleſiaſticum jejunium frangere*. Cúm igitur iſta ita ſint, meo videri, hic liber imprimi poteſt, ſi videbitur Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Melivitanæ noſtræ Diœceſis Digniſſimo Epiſcopo.

E Conventu S. Mariæ Portus Salutis Ordinis Prædicatorum die 14. Septembris 1759.

Fr. Henricus Hercole Magiſter Exprovincialis Ordinis Prædicatorum, Examinator Synodalis, & Cenſor librorum.

CUm Opus hoc, quo *Villoſæ veſtis nudi contactus, præſtantia, & actio Staticæ experimentis perſpicuè utilitates fusè demonſtrantur, noxæ diligenter expenduntur*, varia eruditione ſit refertum, nihilque contineat, quod Catholicæ Fidei adverſetur, prælo mandari poteſt unà cum Diſſertatione *De uſu, & abuſu Chocolatæ in re Medica, & Morali*, ſi ita videbitur Revm̃o Dño D. Petro Franciſco Griſti Cathedralis Canonico, & Tribunalis SS. Inquiſitionis Proinquiſitori. E Collegio Soc. Jeſu die 22. Octobris 1759.

Ignatius Theuma Conſultor S. Officii, pro eodem librorum Cenſor, ac Synodalis Examinator.

CUm ex commiſſione Illuſtriſſimi Domini Vicecancellarii Fratris D. Franciſci Guedes, Aquilæ Bajulivi, attenté perlegerim Opus, cui titulus eſt: *Joſephi Demarco Medici Melitenſis Philoſophiæ, & Univerſitatis Menspellienſis Medicinæ Doctoris De Lana ritè in Secunda, & Adverſa valetudine adhibenda: necnon Diſſertationem de Cocholata, ejuſque uſu, & abuſu in re Medica, & Morali*, & nihil prorſus boni Regiminis Regulis, Statutis, ac Privilegiis Inclyti Jeroſolymitani Ordinis in eo adverſum invenerim; imò nedum varia eruditione illuſtratum, verùm etiam ſana opinione *de Cocholata in re Morali*, in adjecta Diſſertatione refertum perpenderim: dignum proinde publica luce judico, ſi prælaudato Illuſtriſſimo Domino Vicecancellario, a Sereniſſimo Principe, ac Eminentiſſimo Magno Magiſtro Fr. D. EMMANUELE PINTO ad hoc ſpecialiter deputato, ita videbitur. Dat. in Conventu S. Franciſci die 20. Novembris 1759.

Fr. Franciſcus Samut Ord. Minor. Convent. Sac. Theol. Magiſter, & pro Illm̃o Dño Vicecancell. librorum Cenſor.

Imprimatur.	Imprimatur.	Imprimatur.
Fr. D. Bart. Epiſcopus Melitenſis.	Petrus Franciſc. Griſti Proinquiſitor.	Bajul. Aquilæ Guedes Vice-Canc. & Deputat.

Imò deſpectis, laudata profuere minùs: Eſt enim auxilii bonitas ſimplicitate cenſenda, quum periculoſa ex ubertate medicina ſit. *Boerhav Oration. III. de Repurgation. Medic. &c. p. m.* 44.



PRÆFATIO.

ARripuit, tenetque hic tumor ætatem noſtram, ut juſtò majora omnia pervelimus, & decreſcentibus in dies, mundi velut ſenio corporibus, proceriores tamen animos, elatioreſque geramus. Conſidera, quibus immergitur, ſæculum omnis generis intemperantias. Nam ut aliquos exceſſus attingam, Quid ornamenta domorum? Quid Aulea textili auro illuminata? Quid Vela acu picta præ foribus? Quid Rhædæ; & Currus pœnè triumphales? Quid peregrinantis Gulæ, inque ſuccos omnes inquirentis induſtria? Quid Purpura? Quid Argentum? Quid domeſticum Servitium? Quantùm luxuria, faſtuque ſuperiorem ætatem antecellunt! Veſtium, quibus hodie amicimur, idem eſt morbus. Quæ enim morum tanta Integritas, quæ tanta Frugalitas, magnitudo Animi, quæ Veſtium mediocritas, & in ipſa mediocritate lepor, atque concinnitas in ullis fuit, ut ſit cum Majoribus noſtris comparanda? Antiquis ut pulpamentum Fames, & Cubile, ſolùm; ſic veſtis, Scyticum tegmen erat. Hodie autem in coacervatis pulvinaribus, ſupini cubantes, quidquid terra marique conquirere licet, non ut vitam ſuſtentent, ſed ut Gulam oblectent, inſumunt; qui nonniſi molliſsimo veſtiuntur lino; quos Purpura tegit; qui tenellulis Murium pellibus non contra frigus muniuntur, ſed per delicias fulciri gaudent. Hi ſunt, qui ad vulgaris panni attactum offenduntur; Sericum aliunde petunt; quorum cutis non fert niſi Mileſium aliquod vellus, aut ſiqua ſunt Mileſiis (*a*) adhuc teneriora.

(*a*) Apud Textorium Raviſium *p. m.* memorantur Inſulæ, & loca, in quibus Lana optimè inficeretur; allegatur Silli Italici, de noſtra Melita Teſtimonium, ubi Telæ Lanigeræ conficiebantur magni pretii, & inſigni colorum diverſitate variegatæ; unde Romanis certatim conquirerentur.

Atque utinam iſtis uteremur laneis Indumentis, ut hujus pigeret Serici: Certè inter primævos homines ſola extracta animalibus pellis veſtimenta dabat. (*b*) Septentrionales Populi, ſanctam in omnibus ſimplicitatem ſervantes, non alio, quàm ex Rangiferorum (*c*) pelle, veſtitu uti ſolent. Olim laneæ erant Civium Romanorum, Togatorumque veſtes. (*d*) Neque ad ullum opus, niſi lanificii obligabantur olim Romanorum uxores: (*e*) ſi ſolas Perſarum Fœminas excipias, quæ luxu perditæ, non aliud magis in contumeliam accipiunt, quàm admo-

---

(b) Ad illa verba, quæ *in Cap. III. verſ.* 21. *Geneſeos: Fecit duas tunicas pelliceas &c.* Joannes Helu: Willemen, & Joannes Nuchterlein *in Theſauro Theologico-Philologic. &c. diſſertat.* crediderunt, primorum noſtrorum parentum veſtes pelles fuiſſe Vervecinas, naturali Lana inſtructas, quæ uſui eſſe poterant, tam hyberna, quàm æſtiva tempeſtate: rigente enim bruma lanuginoſa pellium facies nudæ cuti Adæ & Hevæ obvertebatur; & ardente Syrio, eadem lanigera ſuperficies aeri exponebatur, ut hujuſmodi veſtis pelliceæ inverſione eorum corpora modò calore lanæ foverentur, modò autem pelle ſola frigidiori recrearentur. *Confer. Republiq. des lettres article* v. *Novembre* 1701. *p. m.* 547.

(c) Rangifer, Beſtia tricornis eſt, inquit Olaus Magnus *de gentibus Septentr. l. c.* XVII. in Lapponia, & Botnia, de genere Cervorum, procerior, robuſtior, atque velocior; *Rangifer* duplici ratione dicta, unà quòd in capite ferat alta cornua, veluti quercinarum arborum ramos; Alia, quòd inſtrumenta cornibus, pectorique, quibus hyemalia plauſtra trahit impoſita, *Rancha*, & *Lochia* patrio ſermone vocantur..... pellis deputatur pro tegumento hnmano, tam corporis, quàm lectorum; nervi loco lini, ad indumentorum uſum, inſtar fili ſeparati &c. Confer hac de re *Lineum* in Flora ſua Lapponica *p. m.* 158. *ſequent.*

(d) Præcipua, & propria veſtis Romanorum fuit *Toga*; ſicuti Græcorum *Pallium*. Erat autem Toga veſtis Lanea rotunda, & clauſa, ſine manicis, unicoque injectu totum hominis corpus involvebat; ita ut dextrum brachium ſupernè exereretur, ſiniſtrum imam Togæ oram ſublevaret: qua ratione efficiebatur illud, quod dicitur *Sinus*..... Togæ ſupponebatur *Tunica*, quæ etiam lanea erat, & alba, ſed toga anguſtior, & brevior, ad medium circiter crus pertingens, nec olim manicas habebat..... Soliti autem erant Romani duas plerumque tunicas (nam ſæpè pluribus utebantur) geſtare; exteriorem, quæ propriè *Tunica*; & interiorem, quæ ſi Virorum eſſet, *Subucula*, vel *Interula*; (Recentioribus nempe, nam Tertullianus primus eam vocem adhibet) ſi Mulierum, *Induſium* dicebatur, & nonniſi poſterioribus temporibus e lino fuit; atque ideo (quia ſcilicet veſtibus nonniſi laneis utentes, levi negotio ſordes contrahebant) frequentiſſimè balneis utebantnr &c. Legatur Nieuuport *Compend. Rituum &c. num.* 1. *&* 2. *p. m.* 363. 364. *ſequent.*

(e) Lanificio etiam Feminas Principes, apud Romanos, deditas fuiſſe, diſcimus

admovere lanæ manus, ut inquit Q. Curtius *de reb. geſt. Alexandri cap. x. lib. v.* Quidquod Minerva, Architecturæ, Bellorumq. Præſes, Lanificii etiam inventrix habita ſit, ut ex Virgilio habemus *lib.v. Æneid. verſu* 284. *& lib.* 8. *v.* 409. ut inde, pro inventa hujumodi Arte, lanam in filum ducendi, texendique, honores divinos (*f*) promeruerit. Simile quid Lanificium, ſola edocti naturâ imitantur Indi, qui Arborum foliis decerpendo lanuginem, ex ſylveſtri vellere veſtes texunt. *Q. Curt. epiſt. Alexandr. ad Ariſtot. p. m.* 4. In ſumma, nec ulla Romanis olim commendatior, nec honorificentior, nec uſitatior, quàm *lanea* veſtis fuit, vel quæ ex ſimplici lino bombiceque conficeretur. Demonſtrant hucuſque Romanæ Statuæ integræ ſervatæ, quám ſimplex Romanarum Matronarum veſtimentorum cultus fuerit. *Conſtantini Lettere Critiche tom. III. p. m.* 209. Aderant enim & verſicolores calancticæ, & reticula auro intexta, & ridiculæ Teniolæ in capite noſtrarum Mulierum eminentes: Neque frontes ullis corimbis flavis, fœminis redimebanrur, neque ſupercilia inania, de Pixide depromebantur ad ullarum, quàm meretricum uſum atque ornatum. *vide Petron. 6. Satyr. tom. II. p. m.* 76. 77. Hodie autem feminæ, ut fucum faciant, atque commendatiorem vultum exhibeant, curioſiùs thecæ ſuæ indulgent, & mundi muliebris elegantias aſtutiùs conſectantur. Neque feminarum ſolùm vitium eſt pretioſa veſtimenta uſurpare, & ſerica teneriora, ſpumantia, & leni obſtrentia motu induere;

ſcimus exemplo Lucretiæ, apud Livium *lib.* 1. *cap.* 47. & Ovid. *Faſt.* 1. *verſ.* 746. & Auguſti, Octavii ſcilicet, Secundi Imperatoris, qui non temerè alia, quàm domeſtica uſus eſt veſte, ab Uxore & Sorore, Neptibuſque confecta. *Svetonius in ejus Vita. N.* 73. *p. m.* 117. atque inde etiam in Æde *Sangi* lana cum colo, & fuſo *Tanaquilis* Reginæ ſervata eſt. Hinc etiam profectum arbitror, *Plin. hiſtor lib.* VII. *c.* 48. quòd olim Romæ, præter cætera, Sponſam comitarentur Ancillæ cum colo, fuſo, & ſtamine, in laboris futuri argumentum. *Conf. Nieuuport. ib. cap.* 4. *ſection.* VI. *p. m.* 386.

(f) In prima Virgilii citatione habetur *Olli ſerva datur operum haud ignara minervæ*; ideſt: *Illi* (intellige Segeſto) ſerva conceditur Artem lanam nendi, apprimè callens. Quod adtinet alterum verſum *lib:* VIII. *verſu* 409. ubi ait: *cui tolerare colo* (ſubintellige: *placet*) *vitam, tenuique minerva:* Sic alii vertunt, *vide: Opere di Virgilio &c. da Fobrini, Malateſta Edition. Venet. anno*

re; (*g*) lanea verò ut vilia ejicere. Sed & omnium ſcabies eſt, ſinuoſis ex ſericis, iiſque aureis filis contextis togis, in publicum ut prodeant. Quàm diverſos ſæculi mores inde cernes. Sericum quippe olim, non tam veſtimentum, quàm ornamentum fuit: adeout Valeriani Imperatoris tempore, ſicut *Vopiſcum* ſcribentem legimus *apud Famian. Strada proluſ. accadem.* v. *lib.* 11. *p. m.* 289. libra ſerici penderetur auri libra. *Caligula*, vitiorum omnium congeries, *aliquando in publicum proceſſit ſericatus*, inquit Svetonius 6. *de Vita &c. cap.* 4. *num.* 52. *p. m.* 229. *Ille, qui depictas, gemmataſque indutus pœnulas, manuletus, & armillatus prodire ſolitus erat. idem ibid.* Aurelianus numquam ſericam veſtem uſurpabat, nec propriæ uxori, niſi ut unico (*h*) pallio blatteo ſerico

---

anno 1683. *p. m.* 215. *tenui minerva*, ſcilicet tenui illo, quod habetur in texenda lana, lucro: quodcumque autem ſit, clariſſimè conſtat, Deam illam Minervam ex ipſo Jovis cerebro natam, *Nieuuport ibid. p. m.* 171. hoc ipsò Sapientiæ præfuiſſe, quòd artem lanam texendi, inque humanos uſus ducendi ſagaciſſimè adinvenerit.

(g) Optimè in Sericum illa verba quadrare ideo videntur, quòd corpori admotum & geſtatum, grato murmure aures percellat, faſtumque undique ſpiret: lana autem, mollem, & ut ita dicam, placidam veſtem Induentibus præbet: hinc Dii laneos pedes, vel lanatos habere dicuntur, *Manutius adagia l. c. p. m.* 608. quando tardè, & clam inopinantibus Nocentes veniunt. Poſſunt hinc in humili lana myſticè, quæ ovinus eſt habitus, inquit Divus Hieronymus *in proverb. comment. lib. III: cap.* XXXI. *p. m.* 118. *edition. Pariſ. anno* 1623. omnia pietatis, & ſimplicitatis opera, quæ Proximis impendimus, accipi.

(h) Sericum Antiqui ignorabant prorſus. Et quemadmodum conſuetudo ingerendi medicamenta Naturæ vires obvelavit, & operam Medicorum neceſſariam nobis reddidit: ſic Homo natura ſat firmo tegmine donatus eſt, adverſus aeris injurias, ad inſtar animalium; ſed indumentorum frequentiſſimus, & conſtans ubique a nativitate uſus, *inquit Baco de Verulamio Hiſtoire univerſelle lib.* III. *chapitre* I. *p. m.* 132. quod naturale erat, impoſſibile effecit. Itaque Sericum ignotum erat Veteribus operimentum corporis: adeout nonniſi Juſtiniani Imperatoris ævo *Serici* Texta, & Fabricæ in Europam inducta fuerint. Ante autem illa tempora, & quidem multò, nonnullas ſubtiliſſimas ex ſerico telas ex Perſia interdum adſportabant. Tempore Græcorum, & Romanorum longè tardior a Populis *Seris*, qui ex Chinenſi ſunt prole, *Sericum* veniebat, unde nomen mutuatum eſt. Quamvis nunnullis placuit, Europæos non ab Imperio Chinæ remotiſſimo ſuos pannos bombycinos retraxiſſe

rico uteretur, permittebat. Verùm conſecutis inde temporibus, vulgatior aliquantò *ſerici uſus*, & vilior fuit, diu tamen manſit apud Nobilitatem. Hodie Opificum vulgus ac Sellularii, ſericati, & holoſericati (*i*) translucent. Et quid non Adultus, ut verbis *Quintiliani* utar *L.* 1. *c.* 2. concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchilium poſcit.

Quemadmodum autem lanea indumenta ob ſui ſimplicitatem, & manſuetudinem, effrenatam hodierni ævi, recoctamque cultus ſuperbi luxuriem meritò arguunt, & increpant: ſic ob utilitatem, quam corporibus præſtare & in tuenda valetudine, & in amiſſa reſtituenda conſueverunt, jurè inter præſtantiſsima dietetica, & domeſtica auxilia non infimum locum tenere debent. Quod quidem ſeriò conſideranti mihi, & animo diu volventi, cupido inceſsit inquirendi quidnam ex harum veſtium geſtatione boni, malive in corporis ſanitatem redundaret. Itaque ſcrutari primùm inſtitui, quinam eam rem, conſervandæ hominum valetudini perneceſſariam, dedita operâ, copioſèque tractarint: Hinc ingentia *Mangetiana* volumina *de Scriptoribus Medicis volum.* III. in

xiſſe primùm, ſed ab Aſſiria, & omnium frequentiſſimè ab Inſula *Coo*, quæ pars erat *Cariæ* [Provinciæ Aſiæ minoris] prope Rhodum. Hinc eſt, quod veſtes illæ *Coæ* apud Romanos *Conſtantini ibid. tom.* 3. p. *m.* 209. dicerentur.

(i) Veſtes ſericæ tenuiſſimæ nudum plernmque corpus oſtendunt; unde pro ſigno impudicitiæ olim a Meretricibus uſurpabantur. Horatius enim diſtinguens Matronarum veſtes, & Meretricum, dixit lib. 1. Satyr. 11. *Matronæ præter faciem nihil cernere poſſis*: & de Meretrice: *altera nihil obſtat: cois tibi penè videre eſt, ut nudam* ..... Martialis, quàm obſcenum eſſet ſericum induere, quod *Bombycinum* vocat, ſequentibus verbis oſtendit: *Fœmineo lucet, ſic per Bombycina corpus. lib.* 11. *Epigram.* 50. Non ſic autem e lana panni contexti, qui licèt præcipui, & coloris optimi, & a *Mileto* petantur, ut olim ad nundinas *Tyri*, referente Divo Hieronymo, Damaſco deferebantur: *in Ezechiel. cap.* XXVII. verbo *Damaſcenus Negociator. ibid. tom.* IV. *p. m.* 414. nihilo tamen minus, honeſtiorem ſemper veſtitum ſuggerunt, trans quem numquàm inverecunda corporum nuditas apparet. Imò olim lana pro ſigno pudicitiæ habebatur. Cingulo laneo, *inquit idem Nieuuport ibid. de Nuptiis p. m.* 386. cingebatur, (*Sponſa*) quod Sponſus deinde in lecto nuptiali ſolvebat, idque faciebat taciturnus, & *taxim*; *Varro p.* 108. & hinc zonam ſolvere, pro *pudicitiam mulieris imminuere* dicitur; ex Ovidio *Epiſtola phil. verſ.* 119.

in folio, in manus ſumo, diligenter evolvo, neminem ex illa denſiſsima Authorum ſylva reperio, qui rectè, & de induſtria, (ſi auctorem Anglum Noſtrum excipias, qui pauca tantùm innuere videtur) & ex profeſſo, ut ajunt, hac de re Tractatum ediderit. (*k*) Cùmque vidiſſem aliquos veſtium lanearum uſus, velut ſparſas identidem lacinias, a pleriſque Scriptoribus obiter indicatos, ab aliis omnino prætermiſſos, nec inutilem Individui ſaluti, neque Lectori ingratam operam me præſtiturum exiſtimavi, ſi quæcumque diuturna obſervatione, & lectione collegeram, integro ſyntagmate in publicum emitterem. Non alia quidem impulſus ratione, quàmquod operimenti lanei uſum multis noxium, aliis autem proficuum fuiſſe animadverterim; idque veſtium genus frequentiſsimè ab nonnullis Medicis, ægrotiſve, vel promiſcuè præſcribi, vel confidentiùs indui, non ſine valetudinis detrimento invenerim. Quamobrem ex pauciſsimis meis Inventis, & attento animo omnibus perpenſis, quæ circa veſtitus laneos dici poſſunt, cumque illis, quæ Authorum lectitatione excerpſi, collatis; juſto, quantum in me fuit, ratiocinii filo adhibito, præſens Tractatulus præter ſpem emerſit, quem tibi, pie Lector, in tot, quot vides, diſtinctum capita ſiſto, non ut ingenii, quo deſtituor, admireris acumen; non ut meliora diſcere paratum invidioſiùs, arrepta velut anſâ, carpas: ſed ut improbum noſtrum laborem in hocce tentamine exantlatum, prævíſa ſuſceptæ provinciæ difficultate, & ad diſſerendum inopia, aliquando cognoſcas, utque tandem, ſi non placeant quæ hìc ſunt, tenuitati noſtræ benignè indulgeas.

(k) In laudati Viri nomine *Winrighit* Opuſculum *de Nonnaturalibus*, inſcriptum Anglicè, & a Nobis latinè redditum anno 1748. Avenioni diligenter inquiſivimus, & multis Notis (potiùs dixeris Diſſertationibus) Elenchicis illuſtravimus, quamprimùm Typis excudendis.





DE CIRCUMSPECTA
ET SALUBRI VESTITUS LANEI
Corpori appreſſi geſtatione
TRACTATUS

CAPUT I.

QUID VESTIS LANEA:
Ubi de conſuetis ex Lana *Veſtibus ediſſeritur.*

I. NE in quærendis nominis *Lanæ* originibus, operam Nos ludere, quis putet, ſeduló advertat, omnes *lanæ* ethimologias, ſi quas in Vocabulariis reperire datur, argumento noſtro plurimum eſſe inutiles. Etenim ſive per *Lanam*, villum quemvis ex Animalibus, Vegetantibuſque depromptum intelligas, ut goſſipium, delicatulamque xylii lanuginem, ut *Pappum*, quo ceterarum Plantarum ſemina coronantur; ſive ſub eodem nomine, & molliorem *Caſtorei* plumam, & teneros, eoſque plumeos Struthiocameli circulos, & Cameli villoſum tegumentum, & caprarum Aſiaticarum, Africanarumque vellera rediges: perinde erit, modó rudia illa vellera animalibus, plantiſque avulſa, imperfecta, crudaque adhuc committantur

Textorum manibus, ſemper Veſtis *Laneæ* nomen mereri, & uſum habere poſſunt.

II. Verùm, ne impoſterum eamdem *Lanæ* vocem (§ 1.) cum Lectorum faſtidio repetamus, *Lanuginem*, *Villum*, *Vellus*, *Plumeum*, omne, modò neri patiatur, in commune accipiemus. Quidquíd in contrarium moroſi nonnulli Lectores objicere poſſent, qui Grammaticum potiùs, quàm Medicum agentes, *lanam* illam tantúm admitterent, quæ ex ſolis detonſis Vervecibus uſui publico deſtinatur; hinc telas ex goſſipio contextas, pannos ex vellere animalium factos, ad lanea veſtimenta referri volumns. Ea quippe omnia in uſum cedunt hominum, iiſque ab aeris injuriis defendendis inſerviunt. Cui adde, eam eſſe operandi rationem, ut ſi goſſipium ſpectes, ſive *lanam* propriè dictam intuearis, utrumque arcendo frigori, & calefaciendo corpori cum fructu uſurpetur. Niſi quod *lanæ* veræ, multæ præviæ præparationes neceſſariæ habeantur, priuſquam in humanum veſtitum evadere poſsit; goſsipium verò ſimplicius ſit in ſuis præparationibus.

III. Nam ex detonſa Majo menſe, præcipué inter cetera lanigera Vervecum, oviumque Prole, candidorum floccorum undique cadentium, quod candidius, & in medio velleris avulſi latet, ad uſum colligìtur, [*a*] & inter primas *lanæ* dotes, quæ nenda eſt præcipuum obtinet locum. Mox rudis illa lana fuſo, vel rota peculiari torquetur; utique poſtquam pectine ferreo probè diducta, atque carminata fuerit. Porro *lana*, quà tincta, quà candida, ablui ſolet primò, mox ſuper cratem aperta undique, vegetis virgarum ictibus cædi, ſicque diſponi, ut inde ín oleo vel aqua pecti poſsit. Quin *Lanæ* quæcumque certis caſibus ſolent priùs oleo olivæ, vel alio [*b*] irrigari, quàm operi committantur. Deinde quidquid ea ratione adipoſi, oleoſique *lanæ* corpori adhęſerit, peculiari mechanica eluitur, detergitur, ut nive aliquando albidior prodeat *Lana*. [*c*] Jamveró inſtrumenta, quibus *lanæ* didu-

---

[a] *Spectacle de la Nature &c. tom.* III. *p. m.* 30. [b] *Idem ibid. tom.* VI. *p. m.* 355. [c] *Idem ibid. p. m.* 356.

diducitur ab Artificibus, multam in iſthoc Opere differentiam pariunt. Eſt quippe ubi ſolum pecten adhiberi in illo negotio ſolet; & tum longa *lanea* fila exire conſpiciuntur, *ſtaminum* futura primordia, ex quibus tenuis texturæ Panni conflantur. Eſt ubi ſerici dotes in *Laneis* operibus deſiderantur: in quo caſu tractam fuſo lanam de induſtria ita contorquent, atque condenſant, ut nulli pené pili extrorſum emineant; indeque impetentes Solis radii æqualiter reflexi, & pleniori jubare, quàm ubi fibrillarum ſcabram, piloſamque ſuperficiem offendunt, telam, vel pannum inde confectum, manibus glabrum, oculis ſplendens, ad inſtar ſerici repræſentent. Eſt demum ubi prælonga, & prima *lanæ* ſtamina expetuntur, ſed brevia, & reſidua, quæ in pectinis fundo reponebantur, uſurpantur. Quod præ primis in *carminatione velleris* cernere eſt: ſub qua tranſiens *vellus* in minimas partes frangitur, & quidquid tomentoſum eſt rareſcit, & in majorem molem exereſcit. Eo pacto tractata *lana*, atque pectita, deinde in fila ſecedens, pannos laneos infimæ notæ, craſſoſque conſtituit.

IV. Et profectò, *lanam* hamato pectine divellentium carminantiumque finis eſt, ut materiem tumentem, laxam, & formando filo parùm coacto aptam ſubminiſtrent, cujns foras educti pili, propria, vel inſita elaſticitate, a ſe invicem quoquoverſum recedere nitantur. Nam capillamenta illa, quibus ducti *fili lanei* inornata ſuperficies horret, dum per dentes pectinum in omnem ſenſum traducuntur, vix, ac ne vix quidem contorqueri, inque ſe flecti poſſunt, quin continuò ad mutuam ſui ſeparationem, & erectionem contendant. Fila ergo ex illis villis ita excultis conſtantia, & multùm crinibus horrida, atque parum torta futura ſunt; atque, quod exinde ſequitur, emergens ſubtegmen operis pannum tumentem dabit, & craſsioris conſiſtentiæ; necnon *lanea* textilia inſtar veri panni denſata, mediante illa innumerabilium pilorum, qui in ſuperficie *telæ* eriguntur aculeorum more, multitudine. Quamobrem ſi *Stamina*, & *Subtegmina* æqualis ſuperficiei fnerint, texturam levigatam, (*ſtamina* vocant hodie) ſi verò *fila* illa promiſſa, quæ *ſtamina* audiunt, & brevia, quæ *ſubtegmina* dicuntur, ex *lana* carminata breviori,

laxiori ſabricata fuerint, pannos laneos pilis hirtos ſetoſoſ-que, & infimæ notæ ſuppeditant.

V. Inde §. *Supra*. III. IV. eruitur varietas, & jucunda illa pannorum laneorum differentia, atque diverſa eorumdem nomenclatura, prout videre eſt apud eumdem laudatum Authorem [a] Nimirum ex diſsimili, & magis minuſve æquali, binæ ſpeciei filorum memoratorum *ſupra* IV. levigatione, atque copioſiori, vel parum numeroſa pilorum erectorum quantitate, diverſa panni, & texturæ *laneæ*, eaque plus minuſve dedolata, & polita facies provenit. Verùm non eſt hic finis Operis illius. Contextam ea ratione telam, in Fullonum officinam mittunt, qui non rudem, ut vides, *lanam*, ſed pannum detextum tractant, eo fine, ut in fullonica officina *Staminum* corpus proculcatum magis, receptis intra ſe *ſubtegminum* crinibus, prematur, atque cogatur; utque intra pannum ipſum fortiùs inſinuentur ſetæ, preſſæque altiùs abſcondantur, quæ primùm altera ſui parte villoſam textus, & hiſpidam faciē exhibebant. In ſumma repetitis malleorum ictibus, prominentes in Panno fibræ, quolibet inſtanti concuſsæ directionem mutant continuò, ut quæ antea a ſociis flexæ diſceſſerant, nunc elongatæ, diſtractæque accedant. Si igitur pili lanæ netæ in oppoſitas plagas contenderint, atque hi ad lævam, illi ad dextram horridi & eminentes aſpexerint; verberantium malleorum in fullonicis, jugi percuſſui ita cedunt atque auſcultant, ut ſui mutuam inſertionem, & promptiorem panni coactionem promoveant.

VI. Neminem autem futurum arbitror, qui penſitata hactenus dictorum utilitate, Me in *Lanariis* Officinis agentem, vel Fullonum artem ſcrupuloſiùs inſequentem potiùs, quàm ad Medicinæ ſpatia deflectentem coarguat, atque inertis veluti, vel inanis cujuſdam eruditionis, non tam liberé, quàm illiberaliter accuſet. Sciat enim non precarió, neque ad doctrinæ oſtentationem prædictas veritates mox recenſitas fuiſſe, utpote quibus, ut inferiùs ediſſeretur, *Cap. II*. IV. multa dilucidentur, Quæſita evolvantur, & difficilia reſerentur,

quæ

[a] *Spectacle &c. tom.* VI. *p. m.* 367. *ſequent.*

quæ circa uſum, & abuſum veſtimentorum laneorum in praxi occurrent. Præ primis autem patebit, quare adhibitis hiſce vel illis laneis veſtibus, ſupprimi modò, aliás promoveri contingat inſenſibilem tranſpirationem: item quare diverſæ fabricæ, lanei habitus alicui corporis parti ſuper inducti, quamvis ex una eademque in ſpecie *Lanâ* conflentur, diverſos effectus in corpore animali producant. Ut omittam quæ ex colorum diverſitate, quibus medicatæ lanæ plerumque imbui ſolent damna, vel emolumenta ſcaturiunt, quæ & ſcitu digna, & obſervatu digniora infra ſiſtemus, *cap.* VI. VII. quæque plurium morborum cutaneorum cauſis eruendis multum lucis allatura ſunt. Quidquid autem impræſentiarum ſit, vides ex ſuperioribus locis, quantæ molis ſit *laneam* conficere veſtem, & quàm arduum, difficileque, ex ſuccida *lana*, qualis in lanicio depræhenditur, ſplendidiorem Magnatum, vel molliorem delicatulorum quorumdam hominum habitũ contexere, qui vel ſericum æmulari, vel abſque ſanitatis detrimento nudæ carni injici poſsit. De hoc in præſenti Opere ediſſeremus veſtis genere, quo nimirũ nuda corpora immediaté, ut aiunt, conteguntur, & quæ injuſtam fortè labem patulis cutis viventis poris, ut inferiùs dicetur *cap.* VIII. communicare valet.

VII. Iſtiuſmodi verò corporis humani operimentum multiforme eſſe, conſuetudo docet. Veſtimenti enim quoddam genus appello, quod *pilei* ſpecie quidam diù vel noctù cubitum ituri ſibi induunt, quodque ex *laneo*, vel *xylino* filo contextum eſt. Illud præcipuè uſurpant, & quidem craſsiori de *lana* factum Ruſtici nonnulli Meliteniſes, atque capiti ita imponunt, ut *alis* quibuſdam *laneis* aures eorum contegat, (noſtrates *Camauro* appellant) ſimile *Pallio* propriè dicto, quo olim Romani caput adversùs frigus protegebant. Verè inſuper, nomine veſtis *laneæ* inſignienda videtur, quæ thoracem, vel abdomen cooperit, atque ex peculiari vitæ inſtituto, ut in nonnullis Religioſis, vel ad præcavendos morbos, ut in quibuſdam valetudinariis, induitur. Hinc induſia *lanea*, hinc thoraces, hinc Loricæ *laneæ* ortum habent; huc etiam ſpectant aliæ veſtes, togæ, vel Suppara, quibus diver-

ſæ

ſæ pelles animalium attexuntur; huc variorum animalium villoſum & lanuginoſum corium, ut vulpinum, caſtorinum, leporinum; huc demum plerarumque avium exoticarum delicatiſsimæ plumæ, quæ muniendis veſtibus adjici conſueverunt: atque quidem in hujuſmodi habituum genera, modò nudæ carni accumbant, præcipuus cadet ſermo. Quamvis ut nihil omittamus, in hujuſce veſtium claſſem reduci quoque poſſint Tibialia e panno, ſtamine, vel bombyce facta, quibus pedes & tibiæ cauté obvolvi ſolent. De hiſce omnibus veſtimentorum laneorum generibus pauca ſingillatim in ſubſequentibus Capitibus trademus, & dum uſum & abuſum geſtationis hujuſce enucleamus, multa phænomena, quæ ex pileis, thoracibus, tibialibuſque ex lana, vel huic affine goſsipio textis, in partem, cui admoventur, proficiſcuntnr, derivanturquc, attento animo, & in experientiam ſemper intento, pro viribus recludemus.

CAPUT II.

DE LANEIS EFFLUVIIS; EORUMQUE *EFFICACIA, VEL NOXA.*

I: PHiloſophis Experimentalibus dubium eſſe non poteſt, quin ex quacumque corporum, etiam in ſpecie duriſsimorum, ſuperficie inviſibilia quædam corpuſcula jugi continentique effluxu promanent, atque in circumfuſum undique nobis aera exonerentur. Hinc eſt, quod aer *Chaos* ſit omnium, horumque diverſi generis fragmentorum e Terraqueo globo elevatorum ingens. [*a*] Quám inde materiæ indefinita diviſibilitas! Quantùm effluviorum ſubtilitas, & multitudo humanum ſuperat captum! [*b*] Lignum igni commiſſum, projectumque fumat, lignum jam non eſt; non ſolúm enim ejuſdem maſſæ corpuſcula a ſe invicem ſeparantur, verùm etiam nectentia vincula, quibus inſtar glutinis corporum elementa illa uniebantur, actione ignis ſolvuntur. atque ſub ſpecie fumi, flammæque rapiuntur, vel cineris ſub forma manent.

---

[a] *Boerh Chem. tom.* 1. *p. m.* 229. [b] *vide*, *Maniera d'inſegnare &c. Rolin. p. m.* 135., *& Mazini*, *Mechanica Medicament. &c. diſſertat.* III. *num.* 41.

nent. Infunde aquæ fontanæ lignorum quorumdam Indicorū cortices, en tibi ſuccis inde extractis tota dives lymphæ moles, quin corticum materia reſpectu voluminis ullatenus mutetur. Efflatus ex ebulliente aqua odorifera emanans, & conclavi receptus, quàm immenſam atomorum odoratorum, intacta aquæ mole, diviſionem ſiſtit!, ut meritò dixeris, Naturam continuò admiranda uniformitate regenerari, neminemque eſſe ſanæ mentis, qui particularum actu ſeparatarum incredibilem copiam temerè negaverit, quæque numero, & tenuitate ſua (*a*) omnem Imaginationis conatum eludunt. Quid ergo dicendum eſt de *lanæ* effluviis? An contraria omni rationi lege abjicienda? Non, inquam; *lana* enim corpus eſt, & ceterorum corporum legem ſequitur, proindeque more illorum molleculas quaſdam exhalat.

II. Qua verò ratione ex ceterorum corporum mole continuò avolat particularis vapor, eadem quoque ex veſtimentis laneis jugis tranſpirat exhalatio; cum hoc diſcrimine, quòd primæ ſpeciei corpuſcula in circumambientem tantùm aerem, cauſa communi, diffundantur; Laneæ autem veſtis halitus potiori de cauſa exeuntes, intra cutis meatus inſinuentur. Quippe ut ſubterraneus quidam ignis negari non poteſt; qui ſemper agit, numquam otioſus torpet; ſic (*b*) certo caloris gradu adcumbens nobis aera imbuitur juxta diverſa tempora, locaque variante. Quem quidem ignem Elementalem, probabile ſané habetur, in vacuo, & in meatibus intra ſolidiſsimas maſſas, vacuis relictis, contentum quieſcere numquam, ſed moveri, & agere ſemper, atque imprimis id conari, Elementa ut removeat a ſe mutuò, adeoque ut ſemet expandat æquabiliùs ipſe ignis. Porró ſi ita incarceratus ignis corporum elementa ſeparat, quid aget, ubi ſuæ ſpontis factus, & in libertatem aſſertus, liquida, ſolidaque in omnem ſenſum aggreditur corpora? Hæc enim volatilia diſsipantur, & ſi ſint fixa, continuata effluviorum

(a) *Confer Leçons de Phyſique par Nollet. tom.* 1. *p. m.* 7. 14. 25. 28. (b) *Boerhav. Chem. ibid. p. m.* 256.

rum evaporatione magis figentur. [a] Intelliges inde, præcipuam ignis naturalis, & corpora ambientis actionem eſſe, ut maſſulas corpora componentes, leviores à ſe dividat, diviſaſque perpetim detrahat, & detractas quoquovorſum diſpergat; Quod ſi ignis per omnia diffuſus, majorem, vel minorem motus quantitatem in corporibus ſervat, quam proindé uberior, vel parcior deperditio ſubtiliorū partium conſequitur; quid mirum, ſi temporis lapſu, omnia pereant, atque nonnulla corpora imminuantur mole, donec celeriùs ſolitò evaneſcant? Ita ſané, Stagna paludeſque ſiccarentur penitùs, niſi imbribus continuò reſarciretur evaporatio. Sed & ſcimus illud, quod corporibus in aere calido degentibus exſiccatis ſponte perit eſſe leviſsimum, & aereum. Plantas, quæſo, inſpice, quæ æſtivo maximé tempore in aere aprico ingentem effluviorum vim in circumdantem atmonſphæram emittunt; & inde liquidò perſpicies, ſola aquæ & ſpiritus deperditione vegetabilium machinulas calore adeo deperire, ut ingenti ſub æſtu proprio ponderi ſuccumbant ad terram conflexa ſerò; manè autem adſpirante frigidiori aura, partibus continuò renovatis, de ſua matrice alacriùs invigoratæ reſurgant. Quid iſtud rerum eſt? Nonne præſente calore partium avolatio reparationem eamdem excedit; atque noctis tempore, novo accedente particularum ſupplemento, pori replentur?

III. Sed ut diximus §. II., diffuſæ corporum exhalationes, quamdiu otioſæ in aere manent, vix quidquam notabilis in ſubjecta corpora exercent: quamprimúm verò intra corporis viventis corium admittuntur, mira producunt. Certè Solis valída actio in plantas excitat atmoſphæras miræ efficaciæ per diffuſos ſpiritus:, atque ut ventorum motus in longinqua devehit; ſic aer horum effluviorum vehiculum intra corporum noſtrorum meatus eadem immittit. Nemorum denſorum opacæ umbræ, vaporibus collectis, morbos varios ſæpè, & mortem inferunt Sylvæcolis, ut in America venenatarum feraciſsima arborum, triſtibus experimentis conſtitit.[b] Hiſce

E obſer-

[a] *Boerhav. ib. p. m. num.* 195. *n.* 21. [b] *Id.. tom.* II. *chem.*

obſervatis, dicere liceat, ex veſte lanea corpori applicata peculiarem, eamque volatiliorem, aeream, elaſticamque materiem prodire, atque certa hac ſuæ indolis atmoſphæra cutem contegere eamdem lanam, quæ partes minimè ſenſibiles gerit, ſed quæ ſtupendos, & vix obſervabiles effluviorum laneorum effectus producere apta eſt. Quæ omnia ſiſto, non eo quidem animo, ac ſi aniles fabulas, otioſorum gerras, vel credulorum commenta, & mendacium figmenta perſuadere contenderem. Abſit enim. Nimis novi, quàm arduum ſit verba Lectori emunctæ naris dare. Verúm ſi per vim Analogiæ, mihi quod æquum eſt detur, continuò de ſtirpibus, ſine ulla ferè ponderis jactura, inviſibilem quemdam halitum in circumſtans aera evehi, & oſculis cutaneis bibulis reſorptum, vires ſibi proprias cùm in ſolidis, tum in fluidis animamalium partibus exerere; [*a*] Quis nobis effluvia iſthæc fugaciſsima, & volatilia de corpore *lanæ*, jugi effluxu manantia, & nobis abſque ullo fructu, noxave aliquando applicari, temerè negabit? profectò Napelli manu detenti, & calefacti læthalis commemoratur vapor. [*b*] Neque adeo fabuloſis adſcribendum ſtatim quæ de corporum quorumdam in diſtantia efficaciâ tradi ſolent in hiſtoria Plantarum, & quæ a gravioribus Authoribus prodita ſunt. [*c*] Tandem crocus regioni cordis admotus lætitiæ ſenſum, inſenſibili ſui parte, communicare fertur. [*d*] Hujuſmodi igitur ſunt illæ aſpirationes, quæ ſive a *laneis*, ſive *lineis* veſtibus, modò mundæ ſint, in corpus noſtrum derivatæ, ſpiritus exhilare ſolent. Mirum quippe eſt „ *quantùm a veſtium munditie*, verba ſunt Ramazini, [*e*] *ac puritate ſpiritus animales hilarentur*.„ Quam obſervationem, etſi prima fronte in abundantiorem effectam inde, inſenſibilem tranſpirationem detorqueas, nihilo

[a] *Boerh. ibid.* [b] *Emmanuel Konig. Regnum vegetab. &c. l. c.* [c] *Confer: Etmullerum de Menſtr. cap.* XXI. *Inſtitut. p. m.* 133. *Theſ.* XI., *& de Cura magnetica in Appendice* §. 1. *tom.* 1. *p. m.* 93. [d] *Flavius lib. cap.* [e] *de Morbis Artificum l. c.* XV.

hilo tamen ſeciùs, re introſpecta, in veſtium quarumcumque nitore aliud quám augmentum tranſpirationis corpus experitur. Non enim ſemper, etſi lotæ veſtes induantur, objectos cutis poros aperiunt, & inſenſibilem halitum promovent: quin ut aliquando compertum eſt, & ut infra dicetur, cutis porulos irritando, egreſſurum rorem corporis præcludunt. Adde, experientiâ conſtare, quos emundatum purgatumque indumentum tegit, in ipſo conveſtionis momento, quamvis immundam, & lutulentam cutim gerant, neſcio quonam hilaritatis lætitiæque ſenſu perfundi, & ſolito agiliores ſe ſentire; quin per oſcula cutanea ullum inſenſibilis tranſpirationis incrementum acceſsiſſe, ſuſpicari poſsis, quæ ſpurcitie, & naturali glutine obſtructa ſupponuntur.

IV. Latet igitur, ut in aliis corporibus, §. II. III. ſic in vacuolis indutæ *lanæ* quoddam aereum, ſpirituoſum, elaſticum ejuſdem cum *lana* naturæ, illudque calore ſubjectæ cutis in motum adactum expandi more elaſticorum corporum poteſt, atqe in obvios canaliculos, qua data portâ, irrumpere. Itaque ingreditur patentes in corporis habitu inſenſibiles meatus, naturali calore jam laxatos. Neque eſt, cur aeris introitum, vel vicem hujus gerentis partis cujuſdam ſubtilioris in ſanguinem, hac via negemus; quoniam pr̨ ſenſuum noſtrorum hebetudine vaſa, per quæ idem fluidum ſubit, conſpici nequeunt; tum quòd refragari videtur experientia illorum effectuum, qui a corpuſculis cutis poris bibulis admiſsis proveniunt; & de quibus in paragraphis citatis dictum eſt; tum quòd alii ductus, qui liquoribus craſsioribus deferendis inſerviunt, non antea oculis patent, quàm eorum capillares canaliculi plures, poſt ſpatium aliquod emenſum, in canalem quemdam notabilem coierint. Quæ enim oculi acies primas *lacteorum*, aut etiam venoſorum ductuum origines umquam intuita eſt? Quantò minùs licet ductus iſtos aereos diſcernere, quos breviſsimos, & exiliſsimos eſſe oportuit, ad hauriendas particulas quaſdam vitales, & elaſticas ab aere peculiari *laneo*, & certis principiis ſoli *lanæ* peculiaribus, & incognitis divite? Nonne inde liquidò cernes, fore ut admiſſu harum particularum ſanguinis, maſſa diverſis mo-

dis agitetur, & imperceptibiles quaſdam operationes experiatur? Quæ non tam ingeſti aeris elaterio, quàm ceteris elementis, & aliis diverſæ indolis ſpirituoſis partibus moli aereæ commixtis debetur. Teſtes ſunt atomi peſtilentiales diu in *lana* degentes, & de quibus infra fuſiſsimè dicetur *Cap.* XI.

V. Verùm meritò quæritur, quodnam ſit, illius *ſupra* IV. aerei & fumantis continuò halitus genium. Cui quidem recludendæ difficultati ſatis erit in præſentia, originem & principia *lanæ* ab animali, cui nectitur, repetere, ut aliqua hìc ſaltem lux affulgeat. Enim verò Pili in corpore humano, & *lana* in animalibus vix quidquam inter ſe differunt, niſi quod nonnullas externas qualitates adtinet. In homine juniore totum corpus villis adſperſum eſt, & puellæ recens natæ, puerique a matre fumantis cutis, [*a*] ſi *lente vitrea* conſpiciatur, mollicula lanugine pubeſcit. Nigritis *Zonæ Torridæ* incolis corpus leve, ipſi capilli pauci, breves, *lanæ* ſimiles; & omnibus animalibus ſub Auſtro degentibus rariores pili, & caduci; ſub Borea pulcherrimæ, & denſiſsimæ villoſæ pelles Urſorum, Vulpiumque. [*b*] Itaque juxta varias temporum, cœlique conſtitutiones, Pilorum natura, *lanarumque* indoles multifariam alteratur, neque coloris mutatio, organizationis, machinæque varietatem oſtendit. Eſt enim Pilus, ſive filum laneum, congeries nervulorum, internam medullam habentium, qui nactâ a cute vaginulâ in aerem modó ſub ſpecie pilorum, modó ſub forma *lanæ* producuntur. [*c*] Inde titillatio illa mirifica, quæ a leni tractione pilorum oritur. [*d*] Pili ſubitò albi terrore, vel alio vehementi pathemate evadentes, atque *lanæ* colorem emulantes, non indicant certè jacturam humidi internas capilli partes alluentis: avulſi enim pili, & diu detenti in aere ſicco, priſtinam nigredinem ſervant; neque in momento fieri poſſe, humidarum, mucilaginoſarumque partium avolationē, ut vulgò ſibi perſuadent, nobis conſtat. [*e*] Reſtat, ut phenomenon illud ſpiri-

[a] *Ruiſch Theſ. III. tom. II. num. 6.* [b] *Haller tom. III. p.m.* 528. 529. *not.* 6. [c] *Reg. lettre &c. p.m.* 266. [d] *Hall. ib. p.m.* 531. [e] *Reg. ib. p.m.* 314. *ſeq. in Collect. Conſult. Dñi Chirac.*

ſpirituoſi cujuſdam laticis, *lanæ*, pilive internam compagem ultro citroque permeantis effectus ſtatuatur; qui, mutata in temporis momento pili ſuperficie, colorem varium gignere aptus eſt. Porrò cùm pili nutriantur, & creſcant, hujuſmodi incrementum vel ab ipſa medulla derivandum eſt, ut placuit *Malpighio*, vel ab aliquo gelatinoſo humore proficiſcitur. Accedit, quod ubicumque pili ſunt, ibi glandulæ cutaneæ pingues copioſæ inveniuntur; ut in capite obſervatur, quod ſi per aliquot dies tectum ſervetur, totum oleo exundat. *Vide ſupra Cap.* I. Sed & exiliſsima foramina in *lana*, piloque allegantur a nonnullis, (*a*) per quæ ipſa interior medulla exſudet. Tandem neſcio quid ignei, & corpuſculorum *electricorum*, ſub forma ſcintillarum e corpore pilorum proficiſcatur, ut obſervatum eſt. (*b*)

VI. Hinc eſt §. v. quod materia aerea in ſyphunculis laneis hoſpitans, læviſsima habeatur, & neſcio, quo ſpiritu, oleoque volatili prædita ſit; nam *Lanæ* ignem flammamque facilé alunt. Neque illamet principia in *lana* Animali tantùm unita admitti poſſunt. Non equidem inficior, in lana recenti & ſuccida, præfata componentia copioſiùs, vegetiùſque porulos implere: verùm id affirmo, quod ſi major componentium pars avolet, remanet adhuc aliqualis portio in textis etiam *laneis* obſervanda, quæ calore in nervum erumpat. *Supra* §. I. II. III. Non novum enim eſt, in cadavere, diu etiam poſt mortem, pilos germinare, & effloreſcere. Cujus quidem probabilior cauſa videtur eſſe conceptus putrefactis in liquidis motus, tam quæ univerſum corpus perluſtrant, quàm quæ interna pili *lanæque* irrigando pererrant; quo fit, ut humidi, & ſalium aere abreptorum connubio in *laneo* vellere lucta excitetur, partes oleaginoſas indigenas attenuans, & mixti ſalia mirùm exaltans: (*c*) idque eò faciliùs eveniet, quò *Lanæ* corporis utpote rari, vacuola laxiora fuerint. Quidni ergo fieri poteſt, indumenta ut lanea corpori ſuperinduta materiam illam elaſticam volatilemque, & omnem ſenſum fugien-

---

(a) *Haller ibid. p. m.* 535. (b) *Idem ibid. p. m.* 537. *in not.* (c) *Idem Lettre ibid. p. m.* 308.

gientem, calore item corporis, majori calore ambientis percitam, & exaltatam humoribus noſtris affundant? Quæ intus adacta vel elaſticitatem ſalutarem in liquidis, peculiaremque tonus invigorationem promotura eſt, vel deleteriis oleis, ſalibuſque degeneribus prægnans, morboſam diatheſim iiſdem tacitè affricabit: jam verò ſi neque hæc ſufficere videntur, Chemicorum diſciplina conſulatur: Hæc enim Cultores ſuos edocuit per ignem reſolvere collectam capillorum copiam in laticem, ſpiritus, olea, ſales volatiles, terram, cui ſuppetat ditior ſalium volatilium vis; nullamque corporis partem ſcatere ſpiritibus tam acribus; Vides, quàm occupata ſit in minimis, certa finis Natura fabra! Specta quantæ molis, quantæ ſapientiæ ſit, unum capillum, vel velleris filulum condere! Nihil quippe (*a*) in hiſce ſimpliciſsimis, & extimis Animalium particulis otioſum, ſupervacaneum nihil, nihil quod exercitatiſsimæ Mechanicæ ſubtilitas emendare, aut propoſito impetrando commodiùs aptare queat; nihil demum quod numero, pondere, & menſura adorandus Naturæ Conditor, ad pompam uſque hic non diſpoſuerit: ſed ad alia.

VII. Atque hactenus de prima effluviorum laneorum origine dictum eſt. Datur & alia ſpecies, quæ non ex inviſibilibus conflatur minutiis, neque penetrantiſsimis corpuſculis emergit; ſed quæ tamen plus mali, quàm boni in corporibus animatis producere apta eſt. Iſtiuſmodi autem effluviorum claſſem conſtituunt infiniti propemodum villi, magis vel minùs in ſuperficie amictus *lanei*, juxta diverſam texturam, *Capite* I. §. IV. V. ſalientes. Cúm enim continuo attritu inter cutem ſani corporis, & pannum veſtientem ſolvantur fibrillulæ, atque ſimpliciſsimi pili, villique ex eadem ſuperficie jugi avulſione abradantur; fieri vix poteſt, quin pergente illius preſsionis affrictu, aculeata illa ramenta abſtracta oſculis cutaneis infigantur, & vicem ſtimuli ſuppleant: tum quod duriſsima etiam corpora, ut aurum, ſolo tritu omninò diſſolvi poſsint; tum quod ramenta illa lanea celerrimè, & impetu quodam ad peripheriam corporis appulſa elaſtica cùm ſint,

(a) *Boerhav. chem.* II. *Oration.* IV. *p. m.* 58. 59.

ſint, *Cap.* I. *ſupra* §. III. IV. reſiliant, & ſeſe reſtituant, rurſumque in eoſdem ſenſiles cutaneos nervulos impingant, & ſenſum ſtimuli imprimant. Neque valet, *lanam* corpus eſſe molle, proindeque incapax itus & reditus, ex quibus energia elaſtici ſtimuli eruitur: Non, inquam: quippe illa tantilla fragmenta *lanea*, ſolo producta tritu, velut quædam ultima elementa filamentorum laneorum agnoſco; proindeque licèt compoſita, ex hiſce elementis cuſpide præditis *Lana* nexum partium minùs habeat reſiſtentem, ſed facilé cedentem; ipſa tamen elementa corpori calenti, eo quo diximus modo affricata, expanſilia, & contractilia ſunt propria indole; (*a*) indeque ſenſibiliſsimo poruli animati cavo inhærentia *Supra* §. VI. moleſtam titillationem producere valent. Rurſus concipi poteſt, deciduis ea ratione *lanæ* corpuſculis, omnem abeſſe nocendi, ſtimulandique potentiam, nullumque penitus ineſſe elaſticitatis niſum; ſed eodem tempore nocere Animali illa poſſunt & agere non modò ſola occupatione meatuum cutis antea vacuorum, verùm etiam actione extendendi a ſe invicem corporis cuticularis ſtamina ſolida vero, & reali dilatatu. Hinc ſudore jugiter effluente, penetrati, humectatique villi lanei obſtruentes expanduntur in omnẽ dimenſionem: hinc mirifici fiunt, & morboſi effectus ab ejuſmodi laneæ ſubſtantiæ evaporatione, quæ intra pororum tranſpirabilium cava priùs libera ſeſe recipit: hinc quoquovorſum fruſtula illa *lanea* exiguiſsima intumeſcunt, ſicque ſeſe dilatando, faciunt ſæpè mutationes in cute incredibiles, de quibus infra redibit ſermo *Cap.* IX.

VIII. Mechanicam autem illam in vellere ſtimulandi §. VII. facultatem, præter cetera innuunt: & figura filamentorum laneorum in acumen vergens; & pruritus, quem excitant Pili, dum infarcta ſordibus cutis oſcilla fruſtra perrumpere nituntur, ſalutaremque ſcalpendi motum in adjumentum flagitant, quo purgatur cutis; (*b*) & tandem Tuſsis, ab imprudenter, vel caſu quodam aere abreptis *lanæ* villis, & Larin-

(a) *Confer Boerhav. Chem. tom.* I. *p. m.* 106: (b) *Boerhav. diſſert.* de comparando &c. *Oration.* II. *p. m.* 58.

Laringis internæ tunicæ reſpiratu impactis; qui villi in Sole per feneſtram, vel per hujus rimulam admiſſo, obvolitantes cernuntur ad inſtar atomorum; præ primis in officinis Fullonum, & *lanam* vel linum Carminantium illud contingit, in quibus Lanifici de ſtimulis in organis ſpiritalibus conquæri ſolent. Quod autem adtinet obſtruendi ſingularem potentiam, quæ in hac ſecunda ſpecie effluviorum dominatur, illud ſolùm notaſſe ſuffecerit, divulſam molleculam tomenti lanei, cùm ſummè plicatili, & in omnem ſenſum flexibili pilorum conſtet mole, tam iners corpuſculum, & quieſcens, ſi in ſpiramenta tenuiſsima cutis ſeſe involvat, aditum ſibi præcludere, proindèque proprio pondere gravare, & infarcire vaſcula poterit. His addendum eſt, cutis ſiphunculos ex unguine, quo pilus, vel laneum ſtamen naturâ illinitur, & humeſcit, *Cap.* I. §. v. facillimè obſtrui. Oleoſa enim tenacitas inter cauſas obſtructionis, & quidem inflammatoriæ, meritò recenſetur.

IX. Denique ultimum effluviorum *laneorum* genus conſurgit multitudine tenuiſsimarum mollecularum corporum exoticorum, de foris advenientium, & interſtitiis lanearũ veſtium, interceptarum. Quarum quidem particularum in ſpatiis *laneis* latitantium varia, confuſaque permixtione, atque diverſis earumdem indole & motu oriuntur, non ſolùm omnia phenomena, quæ puram putamque veſtem laneam, penès diverſam texturam, tenuitatem, craſsitiem pertinent; ſed variæ quoque hìc & illic *lanæ* in corpus vires ex calore, humiditate, ſiccitate &c. proficiſci poſſunt, unde Indumentorum horum ſalubritas, vel inſalubritas deducitur. Quemadmodum in aere contingit, ubi præter intrinſecas ejuſdem qualitates, habito ad Solem & loca reſpectu, diverſam tenuitatem, vel craſsitiem, ſanitatem vel morbum cernere eſt a diverſo concurſu particularum extranearum, quas atmoſphæra a ſubjectis aut vicinis ſibi corporibus excipit. (*a*) Hinc igitur infinita pænè corpuſculorum cujuſcumque generis fragmenta abſciſſa, tenuata, vel pulſa ſuſtentari intra panni lanei poros

(a) *Confer Lanciſium de noxiis Palud. cap.* II. *n.* 6. *p.m.* 137

poros valent ita, partim ut recrementorum perſpirationem impediant; partim detrahant, quæ incolumitati ſuffragantur; partim multa ingerant, quæ ſanguini, ſpiritibuſque noſtris, imò ſolidis etiam partibus peculiaria inferant detrimenta: Hinc tandem infinitæ iſtarum molecularum noxiarum claſſes, ut Peſtilentialium, quæ mercibus laneis plerumque foventur, & de iis infra; *Cap.* XI. ut quæ, ab elevatæ tranſpirationis, manantiſque ſudoris vaporibus deſumuntur, qua de re conſule infra; *Cap.* VI. VII. ut quæ, ab Infectorum, & animalculorum ovis proveniunt; qua de re vide infra *Cap.* VIII. ut quæ diſsimiles colorum, quibus conſuetæ *lanæ* veſtes imbuuntur, impreſsiones in corpore noſtro producunt; qua de re vide infra *Cap.* VI. §. XII. & *Cap.* XII. §. XIII. ut quæ tandem ab rore, nebulis, vel alio humido humectata *lanâ*, quemadmodum in dormientibus ſub dio videre eſt, in corpus traducuntur, non abſque ſanitatis læſione; quam rem conſule infra *Cap.* VIII. Sed & neque prætermittenda illa conſuetudo veſtes *laneas* diverſimodè ſuffiendi, dum ad præcavendum frigus, accenſis prunis odoramenta ſuperdant, quæ ſuperimpoſita veſtis *lanea* excipit; vel dum refrigeranti, eaque odoranti aquâ, humanos veſtitus irrorant, ardente præ primis Sirio. (*a*) Neque tandem reticenda hodierna Medicorum praxis, pannos *laneos* calidos benè olentes ad frictiones inſtituendas, vel aromatico & fragranti decocto immerſos ad *epithemata*, eligentium, de quibus in decurſu hujuſce Tractatus pro re nata pauca trademus. *vide infra*, *maximè Cap.* XII. §. XIII. Hæc autem univerſa, juxta diverſam therrapejam, multa commoda, penès diſsimilia effluvia, atque incommoda, in corpus noſtrum traducere conſequens eſt.

F CAPUT

(a) *vide* il Teſoro della Sanitá *p. m.* 11. *&* 12

CAPUT III.

QUÆNAM TEMPERAMENTA

Gerendæ Lanæ opportuna ſint; Additis cautelis, ratione & experientiâ oſtenditur.

I. NOn omnibus unus contigit vultus; neque ſingulis Mortalium eadem conceſſa eſt Animi, Ingeniique Indoles: ſic temperamenta differunt inter ſe. Quin liquidò patet, aliam hominum temperiem fundamentum eſſe diverſiſsimorum morum, diſsidentiumque hominum eorumdem ad vitia, & virtutes propenſionum, diſtinctarum quoque ingenii virium; quemadmodum baſis illa eſt diverſorum morborum. Quòd enim mores, difformitateſque animorum ſequantur corporis temperamentum; quòd tam multa, tamque varia ſint hominum ingenia, tamque diſpares virtutes, vitiorumque fontes; quód alii ſobrii, ingenio acutiores, prudentiores; alii intemperati, ad intelligendum tardiores, & temerarii ſint; non in eo arguenda eſt animæ natura: cùm eadem Animæ eſſentia cunctis ſimplex, & individua inſit hominibus. Verúm illa diſcrimina ex corporis naturali, aut potiùs adſcititia conſtitutione repetenda, qua mediante modò ſegniùs, interdum expeditiús functiones ſuas obit animus; qua mediante, modò temperatus, modò celerior, aliàs tardior fit ſanguinis motus in circulum; qua mediante vaſa animata

mata nunc robuſta, & elaſtica cruorem, velut ſub prælo, premunt, vividiuſque flagellant, aliás laxa, & debilia gravanti imperfecti cruoris moli obediunt, atque ſub onere fatiſcunt; qua mediante, ut paucis me finiam, conſurgit illa Temperamentorum multiplex diviſio, ad quam, etiam res nonnaturales, ſymbolum ſuam conferunt. (*a*) Sed erro: conflatur diviſio *intemperierum*, ut ajunt, potiùs, quàm *temperierum*: nam ſi vim vocis ſpectes, temperies vel Temperamentum, a quacumque cauſa oriatur, miſcibilium eſt concentus quidam, & harmonia. (*b*) Veteres ergo malè vocarunt temperamentum, quoties exceſſus major alicujus, ut dicebant, *elementi*, in humoribus animadverteretur, utputa *bilis*, vel *pituitæ*; tunc enim naſcitur *Intemperies*, ſeu morboſa *idioſincraſia*. Sed hæc non ſunt hujus loci.

II. Quidquid autem ſit, non unicum, nec perfectè immutabile ſanitatis æquilibrium omnibus individuis tribuit Sapientiſsimus Conditor. Cùmque ferè infinitæ ſint humorum combinationes, & temperamentum conſtituat omnium liquidorum animalis, & quoad quantitatem, & quoad qualitatem inter ſe ratio, partiumque fortè primigenia quædam diſpoſitio, ut inde uberior unius alicujus ſucci ſecretio oriatur: quis eſt, qui individuos, certoſque illos in unoquoque Mortalium concurſus, perſpectos; invariabilem partium rationem inventam, diſsimiles hominum naturas ritè exploratas eſſe a ſe glorietur? Ille certè, qui adeò lynceus eſt, ut qua ratione commune è terra nutrimentum attractum ſingulæ plantæ in ſuccum ſui generis, & ſibi proprium convertunt, Orbi Litterario audacter patefaciat. Qui, qualis ſit primitiva moles, figura, diſpoſitio primigeniarum partium cujuslibet corporis; qualis debeat eſſe nova particularum facies, quam induunt quædam corpora, ut in certas *idioſincraſias* mutentur; qua vi, quove artificio, quo mechaniſmo a priori forma in aliam

 novam

(a) *vide Frideric. Hoſman diſſertat.* de Temperament. *tom.* v. *p. m.* 103. *Item Theſim Avenioni &c.* An animi mores &c. *anno* 1729. (b) *Caſtelli Lexicon. &c. verbo* Temperies. *p. m.* 576.

novam deſciſcunt temperamenta, ut uni puncto numquam conſiſtat ſanitas: Qui, inquam, hujuſmodi cunctas apparitiones explicando moliatur, & ſi qua poſsit ratione demonſtret, & cui tandem dulce eſt abditiſsimos Naturæ receſſus ingredi, & imaginationis vividæ ſpectris larviſque ſibi illudere. Nos, qui experientiæ tantùm innitimur, ſatis ducimus, poſthabita tot in ſpecie diverſorum Temperamentorum, altiſsimè latente, & intricatiſsima primaria cauſa, modò de effectibus certi ſimus; ſatis, inquam, habemus, incredibilem adeſſe in temperamentis varietatem, atque ex hoc fonte reverà oriri, ut ait *Keillius* (*a*) „ Quidquid eſt in Medicina „ incerti, & obſcuri, non niſi accuratiſsimis, fideliſsimis, „ ac ſagaciſsimis obſervationibus, ac morbi hiſtoriis, tollen- „ di. Hactenùs Keillius.

III. Illud autem Rem noſtram proximiùs attingit, ſuperfluam eſſe Antiquorum, & quorumdam recentiorum, Temperamentorum diviſionem. Priores quippè tot inſtituerunt temperamenta, quot humores. Poſterioribus autem caſtigagatior, & ad normam mechanices magis exacta temperamentorum multiplicitas placuit. Sed propoſita Veteribus diviſio, in *temperiem* nimirum *calidam*, *frigidam*, *humidam*, *ſiccam*, *bilioſam*, *ſanguineam*, *phlegmaticam atrabilariam*, multis Neotericis arriſit, inter quos eminet Boerhavius. (*b*) At tanti Viri pace dixerim candidé, tot in Temperamentis ſi admitterentur differentiæ, eæque Practicis perſcrutandæ offerrentur; ne in Medicina facienda magnam confuſionem parerent, atque inextricabiles difficultatum nodos medentibus ubique ſiſterent. Quantò meliùs ergo ad multó breviora capita diſsimilium illa temperamentorum cohors recenſeretur? Quantò commodiorem Medicinam facturi viam inſiſterent, ſi multiplicem, & difficilẽ illam diſcrepantiam ad binas claſſes reducerent? Ut impoſterum *ſtricta & laxa temperies* quoad ſolida, eorumque vires; atque *calida & frigida* humorum circulantium habitudo conſideretur, & ab omnibus in praxi admittatur. Sed & calidus ſanguis, & frigidus idem cum

(a) *Tentamin. de Secretion. p. m.* 86. (b) *Inſtitut.* §. 889.

cum majori tubulorum elaterio, & minori elaſticitate ferè conjungitur, ſi excipias aliquas corporis affectiones, in quibus calor ab immoto cruore, ſed ſalibus exacuato: & frigus ab eodem moto, & interiora corporis urente ortum ducit. Ne verò mea tantùm ſententiâ iſthæc protuliſſe videar, quid ſodes ipſemet *Boerhavius* pro omnium morborum, ſolida vel in origine, vel in decurſu impetentium fundamento poſuit, præter laxitatem fibræ, vaſorumque cum ſuis differentiis, & eorumdem nimiam elaſticitatem, & rigiditatem? Quodnam opportunius ad firmandam noſtram hypotheſim argumentum adduxit, quàm ubi morbos circulationis, vel ab ipſiuſmet circulationis celeritate, vel ejuſdem tarditate omnes derivavit? Conſulantur ejus Aphoriſmi. (*a*) Imò in ipſis Inſtitutionibus, ex quibus numeroſam illam temperamentorum differentiam excerpſimus, diſertè monet, ad *temperamentum* imprimis *calidum referri ſiccum temperamentum*, *bilioſam temperiem*, *& melancolicam*; *ad frigidum autem pertinere humidum*, *ſanguineum aliquando*, *& phlegmaticum*. (*b*) Et ſanè velociori factô humorum in copore circulô, quod fluidius eſt, in auras diſsipatur; reſiduum dein acrius fit, ut bilis: ſed per velociorem circulationem producitur caloris in corpore vehementia. E converſo, dum tardè feruntur per vaſa ſua liquida noſtra, frigus percipitur, atque humidior pars ex ipſis tranſudat, obviaſque vaſorum tunicas relaxat. Quare duplicis hujuſce, quam ſtatuimus, Temperamentorum ſpeciei, patet ratio.

IV. Huc ergo propoſitæ in præſenti capite recidit quæſtionis cardo, ut definiatur hominum temperies, cui geſtatio veſtimentorum laneorum competere abſque noxa poſsit. Quoniam verò ad hoc juvantium & nocentium doctrina plurimum lucis allatura eſt, ſanctè referam quid boni, quidve mali iſtæ veſtium ſpecies diverſis hominibus applicatæ præſtitiſſe mihi viſæ ſint. Hinc ſemper animadverti, ſicci, ſtrigoſique habitus homines. hiſce pannis utentes, pejus ſe habuiſſe: phlegmaticos

(a) *de cognoſcend. &c.* §. 24. *uſque ad* 49. *&* 92. *uſque ad* 106. (b) *Idem Inſtitut.* 890. *ſequent.*

cos e contra, quique exuberanti ſeroſa colluvie laborarent, cum adjiciendis mox cautelis, levamen ſenſiſſe non mediocre. In illis enim & accenſum in præcordiis calorem, & celeriorem ſolito circulationem, & humorum per vitalia viſcera impeditum tranſitum, & in externis partibus pruritus cutis moleſtos, varii generis puſtulas, cuticularium pororum inflammatoriam conſtrictionem, & id genus varia incommoda vidiſſe meminimus. Poſteriorum autem hominum claſsis, per adhibitam ad corporis contactum *laneam* veſtem, liberiori facta halituoſa tranſpiratione, & humorum inutilium excretione; hinc liberatis ab gravi, & interdum noxia ſarcina rubris canalibus, atque expeditiùs per vaſa fluente maſſæ reſiduo, agiliores fiebant, & abſque virium diſsipatione hilariores. Hæc Sanctorii authoritate confirmantur, qui in peculiari Aphoriſmo ſcriptum reliquit: *Melancoliam* (intellige quæ ab inutilium humidarum in ſanguine partium congeſtione oritur) *duplici via ſuperari*; (*a*) *vel libera perſpiratione*, *vel aliqua continua animi conſolatione*. Verùm *animi conſolatio*, ex eodem (*b*) *largam perſpirationem facit*; & utroque de nomine educit illud, quod corpori eſt inutile per cutaneam evacuationem, ſine ulla notabili virium detractione.

V. Ratio autem ab diverſitate temperamentorum modó enarrata, (II.) petita, experientiæ noſtræ §. 111. ſuffragatur. Siccis enim calidiſque temperamentis, ſive ad biliosam, ſive melancolicam vergerint temperiem, videtur major in ſolidis vis, quám in humidis partibus copia excedere; videntur eſſe vaſa robuſta, & contracta, viſcera valida, humores valde moti denſi, & acres; videtur tandem, data ingeſtorum quantitate, copioſior eſſe cutanea tranſpiratio. (*c*) Unde illis indicantur humectantia diluentia; calefacientia autem quæcumque quám maximè nocent. (*d*) Ob eamdem rationem exulent ab iiſdem veſtes *laneæ*, quæ in genere non ſolùm calefaciendi virtutem obtinent, verùm etiam ſtimulandi, & ſpaſmodi-

---

(a) *Aphor*. 472. *Edition. Gorter*. (b) *Aphor*. *ibid*. 474. (c) *Gorter in Aphor. Sanctor*. 174. *p. m*. 191. (d) *Boerhav. Inſtit*. 890.

modicè vaſa conſtringendi potentiam habent. Videantur experimenta noſtra *Cap.* IV. Qui autem tardum pigrumque cruorem ſortiti ſunt, qui ſolida, & cutem, debili prædita niſu, & elaſticitate alunt; qui demum vegetiori cordis embolo humores debitè attenuante, & ad colatorium univerſale trudente orbantur, quo in genere omnes Phlegmatici ſunt, & qui ad eos pertinent: *ſupra* §. II. III. Hos, inquam, homines, frictiones, ſtimulantia, & reſoluentia prudenter adhibita, concretam humorum maſſam in fluorem redigentia, & ità amiſſum robur reſtituentia, juvarunt ſemper. Neque frictiones, & exercitia, quemadmodum bilioſis, hiſce ſubjectis interdicuntur. [a] Quamobrem veſtium Lanearum uſus, hiſce hominibus convenire poteſt, tum quia calefaciunt, indeque celeriorem in vaſis circulationem efficiunt, tum quia majorem humorum conſumptionem prolectando, ſiccando tēpeſtivè ſolida, tonum fœnerant, & robur largiuntur, undè quamplurium morborum medela.

VI. Quamvis autem ad liberiorem reddendum per cutim tranſitum, dum ab imbibito humore in phlegmaticis hominibus iners, & ſordida evadit; necnon ad augendam excretionem *Sanctorianam* tum ad evacuandum ſerum ſuperfluum, ut in diverſis *Anaſarcæ* ſpeciebus; tum ad depurandum ſanguinem particulis aquoſis, ejuſque compagem relaxantibus; tum ad multa alia præclara in corpore molienda, & quæ ſuo loco dicentur; uſitatiores & utiliores, ceteris Topicis medicamentis, tunicas *laneas* arbitramur: Non exinde promiſcuè, & abſque ullo delectu, quibuſcumque pituitoſo temperamento donatis jubendæ ſunt, nec eadem ratione, & in omni morbi ſtatu indiſcriminatim uſurpandæ. Nullum profectò adeo tutum remedium eſt, quod imprudenter aliquando adhibitum non noceat; & quod, præmiſsis quibuſdam cautelis, non profuit ſemper. Itaque cavendum imprimis eſt, ne ſtatim, & inter morbi initia, *veſtibus laneis* nimium aſperis, denſiſque utamur, ne calore dein nimio excitato in liquidis impuris, hæc majori impetu ad vaſa minima, & anguſtiora cutis ap-

pel-

[a] *Sanctor. ibid. Aphor.* 587.

pellant, atque ſtagnantia in diſtentis nimis *Sanctorii* tubulis, eoſdem tenerrimos vel mole obruant, vel impetu frangant. Præterea fruſtra *laneos* amictus induas ad facilitandam ſuperfluorum ſuccorum per corporis ſuperficiem prolectionem, niſi corpus ſit diſpoſitum, ideſt niſi cutis tubuloſa ſubſtantia ſatis patula, & relaxata ſit, niſi etiam ſufficiente humoris quantitate, ſero impuro refertus ſanguis, donetur. Accedit plerumque, licèt copioſior tranſpiratio indicetur, ſudorem tamen elici non poſſe, ſive ob ſpaſmodicam fiſtularum conſtrictionem, ſive ob inertem meatuum cutaneorum laxitatem. In quo caſu, admovendam corpori *lanam*, vel oleo quodam perfundere, vel aliquo accenſo roborante thimiamate imbuere licet; quibus vaſa conſtricta laxari, vel medicata corpuſcula torpentibus ſuccis ſeſe immiſcere poſsint, atque ea ratione prodeſſe.

VIII. Demum, ne multa congeram, quæ alibi enodanda reſervo, inſiſtendum eſſe puto aliquamdiu hiſce præſidiis, ut optatus aucti tranſpirabilis effectus haberi poſsit. Sed ne quid nimis. Qua in re placet aurea *Cheynei* verba apponere, qui de diuturno habituum *lanigenorum* uſu ita loquitur: *Tenuis imprimis panni* lanei *nomine a lanula deformato* (Flanel) *Noſtratibus noti, induſio qui ſe fovent, continuam ſibi ſudationem, morbum profectò* Diabete *nec abſimilem, nec minùs fere gravem accerſunt: ſudationem autem perpetuam, qui perſpirationi liberæ, plenæque conſervandæ ſtudet, non magis ſibi optaverit, quàm* Diarrheam, *qui adſtrictam alvum fugit. Utraque verò æquâ curâ Infirmis vitanda, cavendaque eſt; &* Diarrhea *ſcilicet, qua inteſtinorum: & nimia ſudatio, qua cutis, omniumque minimorum vaſculorum fibræ remollitæ, & maceratæ reſolvuntur. Ex eo autem quod lanula iſta* Fotis *perpetuò cutis madeat, ipſeque pannulus citiſſimè inquinetur; ſatis patet, nimiam per cutis poros materiam excerni; quòd cùm præ nimio, quo corpus elixatur, calore, tum propter continuam cuticulæ a* laneis *panni villis frictionem fieri, veriſimile eſt*. Hactenus ille. (a)

CAPUT

(a) *de Infirmor. ſanitat. &c.* §. 8. *p. m.* 234. 235. *Cap.* VII.

CAPUT IV.

DE EXPERIMENTIS, QUIBUS

Specialior Subuculæ Lanæ actio in Corpus pateſcit.

I. Optimè quidem novi, & periculorum, cùm in Phyſica, tum præprimis in Arte Medica ſummam difficultatem, atque illationum inde deducendarum ad praxim veritatem dubiam. Verùm nec Philoſophum, multòque minùs Medicum agerem, ſi in re adeo gravi, (qualis eſt quæ circa uſum, & abuſum horum corporis tegumentorum verſatur) ſcitu adeo neceſſariis, quas in me ipſe expertus ſum, & non abſque ſanitatis levi detrimento ſubii, quaſque pluries Microſcopii adminiculo tentavi, periclitationibus Lectorem vacuum dimitterem. Quod ſi optatam illæ non obtinuerint doctorum Virorum adprobationem, ſpes tamen eſt, nec ut plurimùm vana, fore ut ex candida fide periculorum expoſita ſerie, velut jacto dicendorum fundamento, peritiores, & prudentiores Medici quid veroſimilius, vel ægrorum ſaluti utilius eruant, atque decernant.

II. Et quidem 1. Diverſam pannorum *laneorum* naturam atque fabricam, vitro mihi perluſtranti in univerſum eorumdem ſuperficies, obtutui objecta, hirſuta, atque totidem aſ-

ſurgentibus ſetis, undique obſita apparuit: ad hæc crines ſinguli *lanei*, & omnino ſcabri, & diverſimodè plicatiles, modò inſufflato aere cedebant, & ſibi invicem adcumbebant, iterumque, ceſſante cauſa impellente, reſurgebant; modò tandem vicinis pilis eadem ratione agitatis adeo implicabantur, ut tomentoſam maſſulam conſtituerent, obturandis *lanæ* interſtitiis, implendiſque vacuolis aptam. Revera parum, ita affecta pilorum *laneorum* moles, imò nullatenus elaſticitatis ſignum reſiliendo præbere intuenti viſa eſt.

2. Præterea contemplanti per globulos vitreos *laneum* aliquod pilum, antequam texendæ telæ adhibeatur, conſtat, ex multis ſimul concretis filamentis illum coaleſcere, & in cuſpidem deſinere: cum hoc tamen diſcrimine; quod in *lana* veſtiſsimo pecudi inhærente adhuc, vel recens reſecta, villi componentes molliores ſint, longiores, laxiùs adunati, ſparſique; atque coagmentatus inde villorum trunculus, parum, vel nihil erectus, ſibique relictus, mox cadere cernatur. In Textili autem *laneo* fibrillæ breviores, firmiùs inter ſe adnatæ, duriores, prominentes, aſſurgentes, ſicciores, acutiores, graciliores, atque ideo ad pungedum aptiores viſuntur. Verum quidem eſt, iſtiuſmodi apparitiones in diverſo pannorum *laneorum* genere variare. Nam per *fullonicam* tractata *lana*, magis ſibi adcumbentes, & inter ſe compreſſos crines habet; *vide ſupra Cap.* I. §. IV. craſsior quoque & ponderoſior eadem Fullonum arte evadit, quàm alia, quæ, levis texturæ cùm ſit, neque *Fullonis* torturam experta, eoſdem crines, & numero plures, & indole acutiores, ab omni ſuo ambitu emittere, & exporrigere videtur.

3. Sumpſi ejuſdem panni *lanei* duas portiones figuræ, coloris, & ponderis æqualis; aquam deinde extremo limbo unius portionis in aere aperto ſuſpenſæ admovi, illicò ſucta aſcendebat. Mox humectatam panni portionem, unà cum ſiccata, eodem tempore ad perpendiculum in ſubjectam, & contingentem aquæ molem ſuſpendens, non abſque admiratione vidi, portionem, quæ priùs aqúam receperat, avidiùs, celeriùs, & copioſiùs humorem ſuſtuliſſe, quàm quæ arida, & nulla prævia humiditate ſuffuſa erat.

4. Ma-

4. Maceravi in aqua per quindecim horarum ſpatium binas ejuſdem ponderis, *puta dracmæ ſemiſſes*, ex thorace laneo deſumptas partes; & tranſacto illo tempore, hæcce duo fruſta inter ſe compenſavi, ut viderem quodnam ex illis alteri præponderaret: reperii laciniam craſsiorem, & rudiorem dracmæ 3. & gran. 30.; alteram autem delicatioris contextus gran. 30. ultra ſolitum, & priùs examinatum pondus exhibuiſſe. Dein graviorem aliam laciniam aqua emolliendam curavi, & elapſo eodem, quod ſupra, temporis articulo, ponderavit dracmas quinque cum ſemiſſe. Inde verum *Keillii* aphoriſmum lætus detexi, dum ait, (*a*) *aeris humidum*, intellige etiam de aqueo humore, *attrahere veſtes ex quacumque materia compoſitas*, *& eſſe attractionem veſtium ſuperficie æqualium, in ratione ponderum, & veſtium ſimilium attractiones eſſe, in ratione compoſita ponderum, & ſuperficierum*.

5. Quando veró ex præfatis in prima parte experimenti antceedentis (4.) duobus *lana* cõfect panni fragmẽtis, abſorptã humiditatẽ quodam prælo exprimere volui; tunc enimverò ſubtiliùs, laxiùsque contexta lacinia, dracmam ſemiſſem aquei humoris abſorpti intra ſe quàm pertinaciſsimè retinuit; altera verò, quæ magis compacta, duplum ſui ponderis, (ponderabat enim, ut mox vidimns, dracmam dimidiam,) videlicet dracmam unam medicam ita imbiberat, ut omni expreſsioni reluctaretur. Advertendum tamen eſt, pannos Solis calori, vel igni expoſitos eó citiùs incaleſcere, & citiùs refrigerari, ſiccarique, quo nigriores fuerint; idipſum poſt ſummum Boerhavium, [*b*] expertus ſum pluries.

6. Qua verò experientia fretus Illuſtriſſimus Keillius, [*c*] veſtibus *bombicinis*, & *laneis*, ſi cetera ſint paria, eamdem ineſſe vim attrahentem dixerit, non video; cùm, iterata experientia, contrarium nobis apertê oſtenderit: Nimirum arreptam ejuſdem molis, & ponderis veſtimenti, vel telæ

 ex

(a) *Aphor. Static. p. m.* 178. *ad calcem tentamin.* (b) *Chem. tom.* I. *Experiment.* XIV. *Corollar. p. m.* 119. (c) *Ibid. p. m.* 178.

ex goſsipio, & *lana* confectæ fimbriam ſeorſim maceravimus, & vapori aſcendenti deſuper poſuimus, ſuſpenſamque ponderavimus exactè: hinc quæ ex goſsipio contexta erat, minus aquei laticis, vel aſpirati halitus intra ſe receperat, quàm altera *laneo* vellere fabricata.

III. Sed jam tempus eſt, ut illud experimentis noſtris perſequamur, quod ad Medicos maximè pertinet, & de quo præprimis agere in præſentia decrevimus: illa ergo experimenta a nobis ſuſcepta viam ſternere videntur aptiorem, quam hactenus enarrata pericula phyſica, *hìc* §. II. *num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. ad inquirendum diligentiùs in varium agendi modum, quem veſtes *laneæ* nudato corpori accumbentes, tam in externa cute, quàm in internis animalis corporis partibus præſeferunt. Priuſquam ergo de propoſita induſiorum *laneorum* agendi methodo, quid judicio noſtro ſentiendum ſit, exponamus, æquum eſt, ut quas inde tulimus noxas, quos fructus inde percepimus, ſincera animi fide, & abſque diſsimulatione, per inſtituta a nobis ſequentia experimenta producamus.

Et 1. quidem cùm ex operum *Sanctorii*, *Dodartii*, *Keillii*, & *Gorteri* lectione, neceſſariam *ſtateræ* conſtructionem, cuicumque inſenſibilis tranſpirationis diverſos gradus metiri voluerit, probè animadvertiſſem; cùmque veſtimenta *lanea*, non alia in corpus animalis ratione, quàm inſenſibilem diſflationẽ promovendo, vel ſupprimẽdo, agere mihi compertum, perſpectumque eſſet: ideo de comparanda mihi libra cogitavi ſeriò, ut commodiùs experimenta in me capere poſſem. Ergo examinato proprio ad trutinam corpore, ante decubitum, & poſt ſolitam (parcam videlicet) cœnam, & in Æſtate, pondus inventum ſedulò notabam; mox ſubuculâ ex levidenſi *lana* conſtructâ totam propemodum cutem ab ſcapulis ad ima uſque crura obvolvebam, mihique ad immediatum contactum adſtringebam. Cavebam imprimis ea nocte, ne quidquam urinæ, ſputique redderem: Rurſus cum hiſce inſolitis corporis mei integumentis exonerata priùs alvo & veſica, me ritè ponderabam; mané verò ſurgens imminutionem ponderis non tam in effluvia ea nocte e meo corpore manan-

manantia, quàm in eorum portionem veſtimento *laneo* adhę-rentem, & illud humectantem refundebam. *Lana* enim humidi attractione uda redditur, & humido gravatur. *Supra* §. II. *num.* 4. 5. Quamobrem adauctum amictus *lanei* pondus, addebam quantitati inſenſibilis tranſpirationis nocturnæ. Hæc autem Æſtatis tempore, & unius noctis ſpatio ad uncias viginti; vel viginti duo adſcendere expertus ſum. Superpondium autem veſtimenti ab corporis exhalante humido profectum, propter ſummum cœli, ſub quo vivimus, æſtum vix uncias duas dabat; utpote qua proportione humiditas elevata e cute calente indutæ *lanæ* villos offendit, eadem ferè ab ſiccioris, fervidioriſque aeris ardore abrepta exſugitur.

2. Fatendum eſt tamen, primis geſtationis noctibus (nam de die amiculam exuebam, inſueti indumenti prorſus impatiens) contectum ea ratione corpus III. *num.* 1. ingenti per totam cutim, eoque moleſto, correptum fuiſſe ardoris, pruritusque ſenſu. Quibus acceſſerunt & corporis frequens in lecto jectigatio, & inquietudo, & inſomnia, atque venerea ſpectra mentem undique terrebant. Ad hæc arteriarum temporalium pulſationes, rubor ut cutis ſummæ, ita maximè faciei, item ad urinam reddendam ſtimulus, præcedentibus ſimptomatibus, comitata, ulteriorem periculorum aggreſsionem apertè dehortabantur. Uſque adeo, ut ex reddito manè copioſiori lotio, atque majori, tam ad ſtateram, quàm ad vires, corporis gravitate percepta; inſuper proludente *coryza* cum leviſsimo capitis dolore, ab ulterioribus tentaminibus impoſterum abſtinere decreverim: ſatiùs ducens aliorum periculis inſtrui, quám in me ipſo, cum ſanitatis injuria experimenta moliri, horumque dubiam, incertam, & ubi *de corio humano* agitur, ſuſpectam ferè ſemper ſortem adire.

3. Hujuſmodi infortunia (2.) animo volventi diù, atque experimentorum filum abrumpere geſtienti, natæ quædam, & oblatæ intellectui difficultates, ne ab incepto deſiſterem, nutantem adhuc detinuerunt. Num [mecum ipſe loquebar] cutis ſquallor, & certa pororum tranſpirabilium ſordities difflationi obſtaret? Annè [quod veroſimilius mihi videbatur]

hoc

hoc ipſo quod inſolitum veſtimenti genus induerem, ſuppreſſæ evacuationis noxas incurrerim. Utrumque ſanè rectè rationi conſentiebat, & ſequenti experientia confirmabatur: quippe deterſa ritè naturali fuligine corporis, necnon balneari, dulcique aqua cute lota, ſucceſſu temporis bonos prędicti operimenti effectus experiri cepi. Evanuerat enim & omnis cutis phlogoſis, & acrimonia, & rubor. Ceſſaverant & anxietates, & fluxiones in variis machinæ partibus. Subſequuta eſt ſalubris ex toto corpore exhalatio, effiuente ex omnibus cuticularibus punctis humore blando, tenui, vaporoſo, ex cujus evacuatione corpus fiebat agile, leve; vires validiores evadebant, & me ſentiebam ſolito magis hilarem in ſumma adeò non amplius ſuſpectus mihi remanſit illius velamenti *lanei* veſtitus, ut potius firmior inde lætiorque valetudo affulſiſſe videretur. Tantum poſſunt in corpore noſtro mutando conſueta jam, vel quæ pertinacia ægrotantis, conſuetudinis vim, à multo tempore habent, ut etiamſi fuerint deteriora, inſuetis minus (*a*) turbare ſoleant.

4. Cæterum huic ſubuculæ per aliquot noctes aſſueſcens, ſequentia in me animadverti. Mané ſurgens, grave corpus gerebam, & mœſtum diem tranſigebam. Alvus parcior ſemper, ſicciorque fiebat; urina flammea, ſudor rarus vel nullus, appetitus dejectus, proſtratæ quoque vires, facilior ad levia animi deliquia propenſio, extima cutis aridior, aſperior, calor vehementior, pruritus tamen minor, pulſus debiles, languidi obſervabantur. Sed inter cetera inexplicabilis adeo erat frigoris impatientia, ut ne minima quidem, etiam ardente Syrio, frigidiuſculæ auræ perceptionem ferre umquam poſſem, quin in imminentes catarros preſtò inciderem, atque incautè demptæ veſtis pœnas luerem.

5. Angebat quidem Periclitantis animum malorum illa ſoboles; [4.] quæ ut parva ſcintilla quid funeſti incendii præſagire videbatur. Utique poſtquam dolores quidam Rheumatici vagi, & nullibi conſiſtentes, frequens micturitio, & calens ſitis, ſomno veluti oppreſſum animum exſuſcitarunt, incitaruntque ad quærendum auxilium. Sed quid dicam, *ſom-*

(a) *Hipocrat. Section.* II. *aphor.* 50.

no devinctum, an aliud agere non valentem? Ita ſané; quippe ex una parte intolerantiam frigoris inde profectam ægrè ferebam; ex altera, ne præcipiti amictus *lanei* derelictione quidquam pejus mihi contingeret, prudenter timebam. Hinc proprium corpus, multis malis ab ejuſcemodi integumenti fotu continuato profectis, obnoxium redditum ultrò deplorabam; illinc exigua adhuc ſpe pendentem animum, atque auxilio inhiantem agebam: Donec non contemnenda methodus mentem ſuccurrit tandem, quæ huc recidere videtur. Nolui enim juxta opinionem Authoris Angli (*a*) balnea frigida adire, ut morboſæ meæ conſuetudini remedium invenirem aptum: verùm ſubuculam illam *laneam*, de qua ſupra dictum eſt, *Cap.* IV. *num.* 1. breviorem uſurpare cepi, & quàm laxiſsimè cuti inducebam, itaut femora primùm detegerem, & aeri per corporis in lecto naturalem volutationem ultro citroque poros veſtis tranſeunti viam ſternerem. Tranſactis dein aliquot noctibus, magis curtam aliam amiculam adhibui, adeo ut abdominis Regio ambienti aeri pateret, & ea ratione, inter ſindones laxè jacens, aeris impreſsiones impunè reciperet. Sed quid multis? Ut ergo paucioribus dicam, quò tutiùs, & citra corporis læſionem pravum illum induendi me morẽ deſererem, breviori in dies interula utebar, atque plures corporis partes nudabam: hinc tandem, prudenti hacce methodo eó ventũ eſt, ut recuperatis viribus, ad conſuetũ mihi, & linea materia contextum veſtimentum alacriter redierim.

6. Experientiâ autem edoctus, teſtari ſanctè poſſum, ſaltem in hiſce Regionibus, corpus obvelatum, & pannis *laneis* fotum eò meliùs perſpirare, quò tenuiores, & ſpongioſioris texturæ compaginati fuerint panni; Item quò tempeſtas anni ad calidiorem vergerit, tandem quò ceteris paribus, vehiculo calidiori ingeſto impleta priùs fuerint vaſa. Nam aliquando accidiſſe, inter experiundum memini, ut vigente etiam bruma ſumpto, & pauló largiùs in cœna epoto vino, necnon eodem veſtimento indutus, cubitum petens, ea nocte duplum perſpiraverim illius, quod Æſtatis præſertim tempore, eadem veſte munitus tranſpirare ſolebam. CA-

[a] *de Nonnatural. &c. p. m.* 246.

CAPUT V.

PRÆCEDENTIS EXPERIMENTA,

Mecanica enodans, & corollaria, circa lanæ effectus in corpore deducens

I. INnatam cunctis corporibus elaſticitatem; facultatem nimirum illam, in partibus firmis, qua figura mutata a cauſa externa propria, & inſita vi, in priſtinam redit; Quicumque admiſerit, eamdem villoſis lanæ corpuſculis facilè dabit. Hæc enim, ut oſtendit primum experimentum a nobis ſupra allatum, *Cap.* IV. §. II. *num.* 1. 2. aere, vel quocumque externo agente, pulſa diſtractaque, iterum priſtinam figuram recuperant. Porrò cum elaſticitas in hoc conſiſtat, quod exſtendi poſſint corpora, & ablata vi extendente, ad primam longitudinem denuò reverti; videtur fundamentum hujuſce corporum proprietatis eſſe tantùm nixum, quo partes minimæ fibram conſtituentes ſeſe mutuó trahunt, dum per elongationem ſuperficierum plus diſtant, manente tamen cohæſione. Hinc ſi a quocumque agente fibra fit nimis debilis, ideſt partes ejus ſeſe invicem minùs valido nexu petunt, neceſſariò minuetur elaſticitas. Hinc elaterium, robur comitatur, & minor elaſticitatis potentia inertiam in fibris, laxitatemque producit. Hanc doctrinam, quā omnes hucuſque, duce Boeravio, amplexi ſunt, multa ſanè diſſuadent, ne animalis vaſculis, tubuliſve, qua vivis, qua abſciſsis aptare poſsimus. Nam 1. etſi inanimata corpora, vel quæ ab animalibus num-

numquam deſumpta ſunt, eò firmiora cenſeantur, quò magis elaſtica fuerint, & vice verſa; non inde tamen ſequitur, eamdem legem valere in fibris noſtri corporis: dum enim diſtenditur chorda ex inteſtinis animalium, aliiſque fibroſis villis emergens, ſpatia relicta inter partium extrema elongantur; & forſan capaciora fiunt, minuitur contactus, quod idem eſt, debilitatis ſignum adeſt; interim tamen fibræ compages magis reſiſtit, & diſtenſioni validiùs renititur, quàm flaccida, & pendula.

2. Animalium canalibus ineſt quædam vis elaſtica, qua ſi paulatim ſenſimque dilatentur, & extendantur, ſenſim rurſus ſeſe attrahere valent. Aſt quemadmodum magnam, & ſubitaneam dilatationem abſque rupturæ periculo pati non poſſunt; Ita priſtinum ſtatum illicò, formamque reſumere nequeunt. Illam autem motionem elaſticitatis cum vitali motu conjungendam eſſe quis non videt? ſed quotus, quiſque eſt, qui non negabit in demortuis, & de Animalium corpore avulſis fibris motum vitalem ſupereſſe? Adeout quó fortior, & vegetior vita, eò firmior elaſticitatis niſus in animatis corporis ſolidis ſtatuendus eſſe, prima fronte videretur. Cui tamen reſpondeo: non adeo certum eſſe, tutumque ratiocinium illud, ut præſtantiſsimi *Vvodvvardi* experimentis (*a*) confutari non poſsit; quibus apertiſsimè liquet, corporis quaſcumque fibras, modó ſanguine adhuc irrorentur, licét a corpore ſeparatas, & penè emortuas, debilem tamen vitalemque motum edere. Quocirca ſi vita vegeta non conſiſtit in circulatione ſanguinis per corpus animatum, *de vita ſtrictè ſumpta loquimur*, ſi hanc ubicumque comitetur elaſticitatis niſus; ſi rurſus hæc facultas gradibus roboris fibræ non omninò conveniat, videtur idea *elaſticitatis* ab roboris conceptu cautè ſemovenda.

II. Et profectò ne in aliis rebus extra propoſitum noſtrum divagemur, crines *laneos* propiùs intueamur. Nonne puſillum *lanæ* filum nervus eſt, qui, dum animali implantatur, vita vivit, qui certatim huc ruentes arteriolas, venulaſque habet,

(a) *Geographia phyſica, o Saggio &c. p. m.* 264. *ſequent.*

bet, quæ tam cruorem, quàm laticem multiplicem & advehant, & revehant? *vide ſupra Cap.* II. *num.* 5. Nonne etiam poſt mortem, vitalibus quaſi irrigata ſuccis, pili maſſula propullulat, atque creſcit? Nonnè ut in vivo corpore aliquando contorquentur, & in cincinnos, omni elaſticitatis nota orbati, abeunt; ſic ab eodem ſubducti pili conglomerantur, & diſtenti priorem iterum figuram adipiſcuntur? Nonne *lanei* velleris crinium ſoboles eadem ad ſenſum elaſticitate [an potiùs dixerim motu vitali] gaudet? quod ergo in genere de corporibus ceteris diximus, idem de *lana* pexata & veſtiendo corpori dicata repetimus. Illudque eò faciliùs, quò inde clariús, edocemur, elaſticitatem & robur ſive in *laneis*, ſive in aliis corporis animati pilis, diverſas eſſe prorſus proprietates. Siquidem 1. Filum contortum debilius eſt iiſdem filamentis in faſciculum collectis, tum quòd non omnia ſimul trahantur filamenta; tum quòd directio tractionis obliqua ſit; tum quòd ipſa contorſio filamentis componentibus vim inferat. Sané licét primo aſpectu certum videatur, chordam, quò magis intorta eſt, eò majus pondus ſuſtinere, quia eò majorem diametrum habet, quàm diametri primigeniorum filorum: tamen acutiſsimus *Reaumur* credit, in eaque nos ſumus opinione, torquendi actionem, chordæ vim roburque multum infringere, ut qua flexione complicationeque villorum plures, debilioreſque filorum contactus rumpenti vi exponantur. Quidquid tamen ea de re ſit, quod ad *elaſticitatem* ſpectat, quantò faciliùs chorda convoluta, & in repetitos circulos abiens, quamvis languidior alia, in longitudinem protracta, diſtenta, & elongata illa fibra, priſtinam, ceſſante cauſa diſtrahente, quantò faciliùs, inquam, priorem recuperat figuram?

2. Ad gratum dein, affluentemque capillorum ornatum animum oculoſque converte, qui jucundam Puerorum quorumdam alunt comam: ut enim in cincinnos mirè circa calvariam ludentes abeunt! Ut cocleatis annulis ſinuati capilli, tamquam calamiſtro inuſtam infantilem cæſariem adornant! Quòd ſi capillorum deſcriptos cirros diducas, & elongari coegeris, cedent utique, & extendi ſe ſinent; ut tamen

poſt

poſt diductionis conatum, quàm celerrimè ad congenitam plicationem flexionemque redire videas. Jam verò quid Infantium corpore debilius, quid laxius cogitari poſsit? Adeout tenellæ huicce ætati fibras laxiores, & inertiores tribuerit *Boerhavius*. (*a*) Patet ergo, *elaſticitatem*, & robur, & viceverſa immutatam *elaſticitatem*, & inertiam fibrarum animalium, quæ pro diverſo ortu varios producunt effectus, diverſa quoque definitione eſſe donanda.

3. Notavit, quem mox citavimus, ſummus *Reaumur*, (*b*) quod quando vertibulo laxè circumducuntur fila, iſta criſpantur, & villos elaſticos undique proferunt, qui ubi ſtrictiùs, & compactiùs inter ſe uniuntur glomeranturque, mox prolabuntur, inque vicinos villos comprimuntur, amiſſa elaſticitate. Laxioris ergo fabricæ panni, fibrillis magis elaſticis muniuntur, quàm qui *fullonicam* preſsionem experti ſunt; quique proinde craſsioris ſubſtantiæ, denſioris, & fortioris contextus cenſendi ſunt: ſi verum eſt, cohæſionem & robur faſciculi, compactu multarum fibrarum in unicam maſſam, ſuperare robur omnium fibrarum. (*c*) Ratum ergo manebit, aliud eſſe corpus *elaſticum*, aliud *robuſtum*; illudque in pilis quibuſque verum eſſe, quàm quod veriſsimum.

III. Cùm ergo filorum criſpatio, capillorumque convolutiones *elaſticitatis* dotes meliùs clariùſque obtineant; *Vide ſupra* §. I. II. Videndum nunc, quibus de cauſis, quodcumque pilorum genus, & ipſa *lanea* fibra, in cincinnos evadere, atque elaſticitatis potentiam exercere poſsit. Et 1. quidem ignis occurrit, qui ſuccos humidos abſumendo, criſpationem promovet. Sic ſubodorata flamma, vel longiùs adſtans candelę accenſę capillus, cito torquetur: ſic in Ganeonibus, qui comam ſuam egregiè, & luxurioſiùs, quàm modeſtum probumque decet, nutriunt crines ferro contorti calido, vel acu ignea criſpati vibrantur. 2. Frigore mirum,

H 2 quan-

(a) *Aphor. de cognoſcend. &c.* 37. (b) *Memoires de l'Accademie des Sciences anneè* 1710. *p. m.* 505. (c) *Gorter Compend. &c. tractat.* I. *tom.* 1. §. XVI. *p. m.* 8.

quantum adjuvatur preſens elaſticitas. Nullus quippè pilus ex cutaneo corporis animalis cribro egreditur, contortus, atque elaſticus; ſed bulbilli, ex quibus pilus componitur, molles muccoſi, & tantum non diffluentes obſervantur. Verùm ſtamina pili ſubſtantiam efficientia, ubi primum cutis ſquamulas diſrupit, jam dureſcere, graci leſcere, & criſpari incipiunt. *Cap.* II. §. v. Aer deinde noſtra corpora ambiens, frigidior eſt ſanguine noſtro. Et hæc eſt cauſa *criſpaturæ* filorum pilorumque naturalis. Sed qua proportione, ex illa minima corporis particula difflatur quod humidius eſt, eó magis illa indureſcit, ut ad *fragilitatem*, quæ ſpecies debilitatis eſt, propiùs accedat. 3. ut vitrum corpus fragiliſsimum, arte ductum in filamenta ſubtiliora Araneæ filo cohæret, eſtque flexile quoquovorſum minima vi in ſpiras abſque ruptura; adeout fictitiam, ex vitro in fila ducto comam, viderit *Vanſuvieten*, (a) in qua vitrum abſque ſolutione poterat in capreolos criſpari. Ita eam eſſe cauſam puto, quare Infantibus adeo connaturales capillorum capreoli eſſe ſoleant, quòd ſcilicet ſinguli naſcentes capilli ſummè ſubtiles ſint, & infinita penè filum componentium adtenuatione in exiliſsima filamenta ducantur, adeo ut amiſſæ figuræ iterum ſuſcipiendæ omnium corporum aptiſsimi meritò habeantur. 4. Major a locis cutaneis diſtantia cauſa eſt contorſionis; eâ enim fit, ut extremitate ſua capilli, pilique omnes, illâ præprimis, quæ corpus non contingit, capreolorum ad inſtar convolvantur. Id obſervationes quotidianæ illuſtrant: longiùs enim, atque remotiùs a corpore animalis in glomerem abit *lana*, ut quo loci ab humidis fontibus, & ſuccoſa radicula §. II. diſtans, difflationi ſuarum partium favere videatur.

IV. Ratione contraria contingit, ut piloſi villi, ſive *lanei*, ſive ſerici, ſive *bombycini*, *elaſticitatem* amittant: ut I. ſi humidum inter eorumdem interſtitia abundantiùs niduletur, vel aliquo oleoſo humore laxante textilia ſaturentur; hinc chordæ humidæ minùs crinitæ ſunt; hinc qua parte exundanti cuticularibus fiſtulis, illinientique oleo patet *laneus* pilus in

ove

(a) *Tom.* I. *p. m.* 39. §. 20.

ove, ibi minùs contortus animadvertitur, & debilem elaſticitatis niſum exhibet. Si 2. Calor, liquorem in cavitate ſtaminum *lanearum* exiguiſsima contentum adhuc, *Cap.* II. §. VI. juſto fluidiorem reddiderit, undè remotior fibrillarum villoſarum, a ſe invicem locatio, & ſumma flexilitas cum impotentia reditus. Si 3. fili, pilive componentia elementa, craſsiorem truncum effecerint, qui tantum abeſt ut flecti dein, contorquerique poſsit, ut potiùs faſciculatim collectas, & laxé inter ſe unitas fibras repræſentent. Demum ſi 4. origini ſuæ propior fuerit vellus; ea quippe in parte cùm repant nervuli cutanei, & antea involucris tecti, mox pandantur, & rete poroſum *Malpighianum* dictum efficiant; videntur ſanè majorem inſenſibilis ſudationis copiam proritare. (*a*) qua emollita, pili naſcituri, vel jam nati primordia in longum potiùs educantur, quàm in breviùs cogantur.

V. Vidimus quid in *lanea* fabrica *elaſticitatem* conſtituat, quidve eamdem imminuat; *Supra* §. III. IV. Videndum nunc quid eſt quod firmioris texturæ pannos efficiat. Profectó Ars *Fullonica*, de qua ſupra, *Cap.* I. §. V. interſtitia *lanea* complendo, crineſque acervatim addenſando varium gradum firmitatis impertit. Inde enim futurum eſt, ut humidum inter partes *lanæ* contextæ reſtitans auferatur; ejuſdem elementa arctiùs ad ſe invicem compingantur; ſi quid glutinoſi in villis remanſerit, tenacius reddatur; augeatur vis attractrix inter ſolidas *lanæ* molleculas, & majore preſsionis momento pili antea recti complanentur; ſicque durius ad contactum, indumentum fiat.

VI. Ex hactenus dictis colligere eſt 1. induſia, & quodcumque veſtium genus, ex *lana* laxiùs pexa textaque factum, ad ſtimulanda cutanea vaſcula aptiſsimum eſſe: cúm enim ex omni ſuperficiei ſuæ puncto, confertiſsimas ſetas, eaſque aſſurgentes, & aculeatas ejaculent; cumque frequenti corporis circum volutati motu, momentum aliquid ad agendum concipiant; cumque tandem vix in cutis, qua longe lateque patet Area, ullum ſpatiolum concipere ſit, quod ſen-

(a) *Gorter de inſenſib. &c. Cap.* III. §. VI. *p. m.* 11.

ſenſu careat; non improbabile videtur, ſi prædicta iſtiuſmodi Induſiorum *laneorum* ſpecies, & figura cuſpidata qua inſtruitur, & rudi villorum cutaneorum contractione inter induendum, nervulos cutaneos huc affluentes, eoſque maximè ſenſibiles, *vide ſupra in hoc capite* §. II. III. ingrato quodam ſenſu afficiat, atque moleſté percellat. 2. Intelliges craſſos, & *Fullonum* opera compreſſos *pannos*, ad ſtimulandum irritandumque nervoſum genus, impares prorſus eſſe; ſed eoſdem ad frictionis vicem ſuſtinendam miré idoneos. Cùm enim fricari corpus ab alio nequit, niſi alternè prematur, & dein propria vi relaxetur, cùm pori vacuo aere pleni fricandi premendive virtute deſtituantur prorſus: patet momentum *frictionis* in corpore, quo partes fricantur, a mole, & pondere maſſæ motæ pendere. Hinc cùm pexe densè conſtructę, & pilis ſingulis in unam planam maſſam congeſtis conſtantes, pauciora vacuola obtineant, graviores, & latiores ſint, quàm qui tenui raroque, & tranſparente *laneo* textili conflatę ſunt: Liquidò patet, prioris generis veſtimenta, ſi induantur, poſterioribus, *frictionis* munus præſtantiùs obire poſſe. Inde rubedine cutem ſuffundi, & ab exutis etiam veſtibus calorem, motumque in villis oſcillantibus relinqui videmus. In ſumma acumen, quo operantur quædam veſtes ſetis erectis lædentibuſque conſtantes, *hìc* §. VI. *num.* 1. uni puncto applicatum, potiùs pungere, quâm perfricare aptum eſt. Defricant autem ea, quæ corpori detergendo admota, partes ejus immediato preſſu tangunt, preſſaſque ire, atque redire compellunt. Sed hac de re copioſiùs infra redibit ſermo. *Cap.* XII. §. IX. *in propoſition. ſecunda.*

3. Habes utriuſque ſpeciei amictus *laneos*, corpori ſuperinjectos cutem ſubditam *calefacere*; dum unius ſpeciei veſtimentis cooperta cute, ſenſitiva ejuſdem vaſcula, ab receptis intra ſe figuratis *lanæ* apicibus ſtimulata, circumfuſam nervulorum prolē ſuccutiunt, atque motum, qui princeps eſt caloris cauſa, incitāt. Accedit huc, quod credibile eſt, calorem hominis, ut aera contiguum corpori ejuſdem calefacit, (*a*) ſic contegenti tunicę calorem impertire eòque celeriùs faciliùſque, quo pan-

(a) *Boerhav. chem. tom.* 1. *p. m.* 104.

nus induſii tenuior fuerit. Quoniam verò talis veſtis corpus elaſticum eſt, ut vidimus; II. §. *ſupra 6. Coroll.* 2. idcircò poſtquam vi vitæ calefacta fuerit, ſemel ſuperinduta, poſſumus credere, diù dein retinere tales excurſus, & introcurſus in ſuis intropreſſis, & reſilientibus particulis prominentibus, & elaſticis, atque ita continuare motum ignis: Ut ſemel percuſſa chordâ diù tremores, & icta campana etiam diutiſſimè retinet undulationes ſonoras auribus percipiendas. Quem nonnulli panni *lanei* ſolo prominentium ſuorum pilorum vibratili motu calorem in corpore animali producunt; is alio genere veſtis *laneæ* craſsioris, ope ſolius affrictus generari poteſt; qui tritus, a frictione ortus, calorem dare natus eſt. In genere autem ab hac applicatione calor in corpore noſtro percipitur; ut cujus prima cauſa eſt ablatio refrigerii, dum aer corpus animalis circumalluens, utcumque arcetur. Verùm hæc fuſiùs infra ediſſeremus *Cap.* XII. §. VI. *in propoſition.* I.

4. Evincitur, quæcumque, de *lana* ortum ducunt operimenta, modò rudi partium externarum corporis contrectatione frictionis officium adimpleant, *hic* §. VI. *Coroll.* 2. variæ molis corpuſcula minima, velut quaſdam velleris tomentoſas molleculas exhalare poſſe, quæ ſenſim aggeſtæ cutis poros infarciant; quibus occluſis, non modò ſordes pingues ſupra cutis ſuperficiem collectæ manent, verùm etiam canaliculi cutanei, mora aquoſioris tranſpirationis emolliti flexilioreſque facti, debiliores evadent, quàm ut tranſpirabile extrorſum urgeant: unde utroque de nomine *Sanctoriana* difflatio, parcior, tardior, difficilior futura eſt.

VII. Experimenta numeris ſuperiùs citatis, *Cap.* IV. §. II. *num.* 3. 4. 6. allegata, communem eſſe, & anguſtiſsimis tubulis, & pannis *laneis*, ſugendi attrahendique potentiam apertiſsimè oſtendunt. Quis enim neſcit, inter minutiſsima, quæ relinquunt fibræ *laneæ*, è quibus veſtes conſtant, ſpatia humidum aſſurgere, diſpergique; ut intra tubulos capillares, & laminas proximas olei guttula, veſti ex animalium partibus affuſa, longè latequé diffunditur, & velut ab illis partibus exſugitur? Neque ad hujuſmodi *ſuctionis* apparitionem

opus

opus eſt, ut aſcenſurus liquor cavum ſyphunculi benè efformatum offendat; de quocumque enim *Philtro* deſumatur portio, oblatum liquidum ſemper trahetur, aſſurgitque ſemper. Dixi *philtro*: Plura enim proſtant corpora, quæ etſi poroſa ſint, virtute ſugendi carent omnino, niſi in capillares canaliculos conformentur. Alia dantur quamplurimis foraminibus pertuſa, nullam tubuli trahentis ſpeciem præſeferentibus; ſed quibus tamen ille ineſt ordo, ea partium configuratio, & diſpoſitio, ut *tubulorum capillarium* ritu, rapere ſurſum liquidum poſsint. Hujuſce generis ſunt veſtimenta *lanea*, & *Bombicina*, & goſsipio facta. Supponimus itaque, id veſtium genus humidum inhalare, parum ſoliciti de natura, & indole *attractionis*; an ſcilicet phenomenon ſit, cujus cauſa lateat, vel princeps, & altera poſt *Impulſionem*, omnibus innata corporibus. Neque illas de ſuctione quæſtiones attingere, Noſtra intereſt, cùm de illis alibi ſermonem inſtituerimus copioſiorem. (*a*) Latus enim hic ſeſe panderet campus, in quo lætiùs fortè quàm utilius exſpatiaretur *Oratio*. Sive ergo *lana*, & ex hac fabricata pallia, veluti totidem capillares tubi ſpectentur; *vide ſuprà* §. II., *&* *Cap.* II. §. V. VI. ſivè informem pororum maſſam attollendo liquido aptam in ſinu ſuo foveant, ut acervus arenæ, qui in ſuperficie ſuperiori, aſcendente ſurſum aquâ madere videtur: perindè enim eſt, neque fimbriis veſtium harum, aqueo humori expoſitis, omnem ſugendi liquidam virtutem nullus ſanè mentis inficias ibit. Porrò ratio *experimenti tertii* patet: nam quamvis impexa *lana*, & faſciculatim tantùm ordinata, ſeriem tubulorum anguſtiſsimorum verè *capillarium*, & juxta ſe poſitorum repræſentet; nihilo tamen minùs conſtat experientia per illam ſtaminum *lanecrum* multitudinem, ægriùs parciùſque aſſurgere liquidum, quàm ſi eadem filamenta, ut in textili *laneo* contingit, contorquerentur: tunc enim verò, contorſione illa filorum e-

venit,

(a) *Vide tractatum noſtrum de balneis animadverſion.* VIII. §. II. *num.* 3. item in tractat. *de hepat. animadverſion.* XIV. §. III. *num.* 9.

venit, ut internæ villorum cavitates, ſerpentinos offerant meatus liquido ingreſſuro; quibus viarum gyris liquidum quieſcens, addito veluti virium robore idemtidem ad ſuperiora ſtaminum loca impellatur. E contra veró, ubi *lana* filatim, & in longitudinem ducta aquam tangit, aquæ V. G. jam elevata columnula, gravante & deorſum pellente ſuo pondere, nequit amplius attolli, ſed fatiſcente quaſi aſcenſionis efficacia, mole ſua corruit. Quod verò humecta fimbriâ *lanea* citiùs emergat ſupra libellam liquor, quam per eamdem *lanam* ſiccatam, id ex quadam analogia proficiſcitur contenti in interſtitiis *lanei* panni liquoris, cùm aſcenſuro: eadem qua videmus ratione, vaſi oleo, & vino pleno, ſi immergantur panni cujuslibet *laciniæ*, quarum una oleo, altera vino imbuta fuerit, priori oleum non vinum, poſteriori autem vinum non oleum adhærere: qua etiam conſtat, binas aquæ guttulas, inter ſe citiùs faciliùſque coire, quam cum aliis exoticis corporibus. Quando autem *Analogiæ* nomen uſurpamus, phenomenon intelligimus, cujus rationem, & cauſam profundè nos ignorare non diffitemur.

VIII. Ratio quarti experimenti, *vide ſupra cap.* IV. §. II. ex eo erui debet, quod eodem manente *laneæ* compagis pondere, ſi ſuperficies eodem tempore creſcat, pori canaliculorum ſugentium indolem æmulantes naſcantur quamplurimi; utpote quod in tali caſu elementa *lanæ* ſolida debiliori inter ſe cohærentiâ donata, magiſque a ſe diſtanſtia vacuola variè intorta relinquant, abripiendis intra ſe liquidis idonea; docent enim præfata a nobis ſupra, *Cap.* I. §. III. IV. V. ex filamentis, ſtaminibuſque *lanæ* primigeniis, multifariã intertextis, & fabrica, telæ *laneæ* cõponi primordia, atque ex iis filis majores, eoſque denſiores, laxioreſve filorum faſciculos prodire, ex quibus demum arte plicatis, ac contortis ad opus intextum poliri, abſolvique vellera. Sed illa filamenta ſibi invicem adprimi nequeunt, quin interſtitia, meatus, poroſitateſque intercipiant eò majores, vel potiùs numeroſiores, quò rarior contextus latiorem ejuſdem panni copioſiori humido exſugendo parem ſuperficiem obtulerit. Dixi, *numeroſiores*, quippe corpus omne non ideo magis *po-*

roſum cenſetur, quia poros patentiores habet; interſtitiorum canaliculorumque quidem copia ſæpè compenſat, imò excedit in hoc, eorumdem magnitudinem in alio corpore. Obturaculum ex ſubere factum, quantacumque vi collo lagenæ indatur, & comprimatur, non ideo denſius, magiſque compactum evaderet, quàm ſi ex ligno quolibet conſtrueretur: poris ergo ſuberis major ineſt capacitas; & tamen nihil proprium, vel coercendis halitibus, ex liquore in lagena contento emiſsis, conducibilius eſt, eodem obturaculo ex ſuberina ſubſtantia conſtructo. Veroſimilius ergo videtur, pororum in alterutro obturaculo amplitudinē, ab horum frequentia in altero ſuppleri. Quando *Aqua Regia*, quæ aurum diſſolvit in minima, argenti foramina reſpuit; diceſne qui hæc intueris, argenti corpus apertiores meatus gerere, quàm aurum? Si ita ſe res habet, cur ergo atomis menſtrui prædicti, quibus in denſiſsimum aurum patet aditus, iiſdem in multó flaccidiorem argenti fabricam prohibetur ingreſſus? (*a*) An non præſtat, conſertiores eſſe, & numeroſiores argenti ſpiracula aſſerere, neque forté illis cognatos, qui in auri ſubſtantia continentur? Simile quid accidere arbitror, dum intacta duarum *lanearum* portionum latitudine, vel dimenſione, adauctum pondus, majorem humidi copiam ſuctu elicit, ut in experimento præſenti oſtenſum eſt. Quippe quamquam, propter majorem panni gravitatem, corpuſcula *lanea* ad ſe propiùs accedentia foramina ſtrictiora habere videantur; poſſunt ea tamen ad incredibilem copiam aſſurgere, quo impreſſis ſuctiſque humoribus, ſi non amplitudinis, at ſaltem frequentiæ pororum reſpectu, majus ſpatium concedatur.

IX. Si autem Goſsipium crudum cum infecta ſuccidaque *lana* comparemus, inde recto adhibito ratiocinio detegemus, goſsipii compagem laxiorem, molliorem, ſpongioſioremque eſſe non modò, verùm etiam villis ſummè cedentibus, flexibilibuſque conſtrui: hinc duo ſequi videntur. 1. Quod ratione majoris apertionis pororum, hauſtum humidum non retineat, ſed vel debilius attollat, vel imbibitum, continuó elabi

[a] *Nollet: leçons de Phiſique tom.* I. *p. m.* 110. *ſequent.*

elabi è ſuo gremio ſinat. *hìc* §. VIII. Quod 2. ſumma qua goſsypium pollet, præ *lana* villoſitate in apicibus filorum ſuorum externè prominentium, tenuiſsimam humidi partem Roris ad inſtar coerceat, quin ad ulteriora, & interiora adire eamdem permittat. In *lana* verò etſi villi undequaque, ſetarum more, eleventur, penetrantem vaporem arcentes; *Cap.* I. §. III. probabile tamen videtur, poſt indicatum experimentum, *hìc num.* 6. *ad* §. II. eos non ità uberiores eſſe ac un *Xyllo*, ubi denſiſsimo eorumdem agmine, ſuctioni oblatæ fortè humidi partes, in externis apicibus retinentur: non abſimili ratione, qua roriferæ aquæ guttulæ ſuper tomentoſam foliorum quorumdam faciem ſolitariæ ſtare, vel inter ſe coeuntes, grandiores guttarum orbiculos formare videntur, ſicca penitùs ſubjecta folii ſubſtantia manente. Indé patet ratio ad experimentum ſexto loco ſuprà recenſitum.

X. Ex hucuſque dictis colligere eſt: *hìc* §. VII. VIII. IX. 1. Cujuſcumque ſpeciei amictus *laneos* trahere humidum; laxiores equidem minus, quam denſiores; & inter poſteriores magis eos imbibere, qui *Fullonum* officinis extracti graviores in ſpecie evaſerint; vel qui tortis, diductiſque ſtaminibus, quæ innumerabilia ſpatiola comprehendunt, contexti cernuntur.

2. Ex ſuppoſita ſpongioſa pannorum *laneorum* textura, ea qua hìc explicavimus ratione; §. VIII. IX. operimenta corporis indè confecta, in aquam immerſa, vel vapori expoſita, ex liquoris imbibitione, illicò tumefieri.

3. Patere indè §. X. *Coroll.* 2. viam ab una panni facie, ad alteram; cùm liquidum a porulis ſtaminum alterutram panni faciem nectentium emiſſum, in objectam, & averſam, poruliſque pertuſam alteram, nullo repugnante incurrat, atque ſeſe inſinuet: eodem prorſus modo, quo videmus loca, aquæ-ductibus ſubterraneis proxima humeſcere; quod ſupponit neceſſariò inconſpicuas aquæ atomos illorum canalium meatus tacitè pervadere: quo cernimus, arenam aggeſtam inferiùs madidam, in ſumma actutum ſua ſuperficie humectari. Itaque in caſu noſtro nihil impedit quominus te-

nuiſsimæ Lympharum partes per pannorum ductus, quaſi totidem ſpiramenta, ultrò citroque meantes trajiciantur.

4. Poſita illa trajectione *Coroll.* 3. abſorpti cujuſcumque liquidi, ſi pannus concutiatur, nihil quidquam humidi reddere cernitur; ſed ſi *Texta ex goſſipio* vel *lana* toto ſuo vellere inſtructa, facta agitentur, adhærens humidum inſpergunt, redduntque; adeo ut ſi ſummis digitis contrectentur, liquorem dimittant, quàm facillimè, dum in internis partibus nihil adhuc humiditatis inſpiraſſe videantur. Dum autem eodem villoſo cortice exuti *Panni* ad trahendum liquidum uſurpantur, altiùs idem combibunt, neque adeo facilè eructant.

XI. Quinti experimenti in eo capite recenſiti *Cap.* IV. §. II. ratio patet conſideranti, in rariori pannorum fabrica, villos, utpote magis contortos, *Cap.* I. §. IV. majori *elaſticitatis* niſu gaudere. *hìc* §. III. Hinc ubi a prelo comprimente ſemel liberati fuerint, rurſus a ſe invicem recedent; & poros, quos Tubis ſupra comparavimus *capillaribus*, *hìc* §. VII. capaciores exhibent, arripiendis, coercendiſque intra ſe aſſurgentibus liquidi globulis impares. Quippe clarum eſt, liquoris elevationem in tubulis eſſe, in ratione diametri canaliculorum inverſa. (*a*) Quoties verò Torculari craſsior pannus *laneus* exprimendus offertur; quoniam penicilli, & crinium *laneorum* glomeres comprimuntur undequaque, neque tanta elaſticitate, quanta opus eſt ad reſiliendum donentur: *Cap. ſupra* IV. §. II., *&* *hìc* §. IV. fit, ut interſtitiorum, vel ſyphunculorum ſugentium cavitates tantillæ exactè impleantur, in arctiora ſpatia poruli cogantur, & diametrorum figuræ anguſtiores evadant; verbo maſſa tota magis conſolidetur, & prior panni moles, multùm imminuta appareat. Qua equidem obſervatione certum habetur, quantitatem tubulorum imbibentium in craſsiori, & magis compacto panno, per vim humidum exprimentem, majorem fieri; adeoque partes aquæ, adjuvante fluoris ponderiſque potentia per tubulos *illius panni* facillimè admitti, & tranſuda-

[a] *Nollet. ibid. tom.* II. *p. m.* 406.

dare, admiſſas autem difficillimè indè effluere, expellive poſſe.

XII. De facultate autem nigri *Panni*, ſupra memorata, *hìc* §. V., non eſt quod hìc rationem ſubjiciamus. Unus ad inſtar omnium ſufficiet nobis Boerhavius inclytus. Ille enim expertus eſt; ignem a Sole determinatum, corporibus nigerrimis, quæ reperiuntur, ſi excipitur, impreſſum hærere una cum ſuo calore in iis diù retentum. Obſervavit etiam quod ſi veſtis exterior candida ſit urente Sole, accumbens, corpus quàm optimè ab æſtu defendit; ubi contra nigra veſtimenta, ſuffocante calore idem infeſtant. Sed & notabile eſt obſervatum, inquit, (*a*) eorum qui *Pannos de lana conficiendo, victum quæritant, quod ſi eodem tempore, & loco madidi ii ſuſpenduntur ad eumdem Solem, Ater illicò calebit, fumabit, exſiccabitur; candidus quàm diutiſſimè aquam ſuam detinebit; reliqui verò tantò iterum deſiccabuntur lentiùs, quò calore vivaciore fulgent*. Hactenus vir ille, cujus effata, licèt ſolis obſervationibus innixa ſint, ratione tamen non carent, quam nos in ſequentibus, ubi de colore *Pannorum laneorum* ediſſeremus, retegere conabimur.

XIII. Ex notatis modò §. XI. XII. intelligi poteſt 1. quare in univerſum præſtat denſiorem *laneam* veſtem, quam delicatiorem, & contextus ſpongioſoris, ſibi inducere. Prior enim plus a corpore animali ſubtùs exhalante ſugit, minus verò humidi excutit. Poſterior autem, quod aſſumpſit ſemel, facili de cauſa è porulis ſuis elabi permittit; quòd ſi poros cutaneos, ut ſemper fit, apertos inveniat, nullo negotio iiſdem humidum immittit, cum ſubſequenti auctæ corporis humiditatis noxâ. Deinceps 2. ſcitur, cur ceteris paribus, veſtimentis *lanam* rudiorem excipientibus, tantò faciliùs, & citiùs perſpirabilis jacturam experiamur, quantò illa nigriori *colore* fuerint imbuta. Nam talia indumenta longè citiùs calent ab eodem corpore animali; imò quoque, & fortiùs incaleſcunt per vitalem ignem; omnium etiam citiſsimè exſiccantur, ubi aqua, vel aquea animali evaporatione fuerint madeſacta, quod obſervatis quotidianis conſtat.

XIV. Alteram experimentorum claſſem, quæ in me, ipſe

[a] *Chem. tom.* I. *experient.* XIII. *p. m.* 117.

cepi, jam tempus eſt; ut explicandam aggrediar. Fatendum quippe eſt, *experientia duce*, calidiorem *aerem* humidiora corporis noſtri abſumere, adeoque clareſcere *a poſteriori* rationem, qua in experimento ſuperiori, *Cap.* IV. *Experim.* I. *ad* §. IV. abſorptum ab Induſio *laneo* ſudore, circumfuſus ambientis calor adeo hauriebat, ut rectum inde de inſenſibilis tranſpirationis copia judicium ferri minimè poſſem. At veró hujuſce phenomeni, ſi *a priori* ut ajunt, ratio indagetur, oportet aeris circumſtantis maſſam, velut ſpongiam conſiderare ad ſuctionem liquidorum comparatam. Neque enim aerem fluidum eſſe compreſsibile negabis umquam. Quamcumque figuram ejuſdem ſpiris impertias, numquam illæ inter ſe conjungentur ita, ut inania ſpatia excludant. Adſunt ergo per totam fluidi aerei maſſam, ſpatiola ſe mutuò excipientia, continua, & ex quibus tubulorum quorumdam congeries emergit, variè contortorum, plus minuſve implicatorum, & in diverſa anni tempeſtate *Capillarium* munus obeuntium, juxta diverſam aeris denſitatem, atque demum multiformi materia replendorum. Non mirum ergo ſi aer corporis noſtri, dum *lana* ſe induit, reſpectu, canaliculorum capillarium (*a*) vicem ſupplendo, trans *lanei* tegumenti ſpiracula means, exſudantem halitum abſorbeat, illumque diſsipando, corpus adſiccet. Quod ſi non placet ratio *abſorptionis* in aere, ex indole, & proprietate *tubulorum capillarium* deſumpta, aliam ineamus, quæ ab alio fonte deducitur; nimirum ut ignis elementa corporum a ſe invicem removet, & ipſa metalla in omnibus ſuis particulis recedere cogit; ſic aerem rariorem efficit, capaciorem, vacuolis ingentibus conſpicuum: hinc talis aer corpori adplicatus, unde non levi virium momento perſpirabile effertur, villos *lanæ* pervadit, promptiùs copioſiúſqe halitus recipit, & quoquovorſum diffundit.

XV. Deduces inde 1. adſpirationẽ hujuſmodi aeris creſcere in ratione ejuſdem caloris: Quamvis enim nemo in aere ſe ipſo calidiori vivere poſsit, idem tamen aer juſto calidior aliquando notatur, quàm ad rectè tuendam valetudinem requiritur.

(a) *Nollet Leçons de Phiſique tom.* II. *num.* 1. *p. m.* 440. 445:

ritur. In quo caſu, eodem integumento *laneo* carne velata, conditiones memoratæ adaugentur, *hìc* §. XIV. & aer ad abſorbendum è *lana*, quidquid halituoſum eidem inhęſerit, aptior futurus eſt.

2. Emiſsionē difflationis inſēſibilis trans filamēta indutæ *lanæ*, & ejuſdem diſpendium per vaſtum aera, adaugenda fore ceteris paribus, prout corpus tenuiori rariorique veſte veſtitum fuerit. Elati enim e corpore jugi ploratu vapores, cúm per ampliores, ut ſupponuntur, *lanæ* meatus tranſeant, nulli parti villorum adhærent; ſed ut ſunt volatiles, & quietis neſcii, nec ab inanibus ſpatiis coerciti, ſimul atque effluunt, nulla morâ in diffuſum aera ſparguntur.

3. Imminuendam pari paſſu iſtam inconſpicuam ſudationem, & abſorptionem ex parte aeris, quò *pannus laneus* magis fuerit craſſus. Quo enim momento materia perſpirationis per villos aditum in aera quęrit, eodem, variè complicata fibrillarum *lanearum* ſtamina impingit, egreſſum lapſumque morantia; indè difficilius avolat, & deperditur, ſed per laterales ſinus, & fabricæ cuniculos pergens, *pannum*, *Confer. hìc* §. XI. magis humectat.

4. Aerem calidiorem, ex ſaturatis exhalante materia veſtimentis, eó magis auferre, quo illa materia volatilior fuerit, & ipſi aeri miſcibilis, minus verò abſorbere, quo perſpirabile, ad fixiorem indolem vergerit. Perſpirationis enim animalis aliqua pars levior avolat, ponderoſa verò adhæret, inquit Sanctorius; (*a*) levior item perſpirationis materies ſolo afflatu coinquinat, ut in *Morbilloſis*, *Varioloſis*, *Peſtilentialibus*, *Endemicis* morbis videre eſt; gravior autem, & craſsior, immediato attactu ſanos inficit, ut in *Lue venerea*, *Scabie &c.* hinc *panni lanei* denſiores, dum omne perſpirationis craſsius, & majorem partem tenuioris retinent, *Corol.* III. ad propagandam corporis infectionem in Sanos aptiores videntur.

5. Non ideo tamen cenſendum eſſe, *pannos laneos*, rariùs laxiùſque contextos, omnem quam in ſe receperunt ſemi-

---

[a] *Aphor. ſtatic.* 75. 76. 77. *edition. Gorter.*

minii inquinantis materiem; in circumſitum aera evomere. Etiamſi enim virulentum miaſma, corpore emiſſum per villorum *laneorum* intercapedines liberè, volatile cum ſit, permeet, videndum an aer, cùm illo cognationis analogięque fœnus habeat. Compertum enim eſt, poroſa corpora non omnia indifferenter attrahere. Aurum duriſsimum attrahit hydrargirum; Lapis Magnes, ferrum: ſed ſpongia rariſsima, nec ferrum, neque hydrargirum allicit trahitque. Quare fieri poteſt, ut aeris ſpongioſum corpus halitibus imbibendis peſtiferis, quamvis ſummè volatilibus, ineptum ſit, quo tempore longè craſsiores molleculas, ex Regno triplici eductas, intra loculos ſuos coercet.

6. Inferes tandem quid ſentiendum ſit de iis, qui Phtiſicorum Peſte, & ſimilibus morbis correptorum veſtimenta ſola præmiſſa ventilatione purgari, mundarique poſſe cẽſent, ut abſque ſanitatis detrimento a Sanis dein impunè geſtari poſſe arbitrentur. Errant enim toto Cœlo, neque Concivium ſuorum tutelæ ſtudent ex animo: tum quòd ob indefinitam materiæ diviſibilitatem, etiamſi continui miaſmatum ab infecto integumento prodeant rivuli, non avolant tamen ut in totum eoſdem abſumi poſſe credamus. Exemplo ſunt odores, qui illęſo plerumque odoriferi pondere diutiſsimè ex eodem exhalant in aera; Tum quod ex dictis, *hìc Corollar.* 5. non omnes, & cujuſcumque generis atomos promiſcuè allicit aer; quare effluviis v. g. peſtilentialibus parcere poteſt, quin eadem combibat, inque Sanorum corpora derivet; Exemplo ſunt Merces infectæ, virus peſtilentiale diu foventes, non obſtante ſuffitione, quæ in hiſce caſibus fieri ſolet. Sed hæc prolixiùs infra ediſſerentur. *Cap.* XI.

XVI. Poſtquam primi periculi a nobis tentati æthiologiam dedimus, ad explicationem ſimptomatũ, quæ primos geſtę *lanę* dies comitabantur, accedamus; quæ ſi attentiori animo perſcrutentur, ſuppreſſam ex indumento hoc, corporis ſalubrem perſpirationem oſtendent univerſa. Inde ex cohibito illo ſalutari effluxu augetur ultra modum in vaſis fluidorum moles. Sed inde potiſsimùm afficiuntur vaſa ſanguinea, quód moles ſanguinis cutanei, quæ priùs ob jacturam portionis per hia-

tus

tus cutaneos plurimùm imminuta per venas ad cor revehebatur, nunc ferme tota, quæ per arterias ad cutem appulit, ad cor reducitur. Inde difficulter tranſeunte cruore ob ſui orgaſmum, cutaneorum canaliculorum diſtenſio, & a moleſto calore, ingrata nervulorum intertextorum vellicatio oritur, *pruritum & ardorem* ſiſtens. Retenta dein acri illa evacuationis *Sanctorianæ* materia, tota turbatur machina, cùm per diverſos corporis alveos ingreſſa, & diverſis laticibus immixta, eoſdem in abnormes motus cieat. Ex lege poſtea unionis irregulari facta, ut in cute ſic in reliquis locis ſanguinis circulatione, hujus ita abruptæ, interciſæ, & inæqualis infortunia magis in cerebro, partibuſque vicinis manifeſtantur; unde inordinatus ſpirituum motus, & exleges eorumdem in organa ſenſuum undulationes. Sed præprimis ad Renum vaſcula, & veſicam, noxæ impetus fluidorum decurrentium manifeſtæ ſunt ex eo, quod ibi ſuppoſita acris perſpirabilis retenti intima cum ſanguine ejuſque ſero unione, advocato dein impenſiori partium illarum calore per totum aſperioris durioriſque ſolito operimenti, vix fieri poſsit, quin urina, ſponte acris, acrior inde effecta, loca, per quæ tranſitura erat, ad *Dyſuriam* uſque ſtimularet. Porrò veſiculæ ſeminales adſitæ fervorem, & calorem vicinum immoderatum conceperunt, unde expanſo ſemine, & turgentibus ejuſdem conceptaculis, præ nimio æſtu, ille ſpirituum ad ſenſorium commune refluxus factus eſt, qui Veneris illecebram in ſimili caſu reluctanti, & Chriſtianæ etiam menti obtrudere conſuevit. De reliquo, ſive *arteriarum* temporalium pulſationem inſolitam, ſive natam inde *coryzam* ſpectes, ubique videbis & tumentes citatoſque ſanguinis illac prætereuntis fluctus, & lateralium lymphaticorum mucum excernentium ab tumefactis pleniori ſanguine *Narium* vaſis tumultuariam compreſsionem; indeque Naturam corporis tutelæ invigilantem ita admiraberis, ut quòd ſalubri in tali caſu perſpiratione, ex emiſſariis cutaneis dilatatis, expanſis, & multifariam vellicatis effluere deſiit, benigna urinæ largiùs fluentis compenſatione ſupplere tentaverit. Non enim exactè, & ſatis *urina* profluxit, ut ſenſationem *gravitatis* inde ortam in corpore ſuſtule-

ſtulerit; vel ſi urinæ copia quantitatem ſolitam tranſpirationis æquavit, gravitatis ille ſenſus ad ſpirituum in illa corporis turba imminutionem, & vigiliam vires diſpergentem potiùs, quàm ad aliam cauſam referri & poteſt, & debet.

XVII. Colliges inde, ſubuculas iſtiuſmodi inter auxilia dietetica recenſendas meritò eſſe, quæ *Calefacientium*, *Moventium*, *Stimulantium* titulo, & virtute pollent. Nam quòd poſtremam ſtimulandi efficaciam adtinet, quæ villis *laneis* congenita eſt, nihil addere intereſt, poſtquam ea res in ſuperioribus noſtris, *Cap.* II. §. VII., *&* *hìc* §. VI. *per totum*, luculenter comprobata fuerit.

XVIII. Quò autem eventus, ſupra recenſiti phenomeni, *vide Experim.* 3. *ad* §. III. *in Cap.* 10., ratio reddatur, adnotandum volo, eum non tantùm cutis propriæ ſordibus, quàm contractæ conſuetudini eſſe tribuendum. Neque enim cute contaminata, in totum ſupprimi inſenſibilem corporis difflationem crediderim; cúm & in ſecunda quoque valetudine fruentibus, vix perfectè illa nitida, & deterſa obſervetur. Porro cùm ob inſolitum veſtimenti genus, tenera in ambitu vaſcula antea ſtringerentur, & pluribus contracta modis morboſas illas noxas inferrent, de quibus mox actum eſt; XVI. XVII. dein autem ob diutinum veſtis *laneæ* uſum, tali tenſioni, & motui aſſueverant, ut retento intùs perſpirabili exeundi libertatem conceſſerint; inde factum eſt, ut optima evaderet *Sanctoriana perſpiratio*, atque liquidorum facilis fluxus, canalium permeabilitas, liquorum in alienos canales aberrantium felices reditus, & per laxatam cutem fauſtus exitus, tutam, malorum ab fluidi ſtaſibus ortorum diſsipationem prædicerent. Sed, & præprimis *lætitia* inde ſubſequens *&* *agilitatem veram corporis*, *&* *agilitatem ad ſenſum* pro cauſa agnoſcit. Levitas enim, ſive membrorum *ad ſenſum* agilitas, non ſemper exigit evacuationem: cùm ad ſtateram abſque imminuto pondere, numquam levius reddatur corpus. Sufficit ergo ſpirituum excitatio ad dexteritatem hanc producendam. In caſu autem noſtro adfuit inſenſibilis egeſtionis, quæ materiam ponderoſam ablegat, reſtitutio; unde corpus ad Staeteram *levius* fuit inventum. Verùm ex conſpiratione anim-

corporiſque functionum factum eſt, ut *leviori* reddito corpore, & humorum maſſa multò liberiùs circulante, ſpiritus animales vividiùs propellerentur; quare recuperatæ, merentis quaſi languentiſque animæ vires, torpidos antea oppreſſoſque, retentæ perſpirationis pondere, ſpiritus inſtigarunt, incitaruntque, ita ut *agilitatem* ad ſenſum produxerint, & moderato animum oblectamento gaudioque perfuderint.

XIX. Fidelis illa obſervatio memorata ſuperiori loco III. *ad num.* 4. *Cap.* IV. ſummam liquidorum tenacitatem, quam continuata villoſi Tegminis uſurpatio induxerat, oſtendere videtur. Quandoquidem ſi vaſculorum modica, eaque non interrupta tenſio, ultima corporis ſecretiora calefaciendo, & ſiccando, ſuperfluos abſumit humores, fovetque ſpirituum naturam, quietis & ocii impatientem, unde corporis *levitas* mentiſque alacritas petuntur: [XVIII.] ubi autem propter diuturnum, & pravum indumenti morem, inſolitam patiuntur tenſionem, & liquida nimis adtenuantur, facillimé hinc per quoſcumque ductus effluxura; fit ut plus ſolito humor corpore decedat, & boni quoque humores auferantur. Accedit, quòd opportuna veſtimenti *lanei* geſtatione, frigoris acceſſus prohibetur, vapor ex cutis animalis manans, laneis ſtaminibus ſuper incumbentibus *hìc* §. VII. VIII. IX. X. coercetur, externa tubulorum excretoriorum ſuperficies ſervatur laxa, & oſcula aperta. Verùm ſi hujuſmodi liquidi conſumptio, eadem manente causa, perſeveret, calidiori circumfluo aere, vel ſicciori, continuo deperdetur humor ille *Cap.* IV. §. III. *num.* I. & nimis citò, ſic ut deſiccentur pori bibuli, & expirantes, cutiſque fiat magis dura, & ab eodem impetu non aperiantur ut priùs, tenuiſsima exhalantia vaſcula. Sed quid dicam *ab eodem impetu*? fallor; Fracta enim vi cordis, ob detractam liquidi copiam ejus cava ſubeuntis, accidit, ut viſcidiores redditi ſucci tardiùs, difficiliùſque per canales trudantur; inde ægriùs ad cutem perveniant, quamobrem liquido humectante deſtituta vaſcula, concepto calore immoderato, areſcent. *Pruritus fere nullus* animadvertitur; non quòd liquidum blandius evaſerit, ſed quòd ad exiliſsimos cutis ductus ſtimulandos, ob ſui lento-

 rem

rem pertingere nequeat. Inſuper liquidi tenuioris, blandique jugi & copioſa exhalatione, atque ex inſtituto inter corporis evacuationes commercio, adauctâ ut una, alteram imminui neceſſe ſit, proveniunt, & *evacuationis alvinæ parcitas*, *&* *urinæ ardor*, *&* *ſudoris raritas*, *&* *appetitus dejectio*. Porro, dejectis uberiori perſpiratu viribus, & fatiſcente cordis potentia motrice, pulſus debiles, & exiles emicuere, qui alternatam illam conſtantemque in cava cordis humorum confluentiũ, indeque effluentiũ actionẽ, brevi ſufflaminandam eſſe ad ſyncopis apparatũ inducendũ oſtenderent. *Impatientiam autem frigoris*, omni fide ſuperiorem, ex eo cenſemus, quòd nimia ralaxatione emolliti villi cutanei, & in perpetuo tamquam balneo vaporoſo conſtituti, vel leviſsimæ auræ frigidiuſculæ incurſum ea ratione ferre recuſent, qua omnis inſtantanea mutatio perniciem afferre Cunctis videtur. Quo enim canales animati molliores, & teneriores ſunt, ut in Delicatulis, & umbratilem vitam degentibus evenit, eo difficiliùs aeris externi impreſsiones tolerare conſueſcunt: indè momentum contractionis, & dilatationis ab alterno aeris incurſu, qui modò frigidus, modò calidus eſt, notabiliorem, & ſenſibiliorem effectum, producturum eſt in tali mollitie, & ita dicam vaſculorum *ignaviâ*. Sed quò animalis canales in eodem ſitu pertinaciùs quieſcunt, eò majori labore ad aliam poſitionem contendunt, ſeſeque reſtituunt: inde ergo *frigoris*, quamvis inſenſibilis, moleſta nimis ſenſatio eſt his, qui *pannis laneis*, diutiùs quám par eſt, cutem ſuam foverint; quòd ſcilicet diutiſsimè humectata cutis, & exquiſitiſsimo ſenſu donata, frigidi ſtimulantis coarctationem quaſi a longe prævideat.

XX. Præceptum inde proponitur aſciſcendæ & conſervandæ conſuetudinis, exemplo *veſtimentorum laneorum*; Si enim non temeré, & certa ſub cautela iiſdem utamur, vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, quin fructum inſignem in morbis, quibus competunt, inde colligamus: ſi verò eadem cum virium, ſanitatiſque offenſa geri, quamvis ſolita, & conſueta ſint, deprehendamus, ſubitò de hiſce mutandis cogitare debemus. Licèt enim, ut dixi, ratione *contractæ conſuetudinis*,

& lon-

& longo uſu, congrua, & amica naturæ facta eſſe videantur, cùm tamen contra *Naturam*, continuata reddantur, tantùm abeſt ut harum veſtium conſuetudo retineri, quin potius omninó amoveri debeat.

XXI. Ad cunctas res nonnaturales, *quæ & morborum cauſæ, & ſanitatis præſidia audiunt*, pertinet, quod numero ſequenti *ſupra ibid. num.* 5. protulimus periculum: ſi enim magna fiat, ſubitaque ab una in aliam inſtitutionem mutatio, vix fieri poteſt, quin corpus aliquem indè concipiat morbum: ſenſim ergo, & modicè mutationes omnes in corpore noſtro fieri optandum aut procurandum eſt. Qua uſus methodo, ut pravã illam *conſuetudinem* procul arcerem, non *aquę frigidæ* me commiſi; ea enim deliberatio plurimum difficultatis laboriſque habuiſſet, & morbos mihi peperiſſet: ſed paulatim, & quaſi per gradus detectis corporis partibus, eaſdem aeris externi injuriis ita confirmari curabam, ut moderata, & tempeſtiva habitę dudum *conſuetudinis* permutatione, priſtinum valetudinis ſtatum recuperaverim. Memor legum divini Senis, qui omnem ſubitaneam immigrationem damnat. (*a*) Nam præterquamquod illa medendi norma tuta, & ſecura vulgò, & jure cenſetur, ſi in principiis morbi cujuſvis idea non omninò pateat, per haſce innoxias moras tandem eluceſcet, & quid opus eſt facto citra hęſitationem indicabit. Quæ omnia in me ipſo expertus ſum; cùm enim ob tardigradum fluidorum motum, conceptamque ſoccordiam in fibris muſcularibus *rheumatici dolores* vexare incepiſſent; cùm ob ingentem humidi diſsipationem, ſitis permoleſta urgeret, & febrilis velut calor, pravam *illam conſuetudinem* in aliam, & *naturæ* magis conſonam, vertendam eſſe admoneret; Cùmque demum feſtinationem omnem, ut in omni alia agendi ratione, ſic in medicina faciunda, improvidam, & cæcam eſſe ſcirem: præmonſtratam artem conſultò amplexus ſum, ut quæ, retuſa vi aeris occurſantis, vel congruo ejuſdem in delicatiſsimas cutis fibras impetu, molliùs villos feriendo, contraxerit, & æconomiam animalem inſenſi-

[a] *Section.* II. *Aphor.* 51.

ſenſibili, & cauta illa veſtium mutatione, recreatam inſtauravit.

XXII. Cur autem, *quòd poſtremo loco enarravimus experimentum* ſubuculæ, ut & aliarum veſtium *lanearum* tenuitas; tempeſtatis anni calor, & liquidi calentiſque vehiculi potus, perſpirationem, quam efficiunt indumenta iſtiuſmodi, promoveant, non arduum eſt exponere. Nam 1. certum eſt, *veſtes lanigeras* tenuiùs delicatiùſque cohęrentes, villos magis extantes, & a ſe longé diſsitos habere; hinc ſive quòd cum molliores ad tactum ſint, arctiùs ſubjecta circumambiant ſolida, quæ idcircò meliùs perſpirant; ſive quòd ad pungendum ſenſitiva cutis nervea vaſcula aptiores ſint, undè affluxus humorum ad corporis habitum copioſior; ſivè quód, cùm amplioribus hiatibus dehiſcant, illectum in corpus humidum, velociùs abliguriant: perindè inquam eſt; ſemper enim abundantior futura eſt inſenſibilis materiæ difflatio: 2. Quamvis non me lateat, corpus in aere frigido veſte protectum, plus perſpirare, quàm nudatum in aere calido; (*b*) nulli tamen dubium eſſe poteſt, quin ceteris paribus æſtate plus expiret corpus, quam hieme, undè ratio anni temporis habenda eſt. Tandem 3. ſi aer calidus eſt, ſi eodem tempore *lanâ* veſtitus homo incedit; ſed materia per cutis ſiphunculos eliminanda glutinoſior eſt, quàm ut in minimas, & halituoſas molleculas ſecedere queat; tunc fruſtra ſalubrem tranſpirationem ab hujuſce veſtimenti genere ſperabis. Prima enim conditio ad tutam *perſpirationem* eſt, ut humor probè elaboratus ſit, quò huic excretioni aptus evadat. Illud autem ægregiè præſtant calida liquida internè ſumpta, quæ cohęſionem mollecularum fluidi tollant, æquabilitatem circulationi reſtituant, craſſa diluant, & attenuent, & futuræ per corporis habitum exhalationi, felici cum ſucceſsu coaptent. Norunt Practici.

CAPUT

[a] *Gorter. de inſenſib. &c. Cap.* XI. §. XXXVI.

CAPUT VI.

QUID SUDOR, ET TRANSPIRATIONIS MATERIA,

pro diverſa Indole, contaminandis Laneis *veſtibus, coloratis conferant, exponere.*

I. REliquum nunc eſt, ut explicemus, quo pacto cutis Animalis diverſæ Aſpirationes, tam ex ſudore idemtidem inde erumpente, quàm ex perenni *Sanctoriana tranſpiratione* proficiſcentes ad varia ſuperinjectæ nudato corpori *lanæ* vitia inducenda poſsint. Quod ſanè Rei quam tractamus præcipuum, & inſigne caput, ut pro virili enodemus, juvat ſedulò ſudorem multiplicem, & tranſpirationem, ſive penès motum, & quietem, ſive penès varia componentia diverſam, excutere primùm, quo dein clariùs dicenda innoteſcant. Enim verò, cùm perſpirabile in ſingulis ſuis partibus non eamdem indolem ſervet, ſed ex variis humani corporis humoribus coagmentatum ſit; liquet effluvia ex liquidorum maſſa prodeuntia, non quidem promiſcuè in ſingulis individuis, juxta diverſa temperamenta, & diſsimilia Regionum; victus &c. genera ejuſdem omninò eſſe naturæ; ſed inter ſe longè diverſam componentium naturam adepta, varias, ſecundùm diſsimiles, quibus conſtant, vel inficiuntur liquidorum qualitates, atque difformes mixtionum gradus, ægritudines iis inurere poſſe arbitramur, qui corpora ſua hiſce tegumentis obvolvere ſolent. Nam

II.

II. Ut ex omni Telluris puncto, tempore Æſtivo Solis ardore, multigena corpuſcula aquoſa, ſpirituoſa, ſalina, oleoſa, atque exhalationes ſiccæ cujuſcumque generis in editiorem aeris, rarioremque rapta Regionem, futuri *Roris* incunabula præbent: ut dein remittente Solis irradiatione, & frigefacto veſpertino, vel matutino aere, diſperſa primùm, mota, & inviſibilia corpuſcula mox congredientia, adhęrentia inter ſe, viſibilis ſub forma *Roris* in Terram dilabuntur arefactam excoctamque, plantas irrigant, & animalia, aridumque, & jam rimis fiſsile ſolum reddito humore adaquant: ut inſuper flante aliquando *Ventorum* vi, ambitui telluris vicina rorifera illa atmoſphęra aliò transfertur, & ſudum valdeque ſiccum aera relinquit; ſępiſsimé veró, ut in locis aquoſis foſſuliſque videre eſt, ſurſum evectæ mollecule, & in terram deciduæ albis, coactis, denſis, humidis opaciſque eam nubibus implent: ut dein pars potiſsima *Roris* aqua eſt, ſed ceterarum inexplicabili multiplicitate rerum chaos eſt; neque de ejus natura propria aliquid boni poteſt ita dici, ut illud ubique verum eſſet: ut *Roris* indoles mirè quoque, & in qualibet ſingulari Mundi plaga variat, & pro inæquali particularum, quas in aere reperit aſſociatione, alia, atque alia habetur: ut inde in ſalubri aeris, Solique conſtitutione, productus Ros, moderato abſtergendi, alvumque ſolvendi robore gaudet; ubi verò depravatus, & a blanda ſui indole deſciverit, per alimenta ſeſe inſinuat, & vitalia organa ſubeundo, potiſsimarum *epidemiarum*, afflictionum ſcilicet certo diſtrictu graſſantium, pernicioſa cauſa evadit: ut tandem dum multæ exoticæ molleculæ, e Terraqueo Orbe elatæ, & per aerem undequaque avolantes, ſalibus aereis corroſivis ſociantur, & modo nobis imperceptibili, in liquorem poſtea decurrunt, qui ſub ſpecie *Roris* depluens, & Plantis inhærens, eaſdem *maculis* diverſi coloris ſugillat, & ab animalibus ingeſtus, eadem *puſtulis*, *ſcabioſiſque* ægritudinibus inquinat. Conſulatur de hac re *Boerhavius*, (*a*) *Arbutnot*, (*b*) item *Fri-*

(a) *Chem. tom.* I. *p. m.* 251. *&* 394. (b) *Eſſays ſur l'air. p. m.* 7. *&* 86. §. 2. *Chapitre* IV.

Fridericus Hofmannus. (*a*) Item *Ramazinus* (*b*) & alii.

III. Ita non abſimili ratione ratiocinandum mihi videtur de Animali exhalatione, quæ inviſibilis, & pura, putaque aquâ conſtans, a veſtium ſuperincumbentium *lanearum* denſitate repulſa, in patentia vivæ cutis foraminula jugi adfluxu relabitur: Corporis enim ſani & diverſus calor, & diverſa conſtitutio, ſudoris materiam diverſam facit: moderatus calor humidiora expellit; ingens verò, ſalina, & *alkalina* corporis animati corpuſcula everrit, quæ ſi operimenta evaporationis animalis fumum ſugentia, ut ſunt *lanea* omnia, offendunt, hiſce approximantur, & continuo corporis madore ſoluta, in vitalem laticem cum noxa iterum adiguntur. Quòd ſi varias colorum, quibus *lana* imbui ſolet, mutationes ſibi uniant, atque aſſocient, quæ a corpore effluunt tranſpirabilia, variæ tunc *ſalium diſſolutiones, mixturæque* oriuntur, quæ, adjuvante naturali humido, in animalis vaſcula receptæ perniciem afferre poterunt. Quamobrem de ſudore, atque tranſpirationis materia loquens, eam non alteriùs criminis, *ſi crimen eſt*, ream eſſe contendo, quàm ut *ſale* quo pollet iiſdem dotibus, ac urina gaudeat; (*c*) at qui una cum ſudatione naturali miſcentur, extraneos tum *exoticos* ſales, ſive quos prava corporis diatheſis genuit, ſive quos *lanarum* de more cutem operientium tinctura infudit, hoſce ego alterationum omnium, quæ ab hoc capite profluunt, morboſarum aliquando parentes agnoſco. Difflationis ſiquidem materia aquea ut plurimum, & limpida eſt, tum cutis flexibilitati, corporis mobilitati, humectationi nervearum papillarum conſervandæ maximè neceſſaria, ac opportuna. Si quam verò tranſpirabile alterationem concipit aliquando, hanc utique ab extraneis corporibus, tum etherogeneis particulis, quæ unà cum illo commiſcentur, aſſumpſit, iiſque labefactatur. Illam *alterationem* quidem triplicem facimus; prima quæ in quantitate excedente conſiſtit, quà cu-

L tis

(a) *Tom.* v. *diſſertat. de Tempor. anni inſalubrit.* §. xvi. & xvii. (b) *Conſtitution. Epidem. anni* 1690. *Diſſertat.* i. §. xxxiv. *ſequent.* (c) *Haller. tom.* III. *p. m.* 568. *not.* A.

tis vaſcula ſummè urgentur plena, & de qua in ſequenti Capite agemus; altera, quæ in diverſa ex ipſis animalis liquidis, ſolidiſque emanantium noxiorum aliquando, & venenatorum craſi reponitur: Tertia tandem, quæ a diſſolutis *ſalibus* dependet, quibus pannoſæ cutis poros ad colores inducendos impleri oportuit. Quæ binæ conſiderationes in præſentia noſtro examini ſubjiciuntur.

IV. Profectò ſi attendas diſcrepantis *texturæ pannos*, liquidi abſorptu diverſimodè humeſcere poſſe, *ſupra Cap.* IV. §. II. *num.* 2. 3. 4. 5. ſi tranſpirationis animalis inexplicatam adhuc, integram, & intimam compoſitionem advertas, quæ cute exeuns, aerem circumfum imbuit, & onerat, ut aliquando in altiſsimis terræ cuniculis, quaſi fatalis, foſſoribuſque incumbens, nebulæ coactæ inſtar obſervata fuerit; *vide Arbutnot*; (*a*) ſi corporis noſtri ſuperficiem meatibus undique perviam quodcumque humidum avidè haurientibus; ſi aerem clauſum ab pondere, & gravantis amictus *lanei* mole coercitum, vaporis dein, corporiſque innumeris exhalationibus fœtum, minùſque elaſticum; ſi talem demum aerem, humidum factum, *colorum* tingentium, quibus veſtimenta nudato corpori obducta non ſemel colorantur, particulas abradere, divellere, ſibique indiſſolubili nexu unire poſſe, ita obſervaveris, inde ut abſterſo colore *panni* emaculentur: Si enim hæc omnia attento evolvas animo, ſedulò, & diu mediteris, nonne nitidam *Roris*, de quo ſupra *hìc* §. II. deſcriptionem habebis in illo, qui jugi perpetique e cute aſpiratione, eaque inſenſibili, vel ſenſibili, efluit humor? Nōne indè liquido futurum cernes imbutus ut ille variis exoticis partibus, & ab operimentis *laneis* detentus, mutatus indè degener factus, inque vaſa noſtra vectus ſęviſſima quandoque mala prodat. Quid enim clarius, quid luculentius dici concipique poſſit, quam *Roris* humana ex cute manantis, ſivè ex innatis abreptiſque ſecum molleculis, ſivè ex adſcititiis, & ab induſiorum labe deductis noxis pravum ingenium & pernicioſam indolem ſeſe in machina noſtra efferri; dum denuò intra

(a) *ibid. p. m.* 26.

tra vaſcula receptus calentia, humida, *hiulca*, & ſales acres præter morem elatos, ſtimulique vicem agentes, ſecum in liquidorum maſſam adſportans, eamdem commovere, ſuccos turbare, febrem accendere, mox quoque, perniciosa interdum ſimptomata invehere poteſt? Inde enim preternaturalis humorum diſſolutio oriri poterit, quorum vincula diſcindi, vel alio modo affici poterunt: inde tot fortè aliás imperſcrutabilium malorum ſoboles, quorum cauſa vulgo latet, facilè quidem indagari, edomarique poſſet, ſi Medicis probè eſſet perſpecta.

V. Ne verò hæc omnia gratis, aut dictatoriè me pronunciaſſe, quis credat, decet paulò altiús hujuſce variæ depravationis ſudoris originem, & cauſas inquirere; necnon aliqua de colorum, quibus *lanę* utenſiles inficiuntur, diverſitate rimari, quæ plurimorum morborum, ut vidimus §. IV. origo eſſe poſſunt, ac incrementum. Atque primo, quemadmodum pro Cœli, Soli, Sexus, locique, corporis & victus, & coctionis, differentia, ſudoris materia differt in ſingulis ſubjectis, ita quoque a diverſis hiſce ſubtiliſsimę *tranſpirationis Sanctorianæ* fontibus diſcrimen repetendum cenſemus. Eadem enim vaſcula & exhalant, & ſudant in Animali, atque ſolus major Fluidorum impetus, ſolaque tubulorum excernentium apertio faciunt, ut qui vapor aqueus, & ſenſibus inacceſſus eſſet, nunc in guttulas, undique ſtillantes coeat, oculiſque ſe ſiſtat intuentium. Hinc ediſcimur *tranſpirationem* hance occultam, modò pleniùs uberiùſque, modò parciús ſtrictùſque effundi; modò fetidiorem, vel peculiaris odoris, ut in *Nigritis* exſpirare; modò acriùs olere, ut in *Feminis*, ubi niſi amore benigniùs excipiantur odor ille fit intolerabilis; *Virginum* tamen híc deterior conditio eſt, aliquando enim non *acidum* tantùm, aut *ſulphuratum*, ſed *caſtorei* quid aut *Galbani* redolent; quid quod Virgines *Pecklinus* vidit, quæ quocumque pedem efferrent, allii odorem ſecum haberent. (*a*) Caſtarum quoque *Monialium*, ubi ſomno expergiſcuntur, Dormitoria intolerabili neſcio quo odore, propriæ exhalationis Nares feriunt. Alia deindè natura eſt,

 fluido-

[a] *Obſervation.* LI. *p. m.* 333.

fluidorum effluviorum, quæ de axillis exeunt; alia ex pedibus emiſſorum; hæcque diverſitas penés odorem, & ſaporem eſt. (*a*) Viſi tandem ſunt homines, qui acidum ſudorem emitterent. (*b*) Ut omittam, quæ a morbis liquida polluentibus, & iſtam univerſalem evacuationem alterantibus provenire poteſt, varietatem.

VI. At ſunt aliæ quoque, & hactenus minus compertæ *Atmoſphęrę humanæ* differentiæ, quas curioſior Practicis, interdum experientia objecit. Gaudet peculiari nidore infantum *atmoſphęra*, & penè acido, quod adſtantium naribus exceptum djudicari poteſt. (*c*) Sua ſunt Adoleſcentibus, ſua viris effluvia, quibus mutatum corporis habitum ex facili prodant. Quæ quidem non ex *homogenea* ſimplicique aqua conflata eſſe credideris, ſed ex ſubtiliſſimis particulis, latentis idolis, vel quæ non facilé calculo iniri poſſint, & cuique *Individuo* propriæ ac ſingulares habentur. Exemplo ſunt *Canes* odoriſequi Dominos in denſo, confertoque hominum agmine ex pauciſſima expirante materie diſtinguentes. Exemplo ſunt *Vervecum* corpora, teſticulis ſeminantibus prædita, moleſtum, & indelebilem ferè odorem ſpargentia. Adeó eſt Tranſpirationum, quæ atmoſphęram corpora animalia alluentem conſtituunt, ſingularis quædam, & ſpecifica non tantùm, ſed *&* *individualis* diſcrepantia.

VII. Creſcit autem illud admirabile tacitæ ſudationis diſcrimen, diſcolorque tranſpirationis indoles *ſuprà hic* §. VI. prout a varia corporum ſuperficie admittitur, iiſque inſinuatur. *Rorida* noctis exhalatio, cui non temerè cuticularem excretionem ſupra comparavimus §. III. ubi diverſę corporum fabricę occurrit, longè etiam diverſa evadit. Interdum enim corpora Rorido vapori obnoxia magis, interdum minus ſaturantur, aliquando nullam ejuſdem portionem imbibunt. Vitra cryſtalloſque præ ceteris eligere ſolet *Ros*, quibus abundantiùs adhæreſcit, *metallicos* poros intactos relinquit; vaſa dein fictilia *Sinica* (*Porcellanas vocant*) grandioribus

[a] *Haller in Boerhav. tom.* III. §. ccccxxv. [b] *Idem ibid. p. m.* 570. [c] *Petit. traitè des oſ. tom.* II. *l. c.*

ribus guttulis diſtendit, quo tempore mercurium ſubjectum immune, ſiccumque animadvertitur, ut nuperioribus obſervationibus conſtitit (*a*) Sic dum per occulta cutis foramina plorans animalis humor veſtium inductarum nudo corpori ſtragula, liberamque ejuſdem exhalationem impedientia reperit, per ſinuoſa tunc, tortuoſaque villorum voluminula repens, peculiarem villorum ſimplicem, & innatam, vel ab immixtis extraneis corpuſculis adventitiam diſpoſitionem contrahit. Sic in univerſum plus attrahunt veſtes e partibus animalium compoſitæ, quàm quæ e vegetabilibus conficiuntur: (*b*) Sic *lanea* uſitata tegumenta, pro majori ſuperficie, & pondere, diverſa quantitate, oblatum fluidum ſugunt, trahuntque: Sic obſoletæ, & uſu tritæ *lanæ* in pannoſis hominibus amplioribus poris inſtructæ, in aera vicinum copioſiùs exhalant, quàm recentes, & villoſis undique ſtaminibus tumentes. *Vide ſuprà Cap.* V. *per totum*. Quæ autem ex *lino* texuntur corporis Tegmina, cohibendo ſudori, retinendæque tranſpirationi non adeó opportuna videntur, ac ſunt *lanea*, quibus adſperſus humor magis affigitur, & ſummis prominentium ſetarum apicibus adhęrens, pendulus cernitur; non ſecus ac *Pluvia* quibuſdam foliis ita inſidet, quin eamdem ullo pacto foliorum poros penetrare dici poſſit. Aliter evenit in *lino* vel telis ex eodem confectis, quibus ut plurimum liquor inſperſus ita imbibitur, ut prorſus evaneſcat, vel ſaltem difficilè manuum motu decutiatur. Hinc factum eſſe reor, quod in Sacris paginis (*c*) juſſerit Moiſes. „ *Sacerdotibus* Vittas lineas *in capitibus eorum*, *&* *feminalia* linea *in lumbis eorum*, *&* *non accingantur in ſudore* „. Adſtrictè nimis, inquit, *Duhamel* [*d*] *ut ad miniſteria ſint expediti*; & ne, *quod nos hìc ſubjungere poſſumus*, ſi *laneis* veſtimentis uterentur, concitato in liquidis orgaſmo, & effluente indè copioſori ſudore, qui ab occurſu indutæ *lanæ* non diſper-

[a] *Dù Fay memoires de l'Accademie &c. annèe* 1736. *hiſtoire p. m.* 5. [b] *Keillius tentamin. p. m.* 178. [c] *Ezechiel. Cap.* XLIV. *verſ.* 18. [d] *In caput præſens tom.* II. *bibl. p. m.* 212.

diſpergitur, balneo veluti ſuæ tranſpirationis immerſi jacerent, minuſque inde qui *Sacra* attentè peragerent, pares fierent *Miniſtri Altaris*.

VIII. Non ſolúm autem, quod craſsiùs eſt in materia e corpore animali continenter expulſa, coercitum *laneis* pannis inſidere poteſt, ut vidimus; VII.; non ſolùm indumento *laneo* adhibito, præ ceteris veſtium generibus, majori quantitate colligitur, velamen inter, & cutem, humoris excreti e cute vapor; non modò pravæ qualitates, quibus degener tranſpirationis liquor effectus eſt, oppoſitæ amiculæ cooperientis ſuperficiei communicantur: verùm etiam vitia illa individualia abſcondita illa cujuſque tranſpirationis principia, §. IV. V. VI. occultiſsimum, & ferè ſpirituale ejuſdem evaporationis, in ſingulis genium, neſcio quo Mortalium fato, *lanea* celerius quacumque alia veſte abſorbentur ita retinenturque, ut diutiſsimè inhęreant. Suffocatio, animalium, & candelæ accenſæ extinctio, ex vaporum ſulphureorum copia dependens, in terræ profundis hiatibus tutiſsimè præcaventur, ſi Artifices trans *Flanulæ laneæ* lacinias aerem reſpiraverint. Hinc cubicula peripetaſmatibus ex *lana* factis inſtrata ſalubriora cenſentur, inſalubri vagante conſtitutione; quòd animalia effluvia, (*a*) eaque noxia, dum in aere quoquò obvolitant, ab reliqua fluidi mole veluti ſecernant, atque retineant. Peſtilens virus, *laneis Pexis* incarceratum, & ad alias Regiones advectum pluries fuiſſe, non eſt quod multis probem. Ipſum *Celticę luis* fomitem in lana nidulari poſſe opinati ſunt quamplurimi authores, dum ad pręſervationem ab infectione cum muliere fœda commendant Goſsipium novum molle, fidibus concuſſum, & glandi Penis optimè lotæ applicatum, detergentibuſque obvolutum. Quin *Joannes Benedictus* ſuadet, ut poſt coitum pudibunda, panno lineo abſtergantur. (*b*) Quantò indé ergo utilior, & efficacior Penis abſterſio ſucceſſura erit, ſi *lanea* lacinia,

ad

[a] *Arbutnot ex halles Eſſays* §. XIV. *p. m.* 135. 136.
[b] *Vide Grabriel. Fallop. de morb. Gallic. Cap.* XVIII. & *collection. Luiſini tom.* I. *p. m.* 159.

ad inſtar *Condi*, mollior adhibeatur? Hæc enim fortiùs, quàm linum, virulentam materiam imbibit, vel diutiùs, halitum aphrodiſiacum moraretur. *Vide caput ſupra* IV. §. II. *num.* 6.

IX. Neque huic noſtræ opinioni quidquam refragari *Sacræ ſcripturæ* authoritatem crediderim, dum in *Levitico*, de modo tractandi leproſos fit mentio. (*a*) Præcipitur enim eo capite [*b*] *veſtem laneam* deponere, ſive lineam, quæ *lepram habuerit in ſtamine*, *atque ſubtegmine*, *aut certę pellis &c.* cùm exinde non aliud inferre liceat, quamquod iſtiuſmodi veſtes ſuſcipiendo contagio pares habeantur. Imò audemus aſſerere, *laneum leproſorum amictum* priori loco commemorari, quod ſiſtendo miaſmati e cute leproſa conſcendenti aptiùs eſſe videatur. Quæ autem ſequuntur in eodem capite *Levitici*, lanea tegumenta, virus intromiſsioni, & aſſervationi opportuna demonſtrant: *habebit* inquit Moiſes (*c*) *veſtimenta diſſuta*, (*quò virus exhalans diſpergi poſſit*, *nec veſtes inquinet*) *caput nudum*, (*quò effugiens inde calidus infeſtuſque vapor evaneſcere in auras poſſit.*) *Os veſte contectum*, cùm ad alios propiùs accedere oportebat, ne Infectus halitu ſuo peſtifero ſanis noceret, quod innuit noxiam, & deleteriam evaporationem ab adverſa, & contegente veſte, retundi obſepique poſſe, ut expiratus, & per tegminis contextum præterlabens, aera defecetur. (*d*) Quod ſi ex *Sacræ ſcripturæ* Teſtimoniis phiſicas veritates deducere pudeat, vel pigeat; adeamus quæſo locupletiſsimum Rei Medicæ Scriptorem, & in praxi verſatiſsimum omnium Fridericum Hofmannum, qui apertè teſtatur (*e*) „ *omnes puſtuloſos*, *& pruriginoſos ſubcutaneos*, inter quos lepram nominat, *affectus*, *contagio maximè ſerpere*, *& inficere*; *ideoque facile per concubitum*, *per lectos*, *per induſia*, *fœdo pingui ſudore imbuta*, *maximè verò omnium per pelles animalium*, *& veſtimenta ex* lana *contexta propagari.* Lana *enim*, pergit ille, *aptiſſimum eſt medium*, *quod raritatem laxam atque poroſam*, *impu-*

---

[a] *Cap.* XIII. *verſu* 45. [b] *Verſu* 23. *&* 32. [c] *ibid.* [d] *Vide Duhamel tom.* I. *part.* I. *p. m.* 137. [e] *Tom.* III. *Cap.* V. §. X. *p. m.* 427.

impuras iſtas exhalantes particulas poteſt abſorbere, & diutiùs retinere, nè mox in auras diſpergantur. Sicut enim odores a quocumque etiam fragrante emiſſi, linteaminibus, chirothecis, *& veſtibus diù inhęrent; ita quoque in morbis contagioſis, ut* peſte, variolis, morbillis, potechiis &c. *effluvia putrida, quæ fermenti vicem obtinent, rebus iſtis poroſis, preſertim ex* lana *confectis, altiùs ſeſe inſinuando, per longum temporis intervallum ſępè deliteſcunt, priùs quam infectionis potentiam exſerant.*

X. Hucuſque tuta forent omnia, ſi graves, & exitioſæ quæcumque tranſpirationis particulæ ex corporis calentis perimetro prodeuntes, veſtium, quibus afflantur ſubſtantiæ, quaſi per adactos clavos, æternùm occluderentur. Verùm qua proportione ex infinita, & occulta cuticularium pororum ſobole, in ſuperinjectum *pannum*, continuis rivulis egreſſæ impingunt; eadem, & quoque ab iiſdem *Lanigeris* veſtibus copioſiores, & ſenſibiliores redditæ *tranſpirationis* partes, in ſtratæ & ſubiectę cutis calentis cribrum, numquam intermittenti ſcaturigine, depluunt. Et quidem huic reſorptioni favet corii ſenſus perſpicax, abſorptioni exercendæ peraptus: favet corporis reticularis *Malpighiani* ſpongioſa textura, quæ vapori facilem viam facit, & imbibitum difficilè deſerit: favet patulum, & calido humido madeſcens, oſculum innumerabilium ipſius *cutis* meatuum, qui, veluti totidem hiantia & eſurientia ora, ſugendum aliquid avidè præſtolantur. Indé quamvis major halituũ animatorum pars, ad *lanæ*, vel induſii contegentis hiatus illidat, & implicetur; longè quidem eorumdem major portio retrocedens, & veluti fluitans cutis vaſcula ſubit, & in liquidis illac labentibus erroris ſui notas deſignat. Qua ratione ſi *lanea* panni portio veneno gallico recipiendo aliquando profuit, eamdem tamen telam ex eadem materia contextam non rarò traducendo, in ſanos contagio idoneam eſſe cenſemus; tantum abeſſe, ut pro evitanda contage a Nonnullis glandi *Coli* imponatur. *vide ſupra* IX. *Contagii* enim qualitas, *ut obiter moneam*, non eſt ſenſibilis; neque juvat aliquando obſervari in coitu impuro, telam ſanioſam, pallidam, citrinam, nigram fieri,

fieri, quæ priùs eidem parti obvolveretur; quia idipſum in puro congreſſu, eodem adhibito *loricæ* præſidio, contingere animadvertimus, quæcumque demum fuerit liquidorum, vel naturalis, vel morboſa conſtitutio.

XI. Non ſecus ergo ac variæ formæ indoliſque, & ex terræ facie adſcendentes vapores, pro diverſo caloris gradu, diverſis anni temporibus corpora, quibus ſeſe dant, diverſimodè afficere poſſunt, prout multis, iiſque diſsimilibus, aquoſis, ſalinis, oleoſis, compoſitis, aer impregnatus fuerit; ita ut aliquando veſtibus ille adhærens, eaſdem peculiari macula deturpet. (*a*) Ita quod interdum videamus, habitus *laneos* ab exeunte animali *tranſpiratione* in varios colores tranſire, atque macularum diverſa genera contrahere; meritò illud concludendum nobis videtur, difflato jugi e corpore vapore, atque *lanatæ veſti* ſuperſtanti, & quoquomodo coloratæ, vel viru infectæ, occurrente, peregrina, & ſalina pigmentorum corpora dilui, inque vaporem ſolvi, aptum qui denuò cutaneos ductulos ingrediatur, qui ſylveſtres tincturas intra corpus noſtrum vehendo, per certos quoſdam gradus incommoda valetudinis, vitæque pericula hominibus intentet. Quamobrem fateri neceſſarium eſt, vapores, a fraceſcentibus ſudore veſtibus *laneis*, dum actu induuntur, aſſurgentes, noxis, & plerumque malignis nubeculis corpori tranſitum concedenti ſimilem labem adfricaturas eſſe: ſed ſingulos vapores expiratos ſub una eademque ſpecie comprehendi non poſſe; ac propterea Medicos illos a vero quàm longiſsimè abire, qui unam ſemper, certamque in omnibus ejuſmodi effluviis particularum naturam aut quærunt cum ſpe inveniendi, aut ſe jam inveniſſe exiſtimant. Plura enim ſunt, quæ ex veſtitu *laneo* ſive communia, ſive propria manant in corpus effecta, de quibus conſulantur ea, quæ in ſuperioribus locis oſtendi, *Cap.* II. §. I. II. III. IV. &c. Quamvis autem omne effluviorum *laneorum* genus ad triplex caput in præſenti Capite redegimus: §. III. Verùm diligentiùs inquirentibus nobis in variam naturam *laneorum* halituum colorem

(a) *Arbutnot Aphor.* XIV. *p. m.* 267.

peculiarem imbibentium, eoſdem ad duplex Caput revocare lubuit: aliæ enim ſunt effluentiæ, quæ fundendi ſolvendique; alię, quæ coagulandi, denſandique liquida humana facultate pollent. Hæc namque omnia corpuſcula *colorem*, quo medicantur *lanæ* foventia, atque in rarefacto cutem calidam inter & immediatè contingens indumentum, aere magis minùſque exaltata, necnon intra vitæ hoſpitia iter carpentia, vitiatam in fluidis diatheſim inducere queunt, unde diverſa aliquando morborum ſoboles enaſcitur. Porro univerſam ſeriem ſingulorum ſimptomatum, quæ ex talium aſpirationum in corpus animalis actione proficiſcuntur, evolvere, atque explicare in eo Capite ſuperſedemus, quod nobis in ſubſequenti, tamquam opportuniori loco inſtitutum ſit, eruere.

XII. Ut autem ejuſmodi lædendi ratio [XI.] a Tyronibus facilè intelligatur, utque in re admodum dubia aliquid ratum compertumque habeatur, obſervanda ſunt nonnulla circa methodum *Pannos laneos colorandi*, ex ipſa Tinctorum arte deſumpta, atque nonnulla ſcitu forté non injucunda brevi ſubnectenda ſunt. Inde enim ſedulò cavebit Medicus, ne aliquo *lana* fucata *colore* labem corpori inurat, neve atomos colorantes cum noxa ſenſim, & tacité in corpus transfundat; & præterea plura alia ad praxim ſponte deducet, quæ, niſi præeunte hujuſmodi face, vix clareſcere poſſunt.

XIII. Itaque notandum eſt, *tincturam lanarum* eò magis duraturam, quò decoctum colorans, cui immerguntur, calidius fuerit, atque diducti pori *lanei* admiſſas coloris maſſulas diutiùs retinuerint, Solis & pluviæ injuriis reſiſtentes. Salia in vehiculo diſſoluta in arte *Tinctoria* adhibentur, quò interſtitia corporis tingendi laxiùs pateant, & colorata corpuſcula cunei ad inſtar textum pannorum penetrare intimiùs queant. Sic in præparationibus, quas Artifices ad flavos, rubroſque colores inducendos præmittunt; *tartarum* crudum, & *alumen* diſſoluta uſurpare conſueverunt. Poſt aliquod inde tempus extrahitur *lana*, & leviter expreſſo humore, ſacco illa humido ſervatur, quò adhęrens ejuſdem ſtaminibus *ſal*, aperire, & dilatare effugia pergat. Poſtea ut colorem potentiùs contrahant *lanæ*, balneo coloribus pigmentiſque ſolutis

ſœto,

fœto, eoque ebulliente, committuntur. Itaque oportuit *lanam*, prævia ſalium intromiſsione *lanea* vacuola diducentium, priùs diſponere, quám ad coloris receptionem admittere. Porrò impensè calens hìc balnei vehiculum id efficit, ut repetitis ictibus, corpuſcula *colorata* intra prædictas *lanæ* poroſitates fortiùs trudantur, jam ſalium virtute, & præſentis caloris efficacia patentes. At ubi *lana*, poſt ſufficientem in balneo moram, in ambientem atmoſphæram frigidiorem protrahitur, tunc frigoris aerei præſtantiâ ſpiracula *lanarum* interſperſa conſtipantur, & ad ſe mutuó accedunt; idque magis quò dein ab artificibus in aquam frigidam de induſtria paratam demittuntur *panni*. Ea ratione pigmenta, & colores intra villorum *laneorum* ſpatiola recepta, quam altiſſimé, in pannorum ſubſtantiam defigentur; adjuvante tunc temporis fibrillarum *lanearum* virtute, quæ ſua elaſticitate ad priſtinum proximitatis ſtatum accedunt.

XIV. Quód ſi pręter dictam villorum *laneorum* elaſticitatem *hic* §. XIII. ſuperiùs propugnatam, *Cap.* V. pororum *laneorum* cava, ſtrato liquidi ſalini oblinita, intùs ſupponantur; habebitur & aliud longevæ & perennis tincturæ argumentum. Quippe dum ſuccubi coloris portiuncula Textûs abdita ingreſſa jam eſt, cruſtam illam *ſalinam* calore vehiculi ſupra deſcripti [XIII.] liquatam fuſamque offendit, & cum illa veluti in viſco quodam implicatur, atque cohæret. Ubi autem refrigeratur *lana*, ſalium elementa antea diſſoluta coguntur, adunantur, & viſcedinem quamdam conſtituunt colore fœtam, & diutiùs perennaturam. Porrò linimentum ſalinum, quo interior *lanarum* fabrica oblinitur, experientia confirmatur; ut qua exploratum ſit, evanidum fore *colorem*, quem corporibus imprimere decrevimus, ſi priùs irretita *ſalia aluminoſa & tartarea*, & jam in porulis villoſis morantia, ebulliente aqua, diluta foras avocentur, quàm ita *ſalibus* illis divites panni in *balneum* tingens demittantur. Econtra ſi eadem opificia per illam diſponentem *ſalium* mixturam graves pigmento tinctorio calido, ut fit, inficiantur, *colores* penitùs in *Pannos* intimari, & in iis perpetuam figere ſibi ſedem experiuntur Infectores, ut caloris, humidique receptacu-

M 2 la

la, *lanæ* impoſterum evadant. (*a*) Ut enim Infectus in *lana* aliiſque pannis colore aliquo tinctis immoretur, neceſſum eſt, ut nec frigidæ ablutione elui color, neque Solis irradiantis calore *ſalia* ſufficientia calcinari poſsint; oportet quoque, ut in ſingulis *lanei* panni foraminibus ſingulæ, & minimæ colorum maſſulæ nidulentur, iiſdemque æquabili firmitate adhæreant.

XV. At inter hujuſmodi *ſalia*, quibus Tinctores Panni ſubſtantiam præſternere ſolent, præcellunt *Cryſtallus tartari*, *&* *Tartarum vitriolatum*. (*b*) Itaque quoties *Alumen*, *&* *Tartarum*, ſolita Infectorum medicamina, unà in *Aheno* ebulliunt, præter impreſsionem, quam filamentis *laneis* vis corrodentis *aluminis* imprimit, atque conſignat; ipſum nihilominus *tartarum aluminis* mixtione niteſcit, purificatur, & ſalis quoddam genus componit. Hinc hiulca pannorum interſtitia, efficaciâ *aluminis*, *Cryſtallo-Tartari* inde obveſtiuntur intus fluente adhuc, propter conceptum calorem. Illa autem incruſtatio fluxa adhuc, admiſſo dein frigore XIII. aquæ concreſcit, & duriorem in cruſtam abit poris *laneis* fortiſsimè intùs adhæreſcentem. Neque omittendum eſt, *lixivium* acerrimum *lanæ* fabricam ita deſtruere, atque comburere, ut vix colorari deinceps illa poſsit; verùm *lixivium*, ut vulgò uſurpatur, moderatum, & ſalis alkalini ſufficienti copia donatum *lanam* textam diſponere ita poteſt, luminaque ampliare, ut ſaturi illius, quem voluerit Artifex, *coloris* ſpeciem præſeferat. Similiter compertum eſt, colorem *cyaneum* eó vividiorem futurum, quò indito tum colore materiem tingente, & panno jam refrigerato, *lanam* citiùs calidæ immiſeris: quippe tunc colorum corpuſcula, quæ *laneis* fibrillis debiliùs affigebantur, efficaciùs abraduntur; quo tempore ſuperficieculæ apparentes granorum colorantium, & in poris *laneis* quieſcentium diſſolvuntur, & liqueſcunt, ut atomos, ſuccoſque pingentes magis diaphanos oculis intuentium objiciant.

XVI.

[a] *Videatur Hellot. Memoires de l'Accademie &c.* 1740. *p. m.* 194. *ſequent.* [b] *Confer Helliot ibid.*

XVI. Ex quibus nonnulla phenomena illuſtrantur, quæ in applicatione panniculorum *laneorum* colore aliquo imbutorum, & nudæ carni ſuperincumbentium obſervantur, quorum huc-uſque cauſa latuit. Nam 1. Accidit, ut candidus ſpumeuſ-que pannus contactu corporis flaveſcat. Sudor enim conti-nuò emanans flavus eſt, unde ab interſtitiis *lanati* indumen-ti receptus colorem flavum pannis impertire poteſt. Sed & alia ſubeſt ratio: compertum enim eſt, principium *ſulphureum* vel *oleoſum*, quò magis cum *ſalibus* miſcetur, eò colorem ſa-turatiorem fieri, eò quod ea omnium *ſalium* natura eſt, ut principium *ſulphureum*, quod matrix coloris & odoris eſt, mi-rificé exaltando eum intendant. (*a*) Quod autem ſudor ex ſanguine mutuetur particulas *ſulphureas*, *calidas*, *oleoſas*, ex eo patet, quia ab aſſumptis ſuaveolentibus pinguibus ſudor ſuaveolentem odorem reddit; fetidum verò ab *allio* ingeſto. Quæ cúm ita ſint, patet, poſſe aliquando *ſudorem* naturali corporis conſtitutione nimis exaltatum principium oleoſum gerere, quod in particulas *ſalium* tingentium, vel tincturæ Telæ famulantium impingens, eaſdem diſſolvat, rarefaciat, at-que eadem flavedinis labe inficiat, quam abnormi olei immix-ti, & flaveſcentis conſortio acceptam refert.

2. Nonnulla videre eſt corporis tegmina ex *lana* contexta, diu uſurpata priſtinum, & fere languidum antea colorem in longé vividiorem pulchrioremque mutatum exhibere. Ra-tio in promptu eſt: nam perenni effluviorum inſenſibilium corporis humani evaporatione villoſæ operientium veſtium eminentiæ molleſcunt, & quaſi macerantur, et ſi quid colora-ti iiſdem in villis ſuperſit, quos nimia pigmenti ubertate ob-ruit, veluti illud elotum ſudore diſsipatur, remanente ato-morum colorantium parte illa, quæ ut in poris altè incunea-tur, ita diluenti *ſudori* reſiſtit. Quamobrem imminuta ea-dem ratione panni craſsitie plus ſolito opaciori, diaphana & pellucida veſtis redditur, quo poſtea color imbuens floridus magis, & nitidus appareat. Ut nihil dicam, hìc indolem a-crem, & *alkalinam* tranſpirationis animalis multùm confer-re

(a) *Hofmann. Frideric. tom.* 1. *cap.* XIV. *ſection.* 1. §. X.

re ad illuſtrationem coloris; utpote quá athomi ſalium antea coeuntes, & obſcuram fortè coloris ſpeciem prætendentes, diſſolvantur, a ſe mutuò recedant, & gratiorem colorem exhibeant.

3. E' converſo Velaminis *lanei*, & induſiorum ex eadem materia factorum, vividus auctuſque color perit ut plurimum, vel obſcurior in illis evadit, ſimulatque cuti acerrimum, & urentem, inſenſibilem undique liquorem effundenti immediatè admoventur, & arctè ſtringuntur, ut in hominibus *ſcorbuticis lana* utentibus uſuvenit; in hiſce namque ſubjectis omnia fluida cauſticis peregriniſque ſalibus exundant, quorum cum major pars cutaneo incerniculo filtrata in ſuperficiem *laneam* incidit, villos delicatulos, & molles tamquam fortè *lixivium* adurit, XIV. *ſupra*, interſtitia confundit, reliqua filamenta corrugat, poros hos deſtruit, illos conſtringit, tincturam ejuſque effectus interpellat, ſuccum pigmentumque colorans, vel diluendo omnino enervat vel calore diſsipat; vel combuſtum concrematumque tactu ſuo opaciorem reddit; quàm ut poſsit amæno, ſplendentique natura ſua colore, corpus tingendum, cui adglutinatur, probè inficere: ea inde ratione *lanæ* color, qui priùs ſaturatus vividè lumina perſtringebat, & pertinaciter inſidebat, iſtius generis veſtitu dilutus, nubilus, & obſoletus cernitur.

4. Fortè hujuſce decolorationis XVI. *num.* 3. veſtium cauſa in ſuppreſſo aeris nudi liberi ad cutem commeatu, poſt multas experientias, reponenda eſſe videtur. Quandoquidem periculis in hanc rem multis captis ab clariſsimo *Nollet* edocemur, Tincturam coccineam cujuſdam heliotropii (*a*) colorem deperdere, interdicto ei uſu externi aeris, quo tempore in *thermometri* tubo continetur: eamdem autem purpura vivaciore ſplendere, quoties cum aere externo communicat; Ita ut apertus atmoſphęrici aeris contactus, cauſa hujuſce, ut ita dicam, *reviviſcentiæ*, immediata, vel circumſtantia neceſſaria eſſe videatur: ad hæc tincturam

(a) *Orſel Gallicè*; *vide Lemeri des drogues p. m.* 863.

ćturam hanc aqua paratam, quam, ubi cum vino fuerit, citiùs colorem amittere: nec pręterea pondus aeris, neque ejuſdem *elaſticitatem* ad *tincturæ* nitorem de novo inducendum quidquam conferre: nec moto, neque ſilente aere, phenomenon iſtud ulla ratione alterari: verùm fluido aereo antiquum cocci colorem redire, quatenus illud ſuarum partium tenuium configuratione, vel materiam aliquam vehendo, & inter *tincturæ* molleculas admiſſum, nitorem rubrum reficeret: Itaque in iſto infectu aera agere, ut fluidum inter humoris tincti globulos diſſeminatum. Quid plura? Notavit quoque ille Vir, aeris vulgaris ad coloris iſtiuſmodi reproductionem tanti eſſe commercium, ut ſi *tubus* in opaco obſcuroque loco fuerit, & amplioris orificii, ſuperior tincturæ ſuperficies priſtinum colorem diutiùs retineat, quo tempore inferioris liquidi nitor evaneſcit; atque ſi aer externus in liquorem tinctum ita admittatur, lentiùs decolorem evadere *lanam*. Exploravit etiam deduxitque, non communi vulgatoque aere, ſed ope cujuſdam ignoratæ & ſubtilioris materiæ fieri, ea ut pręſente renaſcatur tincturæ prædictæ rubicundus color; ea verò abſente, obſcuretur, & dilutior fiat: quin expoſito tubo radiis ſolaribus, æquè vividum de novo tincturæ induci colorem, ac ſi hyberno ſoli tubus exponeretur. (*a*) Quæ omnia ſi noſtræ *theoriæ* accommodemus, non erit ut miremur, geſtatos quàm diutiſsimè a corpore nudo, & exhalante amictus *laneos* dilui, eorumque colorem detergi, detrahique; quo nempè inde, nedum liber aeris acceſſus uſque in apertam cutem prohibeatur; verùm etiam omnis illa ętherea ſubſtantia cum aere vecta abſit, ex qua colorum generatio, & nova productio oriuntur.

5. Quandoquidem in pingendis, obducendiſque colore aliquo pannis *laneis*, neceſſaria eſt *aluminis*, *Tartarique*, vel aliorum conſimilium ſalium miſcela, ingreſſus, & mora inter vacua ſtaminum loca, ut ſupra oſtenſum eſt; XIII. XIV. mirari nequaquam debemus, ſi corpora veſtibus hiſce diù protecta,

[a] *Conf. memoires de l'accademie annèe* 1742. *p. m.* 290. *ad p.* 313.

tecta, *puſtulis*, variiſque *exanthematibus*, & *efflore ſcentiis* in cute conflictentur: Id quod licet inter initia elaſticis *lanæ* villis carni appreſsis, indeque repreſsis adſcribendum videatur; locum tamen non habet, ubi diutiùs corpori inhęrente *lana*, vel ex eadem fabricato induſio, villi prædicti ſubſederint, & partim ſubmiſsi, partim deficientes, perenni uſus adtritu, complanatam veſtimenti ſuperficiem, qua parte corpus ſpectat, aſpectui objiciunt. Veroſimilior autem ratio eſſe videtur, quæ ab inſinuatione corroſivarum mollecularum *ſalinarum* intra ſanguinis flumen proficiſcitur. Cùm enim colorari *lana* nequit, quin priùs infinitis *ſalium* cuneis referta, imbutaque quàm confertiſsimè ſit, fieri non poteſt, quin accedente calido rore, perpetuo ex omnibus *peripheriæ* corporis punctis fluxu manante diſſolvantur medicaminis inficientis, colorantiſque figurata corpuſcula, quæ attenuata, & in libertatem aſſerta, in ſubjectos *hiulcoſque* tranſpirationis ſiphunculos clam illabantur, illapſaque tacito greſſu, atque itinere ultrò procedant, donec ſanguinem ſubeuntia, miris illius *diethesſim* modis corruperint.

6. Demùm, quò hucuſque *Tinctoria* theoretica Tractatio, quatenus ad noſtrum inſtitutum pertinet, clariùs affulgeat; *Rubiæ* Tinctorum exemplum ſumamus, cujus tantùm radice *Infectores* uti ad inducendum *lanæ* rubrum colorem ſolent: quamvis non adeo rutilus ille ſit, ac qui ex *Cocco*, vel grano *Kermes* elicitur, tamẽ *Rubia*, ſive quòd minoris ſit prętii, ſive quòd molleculas ſui coloris tenaciores adepta ſit, infectorio illi grano ita præfertur, ut quibuſcũque vulgaribus laneiſque pannis colorandis adhiberi ſoleat. Itaque ut ſupra vidimus, ad feliciorẽ coloris ex *Rubia* extricationem opus eſt, ut pori panni tingẽdi dilatentur; exoticas coloris rubicundi partes admittant, atque ita cuſtodiant, ut nec aqua pluviâ, neque Solis calore ſedibus ſuis dimoveri illæ poſsint; præterea ut coloris divites ſeligantur particulæ, quæ ſua tenuitate inviſibilia *lanarum* vacuola pervadere, ibidemque coerceri valeant; ut prædicta interſtitia, calore aquæ ebullientis priùs patula, frigore dein conſtipentur, & *ſalium* ingreſſorum viſco quodam irretiantur: hinc obſervatum eſt, atomorum coloris parentem adſtricto-

ſtrictoria vi præditum eſſe debere; ideoque colorem *Cocci-neum* præſtantem eſſe, æquipararique cum *Rubia* in duratione poſſe, quòd *Inſecta Ilicis glandiferæ* adſtringente ſucco nutriantur, quò *lana* in balneo imbuta poſsit dein in aerem educta arctiùs, & pertinaciùs colorem impreſſum tueri. *vide ſupra hìc* §. XIII. (*a*) Sed & illud ſcire oportet, non ſufficere, opicam *lanam* probè priùs ab omni animalis tranſpirationis materie hærente purgatam mundatamque eſſe, quàm deſtinatum *rubiæ* colorem combibat; ſed ulteriùs requiri, ut *lana* primoribus ſufficienda *ſalia* dura intra ſe admittat, quibus *tinctilis* evadat: hinc eſt, quód ſaponaceis adhibitis balneis, vel ſolutione *ſalium alkalinorum*, purpureus *lanarum* color eluatur, (*b*) Jam verò, quid eſt ſudor Animalis, villos ſuperdati veſtimenti *lanei* impingens, ibique hęrens, quàm liquidum ad ſummam *alkalinamque* indolem evectus? *hìc* §. XI. Quid tranſpirationis materia, quam *urinoſus*, & *ſaponaceus* liquor eſt? Ut ergo *alkali* fixum, cum *tartaro* crudo, vel *alumine*, intra *lanæ*, *rubia* tinctæ villos ſtabulante congrediens, ſal *neutrum* conſtituit aqua diſſolvendum, & abripiendum, pereunte illicò colore; (*c*) ut animalis oleoſa cutaneaque purgamenta coloris durationi, & ſoliditati reſiſtunt: quid mirum ſi *lanea* induſia, hominibus ita coopertis, extremo *Rubiæ*, vel *Cocci* colore infecta, in alium colorem a purpureo vivido longè abludentem commigrant, & maculentur? Tum quòd vapori pingui *alkalino*, animali jugiter avolanti expoſita, madeſcant, ſordeſcant, atque ſuccida evadant: Tum quòd contentus, & extraneis animalis particulis aer prægnans non multum (uti in magnis urbibus accidere ſolet, in quibus *laneæ* veſtes *murice* tinctæ decolorantur) nativi (*d*) mutuatique a *Rubiæ* radice, *Coccique* infectorii grano coloris permanentiæ faveat. Sed heus Tu, quicumque hujuſmodi *phenomena* ſedulò rimaris, intuere, ea ratione ſuper injectam fumanti corpori *lanam*, quæ ex vividè rubro in pallidum deflectit, quà, corporis exhalantis *peri-*

N *phe-*

(a) *Et eadem acta Accademię p.m.* 50. 61. 69. (b) *Hellot ibid. p. m.* 59. (c) *Idem ibid. p. m.* 60. (d) *Idem ibid. p. m.* 83.

pheriam conſtringit: quid putas de illa *Coccinei* coloris materia jam ex lana emigrante fieri? Quid globulis *colorantibus* de continuo corpore *lanæ* abſcedentibus contingere? Avolant ne perenni effluxu per rimas *lanei* panni in auras? Non videtur; cum cutis, eodem quo *lana* immediatè corpus tangens fuco, & pigmento obliniatur. Penetrant ergo minuta colorum corpuſcula perviam, & calentem cutim; eoque magis quód compertum jam ſit, *Rubiam* intùs ſumptam ad uſque corporis animati *Cartilagines* pertranſire, quas rubras efficit; quin in experimento, ipſa duriſſima oſſa (*a*) rubeſcere viſa ſint: argumento evidentiſsimo, tenuiſsimas ineſſe *tinctoriæ* radici maſſulas, quæ quocumque locorum etiam remotiſsimorum, & pororum anguſtiſsimorum locula perrumpere, & tranſfluere poſſunt ſolutæ. Quidni cutem illæ laxiorem longè oſsium ſubſtantia, jam in fluorem, ut vidimus, redactæ *rubiæ* molleculæ pretervolaturæ ſint? De *grano* autem Inſectorum quid dicam? Nonne patet, *ſericum* crudum eumdem rubrum colorem contrahere, ſicque in *epithemate pro corde*, ut ajunt, uſurpari cum fructu? Ita ſanè, cùm inde ebulliente vehiculo, nitens *cocci* purpura liqueſcens ad ingreſſum per cutis meatus ſeſe promptiſsima paret, eoſque ſumma celeritate elabatur, vitalem *tincturam* ſuccis affuſura. Ita docet trita, & longo uſu comprobata praxis, cui & nos meritò adſtipulamur. Sed hæc clariùs diſtinctiùſque in mox ſequenti Capite ediſſerentur.

CAPUT

(a) *Memoires de l'Accademie &c. annèe* 1738. *p. m.* 1. *uſque ad* 17.

CAPUT VII.

DE EFFECTIBUS DIUTURNI

Veſtitus Lanei uſus in corpore Humano.

I. VIdimus, diverſam ſudoris cuticularibus ſpiraculis exeuntis naturam opacitate veſtium *lanearum* incarceratam velut, denuò in eaſdem cutaneas diametros immitti poſſe; iterumque labem, quam natura vel morbo contraxit cutanea excretio, ſolidis fluidiſque humani corporis communicari. Videndum nunc eſt quodnam ſit illud, quod ex hujuſmodi iterata ſudoris ingreſsione in corpore externo oriatur. Verùm ſudoris vitia plurima eſſe, quæ vel in quantitate, vel qualitate conſiſtunt, norunt Pathologi. Idem de inſenſibili, & *Sanctoriana* tranſpiratione dicendum eſt. Nimirum ſi ſudor, vel tranſpirabilis liquor nimius ſit, ut in *febribus ſudatoriis*, vel in *hecticis*, *tabidiſque* contingit; hæc ad immoderatam ſpectant quantitatem. Qualitas autem multis modis vitiatur; Si ſudor nempe craſſus, viſcidus, glutinoſus ſit, ſicut in febribus *colliquativis*; ſi ſolito acrior, ſalſior, nimiſque *muriaticus* fuerit, ut accidit cùm acria, & *ſulſo-muriatica* ſalia in ſanguine ex pravo regimine cumulantur; aut cùm prægreſsis *febrilibus incandeſcentiis* diu durantibus generantur, ut in *febribus hecticis*, & *maraſmoidæis*: ſi ſudor colore flaveſcat ex bilis in ſanguine redun-

dantia, ut in *Ictericis*: ſi ſudor odore fœtidus, & graveolens fuerit. Verùm præter hujuſmodi naturalia, vel a morbo contracta ſudoris inquinamenta, poſſunt veſtimenta lanea ipſi aliàs puro, & ab omni impuro conſortio immuni liquidorum cutaneorum latici, etherogeneas & morbidas partes, quibus fœta ſunt, communicare, qui exinde gravem modó *acidum*, modò *acrem*, modò *urinoſum*, modó *bilioſum &c.* odorem ſpirat, haſque pravas dotes retropulſas liquidis interiora vaſa percurrentibus affricare. Huc ſpectant colorum pigmenta, quibus ſaturantur *lanæ* in uſum hominum: huc ſpectat omne *Virus*, quod & ſi odoris ſaporiſque expers, *lanæ* obſtinatè aliquando adhęret, utputa *ſcabioſum*, *purulentum*, *ſyphiliticum &c.*

II. De quorum poſtremo loco indicatorum (I.) virus venenique generum veritate ſi dubitas, neſcis profectò, *Scabiem* retroactam quacumque de cauſa, & nullis remediis foris eam prolicientibus auſcultantem, nullo negotio ſeſe prodere, quàm communione *lecti* cum ſcabioſo, vel induendo Scabioſi amiculum; neſcis præterea *Variolarum* fermentum, per fomitem traduci apud *Turcas*, ſi guttulæ aliquot puris, goſsipio, vel linamento exceptæ ſuperficiariis cutis ſummæ inciſuris inſinuentur; neſcis tandem *luem* veneream per traducem Sanis communicari, dum ſcilicet in iiſdem linteis jacent, vel ſibi eadem veſtimenta obducunt, vel os, & labia iiſdem mantilibus extergunt, quibus Infectus priùs jam uſus eſt. Quem contagionis modum, quamvis ut probabilem admiſerit *Aſtrucius*, (a) multorum tamen exempla illuſtrant. Quæ cùm ita ſe habeant, quantò efficaciùs celeriùſque venenum *lanæ* affixum intra corpus animalis inſinuabitur? Præſertim *lanæ* fabrica ſpongioſa cùm ſit, faciliùs humorem noxium imbibit, & dilutum per ſudationem dimittit, quà patet abripiendum. Ita ſanè futurum conjicies in caſu noſtro: dum enim *lana* immediatè corpus contegente, caleſcit idem, partes externæ, quæ contactu cum *lanæ* textura junguntur, madent humore, qui cujuſcumque *veneni* vehi-

[a] *De morb. vener. lib.* II. *Cap.* I. *p. m.* 124.

vehiculum habetur; ad hæc mollia, laxa, & *veneno* facilè permeabilia ſunt vaſcula cutanea; quæ tandem frequenti infrictu calefiunt magis, & rareſcunt; atque adeo *venenum*, tantò faciliùs imbibent, & notas pravas eorumdem vaſculorum liquidis inquilinis impertient.

III. Inde evidens eſt, ex induſiis *laneis*, humore, vel aura vitioſa refertis avolare quid ſubtiliſsimi, ſpirituoſive *miaſmatis* quod eas corporis partes primas omnium afficit, quas tangit: ſic in *viru venereo* genitalia in utroque ſexu corripiuntur, ſi concumbendo; mammarum papillæ, ſi ſugendo contagium concipiatur: ſic in caſu noſtro, amictus laneus villoſo ſuo involucro omne pollutum aera abdit, non antea in actum deducendum, quàm ubi minori ad cutem nudam diſtantia intra *peripheriæ* corporis foramenta commodiùs ſeſe ingeſſerit: ſic alia occaſione dicetur, *infra Cap. de Peſte*. XI. amictum ex *lana* factum, peſtifero halitu infectum, quamvis impropriè dicatur *peſte* affici, verè tamen, & propriè eos afficere, quos tetigerit: nimirum venenum *peſtilentiale*, ad inſtar *morbilloſi* & *varioloſi*, volatile eſſe debet, aerique mixtum, cùm ſolo afflatu ſanos violet; (*a*) Sed inde tamen non ſequitur, ſubſtratæ cutis immediato attactu *miaſma* illud, utut volatile, deperdi; quin integris viribus feralibus in ſanguinem eò efficaciùs regeri, quod cùm aereum ſit, ſudoris vehiculo facilè conſocietur, ejuſque ope cutanea ſpiramenta pertranſeat; maximé ſi conſideremus, ab veſtimento incumbente prædictum ſeminium ubique coercitum prohiberi, ne in totum avolare poſsit. Et profectò ſubtilitas *veneno* non adeo propria cenſetur, ut cuipiam ex animali erumpenti vapori non conveniat. Videntur enim perſpiranti ex Animalium corpore materiæ ineſſe ſubtiliſsimi ſpiritus, ultima in ſanorum corpore concoctione elaborati: Docent hoc tot nervorum ad cutaneas glandulas decurrentium ſurculi. Verùm quæ partium tranſpirabilium tenuitas facit, ut viſus aciem effugiant; eâdem fit, ut qua data inſpirationis cutaneæ porta, corpus vivens ſubeuntes miras in idem mutationes invehant.

(a) *Gorter: de inſenſib. &c. in Aphor*. LXXVII. *p. m.* 155

vehant. Neque alia certè ſubeſſe, corporum præ debilitate interiturorum, refocillationis cauſa poteſt, quamquod ſubtiliſsima illa exhalantia de valido juvenili corpore inſinuentur debiliſsimis corporibus ſub iiſdem ſtragulis decumbentibus. (*a*) Neque alia excogitari, *Maraſmi*, de quo ibidem mentio fit, curatio poteſt: dum enim exſucca *Tabidorum* corpora juvenculæ Nutricis pulcherrimæ in eodem lecto jacentis ubera ducendo, vires recuperabant; illud non tam lacti, quod ingerebatur, quàm ſubtiliſsimo de corpore florentis feminæ exhalanti ſpiritibus diviti attribuendum erat, quod in poros cutis infirmorum, ab lecti ſtragulis comprĕhenſum facillimè ingrediebatur, intempeſtivę forté Veneris jacturam reſarciens. Huc referes *Davidis* notum exemplum, qui ſilicernium factus, fovebatur ſaniſsimę *Sunamitidis* (*b*) in eodem lecto decubitu; adeout, juxta *Valleſii* opinionem (*c*) *Prophetæ* effœtum corpus, a ſubtiliſsimo exhalante e corpore Puellæ rore, eoque intra ſe, & vivifico recepto incaleſceret, vireſque reſumeret potiùs, quám a multiplici circumdante veſtitu. Contraria ratione fit, ut quæ ſenio confecta corpora in eodem lecto cum Juvenibus jacentia foventur, incaleſcant, alantur, recreentur; Juvenum tamen exſiccentur, refrigerentur, contabeſcant, & in eumdem maraſmum incidant. (*d*) Quæ quidem omnia, & alia quamplurima, quemadmodum ſyphunculorum exiliſsimorum inhalantium in ambitu cutis exiſtentiam mirè comprobant, per quos omnis generis materies ſive mala & deleteria, ſive bona utiliſque, iter moliens, miras mutationes in corpore producit; ita ſanguinis *transfuſionem*, elapſo ſæculo, dubio tentatam exitu, in hoc antecellere videntur, quòd longé multùmque efficax, elaboratiſsima, & dives corporũ materia in infirmorũ vaſcula trãsfundatur, nullibi ceſpitans, nulli parti nocens, ſed ab omni periculo tuta, cũcta, & inacceſſa corporis loca procurrat, ſpirituoſũ laticẽ vitæ, & virium fontem ſibi amicè conſociet, & laſſas, vel detri-

(a) *VVanſvieten in Boerhav. Aphor.* 28. *tom.* 1. *p. m.* 30.
(b) *Regum lib.* III. *cap.* 1. (c) *Philoſoph. ſacr. cap.* XXIX.
(d) *Confer Carolum Curtium. Diſcuſſioni anatomico- pratti-che &c. p. m.* XXXVII. *in not.* 3.

detritas vires tacitè corroborando reducat. Utinam, omiſſa periculoſæ & aleæ plenæ ſanguinis *tranſfuſionis* præconcepta methodo, quæ jam ferè obſolevit, unicam hance tenerent omnium ſimpliciſsimam viam Recentiores Medici: Inviſibili ſcilicet halitu ergaſtulis alicujus corporis ſpongioſi, ut innocentis *lanæ*, emiſſo, & intra corpus admiſſo, vel effuſo, & illicò traducto ea ratione vapore, Infirmorum valetudinis tuendæ, & amiſſæ recuperandæ! Sed in viam.

IV. Simili quoque ratione, diſcurrendum eſt de coloratis corpuſculis, medio ſudore liquatis, & externo corpori inditis. Quippe ſalia *tartari*, *&* *vitrioli*, idque generis, ad colorem adhibita, ut & *alumen*, cùm inter ſe analiſi conveniant, necnon *ſale acido vitriolico* ubique ſimili, & terra *bolari* conſtent; (*a*) ſequitur, ut aquea tranſpirationis parte ſolvantur, & eumdem cum ipſa fluiditatis motum retineant. Cùm autem ſalina hæc principia ſolida ſint, rigida, aculeata ſpinarum ad inſtar, mirum non eſt, ſi omnium fere corporum poros ſubire, eorum partes tamquam cunei dirimere, mixtorumque diſſolutionem promovere valeant. Verùm ut rationem hujuſce noxæ ab colorum in *lana* deliteſcentium dilutione oriundam conjectura quantùm fieri poſſit, aſſequamur, ſupponere licet, plures coloratas atomos, hinc inde ſudoris eruptione, & contactu ſolutas, decidui ad inſtar *Roris*, ſibi invicem adglutinari ope terræ *aluminoſæ*. Quamobrem pro diverſo *tartari*, vel *aluminis* prædominio difformis indolis ſuccum roriferum conſtituunt, qui a liniamentis tomenti divulſus, & ſtillans, in obvios, & contingentes cutis meatus, eoſque patentes, continua deſtillatione devolvitur, ſalina qua pollet acrimonia, confertiſsima nervulorum cutaneorum ſtamina vellicat, & ſibi, vel ſtimulo, & coarctatione tubulorum, vel adſtrictionis momento ad ulteriora aditum obſtruit: unde in arctiſsimis tubulis liquidorum maſſa ſubſiſtens mole ſua, ardorem, & calorem pruritum, & inflammationem producere poterit, quibus humores difficiliùs adhuc fluentes, & magis coerciti frequenti mol-

[a] *Geoffroy de foſſilibus Tom.* I. *Cap.* IV. *p. m.* 139.

mollecularum aggeſtione glandulas *miliares* in tubercula attollunt, & mora acriores facti, moleſtum ſcalpendi deſiderium uná excitant. *Confer ſupra Cap.* V. §. XVI. Vt enim lanatæ veſtes detectæ cuti impoſitæ, partes, quas tangunt, ſimili colore tingunt; *Cap.* VI. §. III. IV. ita *ſalis* molleculis, quibus eædem veſtes armatæ ſunt, tranſpirabili liquido dilutis, & corpori ingeſtis, multa incommoda parere poſſunt. Remedium ergo eſt, veſtis, vel *ſubuculæ* permutatio.

V. De conjecturis hactenús; nunc veró de præcedentis doctrinæ confirmatione pauca trademus, obſervatione ſequenti fulti. Mulier obſcuri generis colicis doloribus a multó jam tẽpore cõflictata, cùm morbus inveteraſceret, neque ullis auſcultaret remediis, conſilium a me petiit. Ipſe autem ęgrotantis inopiæ cõſcius, malũ oppugnaturus, nõ ea ſelegi remedia, quæ ſplẽdidis pharmacopolarum loculis vulgò efferuntur, & quæ Infirmam certé ad ſummas Rei domeſticæ anguſtias conjeciſſent: ſed dedi operam, quantùm in me fuit, ut ad auxilii genus ſeſe converteret, quod & opere prætium facturum, & noxæ inveteratæ præſidium unicum foret. Itaque *laneæ interulæ* uſum ſuadeo, ægramque jubeo, toti Abdomini eamdem ita circumducat veſtem, ut nullus aeri pateret ingreſſus. Arripuit ergo illa Thoracem quemdam *laneum* coloris nigri, qui fortè domi erat, quo imum ventrem contegit, ductoque circum cingulo, arctè conſtrinxit. Quó facto, tormina remiſere, ſedatique dolorum tumultus, donec effluxis aliquot diebus, denuo me acciri curaverit, neſcio, quo de pruritu conqueſta: nudari tunc Abdomen jubeo, & en tibi totam ventris peripheriam, denſiſsimis tuberculis miliaribus, calentibus, ſcalpentibuſque obſitam: Hinc reperio intervalla puſtularum rubra, & levi affecta *phlogoſi* offendo; Inde in *Pannum*, vel linteum jam corpore geſtatum oculos conjiciens, videbatur illud, qua aream imi ventris immediatè contegeret, ita maculatus, ut niger, aterque priſtinus color prorſus evanuerit. Quare, quis impoſterum erit, qui re bené conſiderata addubitare velit, immania iſthæc exanthemata, quæ abdominalem Regionem fatigabant in noſtra ægra, ab *ſalibus vitriolicis* ex contextu ſubuculæ derivatis, & in-

poro-

poroſitates externas abdominales incuneatis conjectiſque, ibi inde ſtagnantibus, nervoſque vellicantibus ſuborta fuiſſe? Quę mala utique *veſtis amotio* potuiſſet avertere; quemadmodum reverà impoſterum præcavit candida, & nullo expreſſa colore veſtis, quæ ipſius ægrotantis abdomen cooperuit innoxiè, protegitque adhuc uſque in hanc diem, feliciſsimo, ſimpliciſsimo ſanationis exitu; ope Gymnaſtici, ita dicam, remedii (*a*) peractæ.

VI. Devolvimur autem jam ad peculiares indiſpoſitiones, quas retrovergens ſudor in cutis ſpiracula, ob difficilem aliquando avolationem ex *lanei* veſtitus ſuperficie, corpori communicare poteſt. Et quidem imprimis, præ nimio ſudoris effluxu, *lanea* ſudaria cuti propiora velut macerantur, atque idem ſudor diutiùs quàm par eſt in *lanæ* contactu conſiſtit: cùm enim altiús & velociùs humidum *lanæ* imbibant, nec qua liquorem exſugunt, eadem ratione in aera diſsipent, fit, ut aquoſus, & exuberans humor eodem ſemper emollito indumento circumfundatur, neque ullo flexu, fugaque proripere ſeſe ab topica veſtis pernicie poſsit. Quamobrem perenni ac diutina infuſione, eaque aliis atque aliis ſudoris rivulis identidem renovatâ atque adauctâ, deſides in *laneis* cancellis ſudores non putreſcent modó, ſed in corpus relapſi, idem vitiabunt. Illud autem eveniet, vel 1. quód majorem liquidi aquei copiam humoribus noſtris infundant; unde relaxationis indicia, patentior ductulorum tranſpirantium diameter, ſolidorum inertia atque flacciditas, temperatio motus, caloris mitigatio, ſiccitatis medela, lentoris ſolutio; quo quidem modo operantur *emplaſtra*: Vel quòd 2. in iſta quiete, & ſudoris, hærentia multa ſtrigmenta ex *lanæ* ſuperficie jam emollitæ abradantur concurſione mollecularum fortuita, & mutua earumdem cohæſione, externis cutaneis meatibus craſſitie ſua & oleoſitate adhæreant, eoſque ſupra cutis ſuperficiem ſordibus collectis conſpurcent, obſtipent, & humorum effluxum inhibeant; unde multa mala producuntur: Vel quòd 3. diuturna abundantis ſudationis inter *lanæ* ſtamina perma-

(a) *Mercurial. de arte &c. cap.* VIII. & IX.

nentiâ vitium capiant, ni moveantur puri illi tranſpirationis fontes, adeout ſingularis inde morantis ſudoris putredo oriatur, quæ corpori animato ingeſta, & liquidorum oceano mixta, tabifico contactu eadem maculare, & inficere poterit.

VII. Quòd ſi parciùs ſolito cutanea materia effundatur, quia ſanguis humido ſpoliatur, phenomena tunc oriuntur adauctæ inflammationis: calorem enim excitat *lana* carni proxima, & ſudorem prolicit, *Cap.* IV. §. III. 1. 2. 3. 4. cujus ſi materia deficit, liquida nimis agitantur, magis excandeſcunt, torrentur, citiùſque in malignam tranſeunt qualitatem; præterea omne quidquid tenue eſt, exhalat, nihil niſi craſſum, quod laborioſa vitâ ſubigitur, intùs relinquitur; ſed de his in alia occaſione dicemus, *infra cap.* IX. ubi *De cautelis in uſu lanearum veſtium adhibendis*, ſermonem inſtituemus.

VIII. Humorum vitalium adauctam tenuitatem in febribus colliquativis *hìc* §. 1. craſſum viſcidumque generare ſudorem, nemo miretur, qui circumfuſum cruori adipem, nimio æſtu colliqueſcere, & qua data porta exire noverit: qui quidem oleoſus humor, dum per circulationis ſemitas abripitur, tenuis; quando verò extra circuitus viam ejicitur, ut in ſumma cute, & in urina, denuò in maſſam cogitur, & glutinoſior evadit. Hic ergo, quem dico humor, ubi primùm exceptus, atque obſeptus *laneis* vallis eſt, iiſdem conglutinatur; ſed creſcente calore corporis, & impedito fluidioris portionis per contextum *lanæ* egreſſu, ſolvitur iterum, & in fluorem oleoſum calentem mutatur: qua ratione itinera circulationis cutanea vel intrare, vel acrimonia qua pollet vellicare, multiſque modis afficere poteſt. Cauſa horum erit, lentior *ſudoris* viſciditas in *lanæ* ſuperficie intercluſa, eamque cœno quodam obliniens, ita ut licèt tenuior portio a corporis ſubjecta area erumpat, non poſsit illa tamen ultra, propter villorum *lanæ* impervium gluten, meare; quare ſubſiſtat neceſſe eſt, & in extremis cutaneis ſeſe occultet, quo oleoſum craſſum, pingueque *lanæ* fluidum adjuvante calore reſolvat, cuti, unde exierat, iterum ingerendum.

IX. *Salſedo* autem jacturæ *cutaneæ*, quæ operimenti *lanugino ſi* ſtaminibus irretita ſupponitur, ſi ſenſibiles cutis tubulos,

los, unde manavit, contingat, periculum eſt; ne ſubita canaliculorum conſtrictione liquidi curſum ſufflaminet, & vicinas partes inflammet; *hìc* IV. V. quam primùm ergo ſalibus quibuſcumque ſudore liquatis, Tegmina animalium infarciuntur, poſſunt eandem corroſivam labem in corporis animalis ſolida immittere; vel ſi *ſalina* hæcce inquinamenta ſanguini immediatè non communicentur, at ſaltem nervulos extremos occupare poſſunt, ibique exitialem vim ſuam ſatis eminenter exercere, eos irritando, vicina loca rodendo, exulcerando, & corrumpendo. Sic ſudores illorum, qui in *Calcanti mineris* laborant corroſivi, & linteamina exedentes obſervati adeo fuerunt, ut in minutiſsimas molleculas facili negotio diſcerpi poſſent; & ſicubi ipſam *cutim* impeterent, ejuſque minimis canaliculis infererentur, potenter vitiabant: Teſtis eſt *Fridericus Hofmannus*. [a] Porrò familiare eſt Scorbuticis, ſanguinem ſalibus muriaticis habere, quę proinde a corpore avolantia, & in *lanæ* ſpatiola conjecta, ut veſtimenta corrodunt, atque maculis contaminant; *hìc* §. V. ita in poros proximæ animatæ cutis patulos ingreſſa, in ſanguinis lacum irrepunt, eumque coinquinant; vel parietibus tubulorum impacta exulcerationem intentant; unde *vibices*, *maculæ*, *pruritus*, *dolor &c.* De *Phtiſico* autem ſudore ita ſentio, eum *lana* ita foveri, ut poſt annos etiam ſopitum in actum erumpat. Dum lucri gratia, vel parcendo ſumptui, Phtiſicis adſtantes horum veſtimenta clam ſurripiunt, & induunt ſibi, phtiſicum venenum inſpirant incauti, quod cutis madore ſolutum, calore reviviſcens, oſculis vitalibus receptum, ad ſanguinis uſque oceanum pervadit, quem ſimili ferali miaſmate afflat. Quod Ehu quàm ſæpè damno ſuo experiuntur, qui ſpreta, vel occultata de induſtria hujuſmodi cauſa, morbo jam adulto, ſeró medicinam parant. Quàm inde ergo ſancta, & ſalubris eſt, veſtimentorum phtiſico ſudore, vel halitu infectorum combuſtio, ne quid de veneno hocce ſuperſit, quod nimiúm confidentes fallat; & innocentes op-

[a] *Diſſertat. de metallurg. mortif. Tom.* VI. *p. m.* 217. *ſequent.* §. 7. 15.

primat; quodque timorem; vel ſaltem prudentem ſuſpicionem, *vide ſuprà Cap.* V. *Cap.* XV., *num.* 6. inferat.

X. Contra verò, ſi animalis tranſpiratio bilioſis, oleoſiſque partibus ita turgeat, ut panni proximè ad cutem admoti filamentis copioſior immoretur, periculum eſt, ne ibi longiori, quam par eſt, tempore ſe ſiſtens, pravam indolem concipiat, & ſanguini indigenæ transfundatur: inde enim obvium eſt deducere, affectus calidos cutaneos, vel excretoriorum cutaneorum varia incommoda in *lanigeris*, *ſeu pannoſis hominibus*, quòd inde eoſdem conflictari certum ſit, *calore*, *prurigine*, *Varis*, *eriſipelate* imò *furunculis*, propter diuturnum bilis incolatum, & ejuſdem in cutanea vaſcula remigrantis acredinem, vel inhibitæ perſpirationis moram. In ſumma *bilioſus* iſte humor, quocumque modo cutaneas ſemitas obſederit ſive madore, ſive halitu, ſive circulantis lymphæ adminiculo, pari prorſus ratione, guttularum tenuitate, fluiditatis motu, calore cutis quo ęſtuat, mutua partium, quas tangit, fricatione, primò ſemper introducitur per poros minutiſsimos quidem, ſed fermè innumeros, quibus *cutis* denſiſsimè pervia eſt, & permeabilis, quibus non modò intùs foris, ſed *foris* intus patet aditus. Verùm ne bilis, hujuſque pinguis tenacitas, iſtiuſmodi intra vitalia ingreſſum difficilem tibi reddat, cogita quæſo ad utilitatem emplaſtrorum, *hìc ſuprà* §. VI., non levem olei vim admittentium, quæ idcirco ad tumores *skirroſos*, *exoſtoſes*, *gummata &c.* in parte quadam particulari reſolvenda feliciter admoventur; cogita quid in *unguento mercuriali* valeat axungia, quæ utcumque craſsior molleculis mercurialibus ſit, diviſa tamen, & adtenuata, una ſanguini adeo altè immittitur, ut malé de induſtria, finita quavis frictione, extergas, quod cuti illitum ſupereſt: adeò ut in plenioris *hydrargiroſis* infortuniis, neceſſe ſit, detrahere extemplo induſia omnia mercurio tincta, mutareque lecti lintea; imò ſi commodè fieri poſsit mercurialem ſorditiem, quæ cuti inhęreſcit, detergere, ne mercurio intùs furenti (*a*) tacitas ferat ſuppetias. Cogita dein

[a] *Aſtruc. de morb. vener. Tom.* I. *lib.* IV. *Cap.* VIII. §. I. *p. m.* 476. *num.* 2.

Balſamicorum; quamvis tenaciſsimæ indolis, penetrandi in vaſcula *lactifera* capillaria, exiliſsima, inviſibilia virtutem alibi a nobis demonſtratam. (*a*) Cogita tandem bilis viſcedinem non tantam eſſe, ut parte ſua fluidiori non queat reſolvi, & reſoluta, corporis penetralia adire, præſertim ſi calor humidus acceſſerit bilem diluens, & magis perſpirabilem reddens. Docet bilioſus *Duodeni* inteſtini, & *veſiculæ felleæ* color a tranſpirante bile: Docet ejuſdem liquidi præſtantia in reſolvendis, detergendiſque ulceribus glutinoſis, calloſis, ſordidis, (*b*) item in cœcitate, & albugine curanda ab humoribus craſsis: (*c*) Docet odor violaceus, ex aſſumpta therebentina in urina abſque mora conſpicuus. Ut proinde dubitare nefas ſit de reditu, & reductione partium oleoſarũ bilioſarũque, pãnis induſiiſque *laneis* implicitarũ, in liquida vitalia, dum ratione dicta adeo adtenuatur, ut aquæ inſtar fluat, & cum aquoſiori ſudoris vehiculo intùs reſorbeatur. Memini, Chirurgo, dum ſcrupuloſiùs, *dyſentericas*, & omnino bilioſas excretiones alvi, oculis propiùs perluſtraret, & digitis idemtidem contrectaret dyſſentericum affectum ſuperveniſſe: hauſto ſcilicet, per ſalivæ aeris cutiſque itinera ſubtiliori bilioſoque miaſmate.

XI. Verùm enimverò non negaverim, bilem geſtatis induſiis accreſcere, itaut ſi identidem in cutaneos ductus depluat, eoſdem potiùs oppleat, ſtipetque, quàm permeet atque pervadat. Quod duplici de cauſa fieri opinamur. 1. Ex acriori & vetuſtiori, ita dicam, ejuſdem natura, ut in protracto induſiorum laneorum uſu contingit. Inde enim futurum eſt, ut molleculæ bilioſæ, dum veſtis immediatè cuti affricatur, ad pilorum latera, ſubtus cuticulam latenter illapſæ, formâ inconſpicua cellulas reticularis plexus, in quas irrepunt, acredine ſua ſuffodiant, & in papulas circumcirca faſtigient: inde *puſtulæ* pruriginoſæ rubræ, *flogodeę*, *eryſipelatodes* homines iſtos

[a] *Animadverſ. de Phtiſi in Vvinright de Nonnatur. c.* III. *animadv.* III. [b] *Boerhav. de virib. Medic. part.* III. *lib.* III. *lib.* v. *p. m.* 409. [c] *Foreſtus apud Haller tom.* I. *p. m.* 443. *not.* 34.

iſtos ſollicitantes, angentes, & ſomno prohibentes. 2. Ex tenacitate ſumma excretionis hujuſce bilioſæ, quæ tamquam ſimplex viſcidum cutem infercit, ejuſdemque ſpiramenta denſat, quibus pertuſa eſt, unde ſuppreſſa perſpiratio bilioſi recrementi, quod ab hiſce emiſſariis præcluſum intra corpus jam retinetur, & retentum liquidis iter agentibus molitur inſidias, idque vel cruoris celeritatem intendendo, vel febres bilioſas producendo, vel alia conſimilia mala patrando, non eventura certè, ſi circulationis motu pingue abreptum, eadem cutanea via ſordibus bilioſis nequaquam ſcatente, latenter evaneſceret, taciteque ſine objecta, & reflectente *lanea* amicula, in auras exhalare diſpergique poſſet. In hiſce ergo caſibus corporis cultus ac veſtium mundities commendanda. Dum enim linteamina, & quodcumque linteorum genus bilioſo excremento, adipoſiſque partibus ſordida, & inebriata corpori detrahuntur, ceſſat cauſa humorem unguinoſum perſpiratum prohibens, ſuggerens, poroſque cutis infarciens. Et dum ex alia parte infarctus cuticularis a ſorditie bilioſa dulcis aquæ lavacro eluitur, cutiſque ſumma probè curatur, exhalatio animalis in viam redit, abeſtque periculum, nequa bilis portio in cute reliqua prædicta infortunia multiplicet, vel æquo diutiùs protrahat. Ita unctio Athletarum in Palæſtris immoderatum ſudorem comprimebat. (*a*)

XII. Progredimur jam ad ultimum contaminatæ tranſpirationis vitium, quod in fœtore ſupra diximus conſiſtere. *hìc* §. 1. Quacumque ratione tranſudans per cutis meatus tranſpirabile malè oleat, cavendum eſt, ne denuó in ſanguinem retrogreſſum eumdem magis coinquinet, & certiùs quám ſi libera ſui exhalatione evaneſcat in auras. Porrò in caſu de quo agitur, & ubi eodem induſio *laneo* veſtimur amicimurque, non levis ſubeſſe videtur ſcrupulus, halitum nempe putridum diu latiare in villis *laneis* poſſe, & accedente intromiſsionis cauſa, in ſanguinem reduci: ſimili prorſus ratione, qua odore imbuta *lana* eumdem diu ſervat, atque *therebentina* ore ſumpta, lotio odorem violaceum extemplò com-

[a] *Mercurialis de arte &c. lib.* 1. *p. m.* 12.

communicat: *hic* §. X. Itaque veſtibus hiſce, putido ſudore gravibus, dum ſanorum corpora obvolvuntur per cutem, quam laté longèque adſitum indumentum contingit, veneficum illum odorem, & impudicam auram abliguriunt, quæ in intimum ſanguinis, humorumque vitalium admiſſa commercium, putredinis ſigna in corpore dabit, puta *convulſiones*, *dolores*, *calorem ardentem*, *carbunculos*, *anthraces &c.* ſic bovilli cadaveris halitu Viator interemptus legitur: [*a*] Sic tenuiſsimus ex *peſte*, *febre petechiali*, *variolosa*, *hectica*, & quoquo alio morbo ex putredine orto, [*b*] Infectis expiratus vapor, & a ſanis corporibus aeris vehiculo ſuſceptus, partim immediatè per obvios oris nariumque tubulos ac poros ad ipſam ſanguinis maſſam; partim etiam cum ſudore iterum abſorpto ad ipſa liquida cutanea tranſit, celerrimè ſeſe multiplicat, atque vel totam humorum maſſam inficit, vel in emunctoriis cutaneis ſtagnans peſsima ſimptomata producit. Hinc eſt, quòd in *putridis febribus* tanti habeatur aeris renovatio, induſiorumque mutatio, ut omne *alkali volatile*, & oleum volatile putrefactum auferatur, ne volatilia iſthæc putredinem conceptam magis foveant, atque illibatos latices conſpurcent. Abſit ergo omnis timor inſtaurandi veſtimenta, & ſtragula putredine *variolarum* inquinata. [*c*] Sic in caſu noſtro hæret homo, ſudore putrido ex ſui corporis ambitu jugiter proſiliente; hæret, inquam, in ſufficienti aere ambiente, eoque putrefactis exhalationibus onuſto; hæret iterum ita ut nec aer regenerari ab interularum lanugine implicatus, neque ſudor liberè tranſire queat: Unde binæ cauſæ putrefactionis, *calidum* ſcilicet & *humidum*, quæ corpora non putrefacta etiam deturpant; quod non fieret, ſi omni momento novo accedente aere, & amota ſubuculâ, ea effluvia auferentur. Quid ſi ſanguis jam in putredinoſam corruptionem valde pronus, atque proclivis animadvertitur; quot & quanta inde mala non oriuntur? Siquidem per vitales cutis canalicu-

los

[a] *Lanciſius oper. tom.* II. *p. m.* 11. [b] *Frideric. Hofmannus tom.* VI. *diſſertat. de Putred.* §. 24. 25. 26. *p. m.* 122. 123. [c] *Gorter in Aphor. Sanctor.* CXX. *p. m.* 172.

los remeans tabificus humor, putredinem auget, & repleto ſanguine, putrido oleo, *urina rubra*, *Stranguriæ*, *Scabies*, *Catharri*, *Tuſſes*, *Rheumatiſmi*, & quod ultimum eſt, *ſphaceloſæ* ſanguinis Staſes, mortis prænuntiæ, enaſcentur.

XIII. Tantam autem putredinem [xii.] uſum diuturnum veſtium *lanearum* corpori ſemper ferè adjacentium inducere, non is ſum, ut credam; ſed illud tantùm aſſevero, Animantia, eorumque partes tantummodo putreſcere, numquam verò in acidam fermentationem abire poſſe; oleoſas præterea humorum animalium molleculas progreſſu temporis ad ſummam acrimoniam evehi, niſi temperentur; vaporem in corpore noſtro generari poſſe adeo ſulphureum, ut flammam concipiat; [*a*] fœtorem ab oleoſo ſulphureo principio proficiſci; [*b*] item, cutem totam tubuloſam, & poroſam, univerſale & quaſi publicum eſſe corporis animati cribrum, quo seroſæ & ſulphureo-ſalſæ, ſub humoris ſpecie, excrementitiæ partes foras proſcribuntur; ex *cantharidibus*, *hydrargiro*, purgantibus, venenis multis corpori viventi applicatis, & ſimiles effectus producentibus, ac ſi per os fuiſſent aſſumpta, talem fieri in nobis abſorptionem, ut vaporis ſpecie corpori externo, nullo interjecto propinqua, intús ſubeant. Et ſané ſi torpidiores liquores, cœcos cutaneos ductus ingredi inficiaris; at ſaltem non erit, quòd de ſubtiliſsimo humore, qualis in *putrefactione* gignitur, addubites: Nam cum aëre ambiente ille commixtus in cutanea vaſcula irrepit, qui ibidem reſtitans, non poteſt ex ſua natura non mixtionem liquidorum nativam & benignam turbare, atque deſtruere. Jam verò fiunt ſimiles abſorptiones malignæ, & quotidie fiunt, neque advertentibus nobis, curam facilè noſtram effugiunt. Hecticis, Tabidis, Scorbuticis, & *maligna febre* correptis, vel lue aliqua, aut peſte laborantibus periculoſus graviſque inſidet animalis halitus, qui pulmonum, oris, cutiſque via ad ſanguinem delatus, hunc ſimili viru corrumpit, vel diu durat aliquando, & commoritur. Quamobrem fœtidiſsimus ille vapor natu-

---

[a] *Caprices d'imagination &c. lettre* vi. *l. c.* [b] *Hofmann. ſupra ibid. p. m.* 119.

naturæ humanæ inimiciſsimus eſt, utpote qui ob æthercam ſuam ſubſtantiam intimè ad fluidum, quod membranoſas ac nervoſas partes animat, motuſque & ſenſationes gubernat, accedens, inficit, contaminat, ac penitus pervertit. Quot enim & quantos in praxi videre contingit, qui intactis humoribus, & de reliquo rectè ſe habentibus, venefica aura afflati illicò occubuerunt.

XIV. Nimirum agiliſsima putredo [XIII.] ad intimiorem ſuccorum vitalium contactum penetrans, ſpirituum animalium ſpirituaſcentiam deprimendo, homines jugulare actutum poteſt. Illos enim primariò tangi in fœtoris communicatione, illæſa adhuc humorum craſi, & ſecretionibus, aut excretionibus nondum interruptis, ſatis patet ex dolore caput gravante, quo ſtatim corripiuntur, *maligna febre* decumbentium animam excipientes; ex ſumma item virium proſtratione, dum pulſus eſt adhuc æqualis &c: Adeo ergo malignitas tetræ exhalationis hominibus pernicialis exiſtit, ut abſque liquidorum, ſuccorumque vitalium mixtura in ſolos nervos ſe exerens, mortales enecet. *Placentæ corruptæ* fruſtulum utero adhuc inhærens matrem de medio ſuſtulit. *Gravidæ* putredo fœtui intacto hactenus exitio fuit. Candelæ fumus abortum procuravit. (*a*) Non requiritur ergo, ut noxia influentia in cuticulares poros, ex *laneis*, *xilinis*, & hujuſcemodi indumentis depluens, humoribus circulantibus immediato contactu confundatur; ſed ſufficit, aliquam ſenſibilem corporis partem impetiiſſe, & proritata convulſione, quaſi ex inſidiis emergendo, *Tragediam incipere*. Quæ funeſtior evaſura eſt, prout imbibens cutis poroſior, & inductæ veſtes, compactiori lanugine contextæ ſupponentur. Quippè creſcit transfuſio virus impuri in tranſpirationis ductulos, quò illi patentiores extiterint. Quam ob rem, qui ſpongioſo corporis habitu præditi ſunt, maximè verò omnium Feminæ præ Viris, profectum ab operimenti *lanei* fabrica vitium prædictum facilè concipiunt, citiùſque aliis contrahunt, qui denſiorem cutem, & ſtrictius ſudoris colatorium nacti ad abſorbendum minùs apti ſunt. Quod

(a) *Ephemerid. anno 9. obſervation. 205. &c.*

autem craſſiores, & rudiores *panni* viroſum halitum multiplicent, eumque in cutem prorſus effundant, quàm tenuiores, & politiores hanc ſubeſſe rationem putamus; quòd collecta velut in acervum animalia, & nidoroſa effluvia, & motu vitali excitata in liberum aera ſese ejicere, atque liberrimé expirare nequeant; ſed denſiori, & confertiori velleris contextu irretita, continua aſpirationum cutanearum acceſsione multiplicata, concludantur, & in ſe quaſi redeuntia, & circumgirantia motum inteſtinum putredinoſum accelerent, tantùm abeſt, ut eumdem imminuant. Nihil enim magis *putredinem* à rebus corruptibilibus arcet, & incipientem aufert ac diſsipat, quàm liberioris aeris frigidi præſertim, & ſicci afflatus, & liber commeatus. Quod neutrum in caſu noſtro obtinetur; quin è converſo, aer inter veſtem, & cutem quieſcens, calidus & humidus cenſetur, indeque ob mucidi *lanei* amictus ſubſtantiam egredi, & in auras evaneſcere nequit.

XV. Odor ergo fœtens ſudoris, & tranſpirationis inſenſibilis, veſtium tomento impactus, quamdam præviam (XIV.) diſpoſitionem requirit, ut intùs cutis via ſuſceptus morbos pariat, ſine qua irritus fit, atque innoxius. Pariter quædam eſt corporis conſtitutio, quàm mephiticus, & inſpiratus vapor non lędit: in qua fortè peculiare balſamum adeſt, quó repellere, aut emendare communicati aeris virus poſsit; aut attritæ jam aeris vehiculo, & motu particulæ, tincturam malè olentem amittant. Hinc eſt quod ſine ullo contagii incommodo, homines non in aere ſolùm putido incolumes ſerventur, verùm etiam inter alios olentiſsimam animam effundentes, & propiùs adſtantes, impunè verſentur: Audiamus hæc de re *Peklinum*: (a) „ *novi*, inquit, *olim Matronam hecticam, viro nuptam robuſtiſſimo. Hic conjugis miſeræ ſanè, & malè olentis contubernio delectatus, etiam inter baſia & animarum miſturas, quibus amor delectari ſolet, non tantùm incolumis manſit, ſed & octoginta annos natus, ex maraſmo ſenili, ne quid a conſuetudine illa traxiſſe videretur, occubuit. Liberos autem omnes, numero ſex, hectica intra*

30

(a) *Obſervation.* XLIX. *p. m.* 328. *lib.* II.

30. *ætatis annum erumpens abſumpſit. Mater ipſa trigeſimo quarto ætatis anno, liberorum partu defuncta, tandem & ipſa defecit, quæ quotidie mori viſa erat*; Hactenus ille.

XVI. Porró præter illa infortunia, quæ relapſus, & in cutanea capillaria irrepens ſudor ſive quantitate, ſive qualitate peccans, in ſolidis fluidiſque noſtris ingenerat, dantur alia, & fortè imperceptibilia, & cognitu difficillima phenomena, quæ ex effluviis inorganicis veſtium *lanearum* conficiuntur, quæque ſupra *Cap.* II. *paſſim* fuſiùs pertractavimus. Ecquis enim dubitat, compacta, firma, & denſa corpora, ipſaque metalla indiviſibiles atomos exhalare, quæ fluidiſſimo aere receptæ, mirabilem ſæpé efficaciam, & eximios effectus, ad occluſas olim a Veteribus *qualitates* damnatos, in corpore noſtro exercent? Ita ſanè ſi duriſsimæ ſubſtantiæ metallis id contingit, abraſa ut jugi effluxu ramenta, & ambienti illata, cúm eodem aere organa vitalia ſubeant, & vitæ infenſiſsimas interdum ſtruant inſidias: Quanto potiori jure, in illo continuo pannorum *laneorum* ad cutim poſitù, perenni illos inter & cutem immediatè ſubjectam attritu, corpuſcula quædam deradi aſſeverare poſſumus, quæ aere, omnium exhalationum ſeminario intra corpus vecta, atque inſinuata mira certè in humorum maſſa producant? Quamobrem apertiſsimam videmus cauſam, quare qui induſiis, amictu, vel aliis veſtimentis nudam cutem contegentibus, ſeſe diù multùmque aſſuefecerint, neque umquam de illorum mutatione ſolliciti ſint, bis patiantur morbos, nimirum ut alii homines; & ut ſunt *lanigeri*: Familiares utpote, & ſibi proprios habent morbos, a *lanæ*, vel *Xilii* contexti, quòd ſibi induunt, & pertinaciter ad cutem admotum retinent, effluviis, vel ſolis, & inorganicis, vel prædictis ſudoris vitiis commixtis, maximam, *hîc* §. VI. VII. VIII. *&c.*, partem derivandos.

XVII. Quod dein aerem ſpectat, qui diutiùs quam par eſt, a ſuperficie veſtibus *lanei* fœdi coercitus, numquam renovatur; queſtio non inutilis oritur, an ille inde noxius corpori eſſe poſsit. Aer corpora noſtra circumalluens, & qui intra vitalia ſalivæ opæ & reſpirationis penetrat, vector eſt variarum

riarum exhalationum, & diverſiſsimorum corpuſculorum, quæ pro ſua diverſitate corpus noſtrum variè afficere poſſunt. Cognitum dein eſt, ſubtiliorem tantùm aeris portionem, cui vis elaſtica ineſt, non autem craſsiorem, in animatum corpus tranſcolari. Exploratum eſt quoque, longè ſubtiliſsima effluvia cum aere fluitantia, & naribus tracta, fluidum nerveum præprimis immutare, & alterare poſſe, *vide ſuprà* XII. *ſequent.* Ad hæc compertum experientia eſt, omne quod tenue eſt, corpus noſtrum tranſpirabile facilè ſubire, & pervolare poſſe. Ulteriùs nemo non diffitebitur, cutis purgamenta maximam partem *oleoſa* eſſe, vaporeſque *ſulphureos*, aerem minus elaſticum, hoc eſt conſervandæ vitæ, & perennandis functionibus minùs idoneum reddere. (*a*) Demum experimenta clariſsimi *Merii* (*b*) Aerem ultro citroque in ſanguinem meare oſtendunt; imò ex eodem habemus, a matre in fœtum aeri regiam patere viam. (*c*) Rationes dein Illuſtriſsimi *Keylii* de ingreſſu aeris (*d*) per cutis incernicula omnem dubitationem adimere nobis videntur. Ut planè illud inde confici videatur, aerem corpori circumfuſum, atque operimentum *laneum* coriumque interjectum, depravatis recrementorum tam animatorum, quæ ex cutis peripheria prodeunt, quàm *inorganicorum*, quæ a villis *lanæ* deterguntur, qualitatibus refertum, in poros cutaneos, & illac meantia liquida magnum Jus habere; imò aliquando eadem ſpiracula ſubeuns idem aereum fluidum, & vehiculo ſudoris abreptum ſuccis vitalibus noxam affricare, & damnum non leve adferre. Quarè ut aer exhalationibus quibuſcumque, præſertim animalibus effluviis impurus, ſcatenſque naturalem reſpirationis circulum ſiſtit, quamvis ſanguini non immediatè communicetur: Ita deperdito ejuſdem Medii aerei renixu, quod habitum corporis circumſtat, & numquam purgari ſupponitur, amiſſa inquam ob varias etherogeneaſque particulas, ſive confertiſsima, eaque exitioſa effluvia, elaſticita-

[a] *Arbutnot Eſſais ibid. p. m.* 131. *&* 149. [b] *Memoires &c. annèe* 1707. *p. m.* 196. [c] *Idem ibid. anno* 1693. *p. m.* 194. [d] *Tentamin. l. c.*

tate ceſſat, vel hoc ſolo de nomine, benefica illa actio, quam ex ejuſdem puri fluidi in cutem vibratione, ejuſque ventilatione deducendã eſſe, cũ ſanioribus phiſiologis arbitramur. Quemadmodum tandem aer vaporibus ſpecuum ſubterraneorum denſis inebriatus, itemque fumis lampadum teterrimis repletus, tranſpirationem pulmonalem impedit, circulantium ibidem humorum motum ſufflaminat, atque ſtimulum, violentę inſpirationi ſimilem excitat; ita inquinatus ille, in caſu noſtro, inviſibilia cutis ſpiracula infercit, & cutanei ſanguinis *ſubtiliſationem*, ejuſque motum promptiorem coercet: unde parcior exhalatio, & morbi a ſorditie & illuvie fœda pendentes.

CAPUT VIII.

MULTA INSECTA CUTI INNASCI,

Atque a cœnoſis & ſordidis veſtibus laneis foveri.

I. SI quis Inſectorum conceptionem, generationem, & in aere tantùm aperto excluſionem conſideratè contempletur, profectò colliget, aerem, ut infinitorum corpuſculorum chaos eſt, ita per ipſum aera deferri ovula impregnata genitali fœtura ſuorum animalium. Suſpenſa caro, & clauſo undique ſervata loco, vermiculos generat. Apud Nigritas guttæ pluviæ labentes corpori non ſolùm horrore incuſſo nocent, ſed & inſecta continent innumera. (*a*) In rore aeris maximam partem conſtituente, animalculorum minimorum inviſibilia ovula circumquaque moventur, quæ ubi Plantas attingunt, veſtibuſque cohærent, excluduntur. *Confer ſupra Cap.* VI. §. II. III. IV. Ergo mira, eaque diverſiſsima, animalcula in oceanò aereo undique natant. (*b*) Sed & ſuos vermiculos connutrit Tellus; ſuos quoque, & diverſi generis, Vegetabilia habent aluntque; ſuos in ſinu gerit fovetque aqua, præcipuè ſtagnans, atque collecta. Suos fovet humanum

---

(a) *Gautier Biblioteq. des Philoſoph. tom.* III. *p. m.* 247. *apud Arbutnot ibid. p. m.* 14. (b) *Confer Boerhav. Chem. tom.* I. *p. m.* 261.

manum corpus. Intra Inſectorum ovula vel minima puſillus vermiculus latet, qui paulatim ſeſe explicans, & veteris vermis formam exuens, *papilionis*, *muſcæ*, aut alterius animalculi alati ſub forma prodit. (*a*) Ne igitur tantoperè ſtupeas, ſi cum clariſsimis Viris (*b*) dicas, hominem quoque ipſum ſub vermiculi ſpecie priùs delituiſſe, quàm elegantem ſuam formam ſortitus conſpiceretur; cùm guttula ſeminis optimè conſtituti decies centena millia & ampliùs animalculorum contineat: (*c*) ſic ſpirare in lucem editus incipit, ex verme factus homo, cujus *metamorphoſes* vide apud *Kirkerum*. (*d*) Sic tandem in oviparis ſimilem ſervat *Natura* harmoniam, dum, ovulo calore foto, *papilionum* formam ſpeciemque concedit. Non ergo mirandum eſt, ſi ſpoliis *laneis* determinata animantium ovula innaſcantur. Certé *panni*, qui in hominum exuvias cedunt, diverſos continent vermiculos, non ſecus ac quibus ſordium inquinamenta accreſcunt; juxta illud, *Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea* (*e*) Tinea enim eadem, qua operimentum *laneum*, lana nutritur, velleriſque fibrillas tinctura ſolutas in ſtomacho digerit, (*f*) ſicque tacitè pannos conſumit.

II. Tam multiplex, tam varia in multis, ne dicam omnibus, viventibus vermiculorum progenies, naturali quidem conſtantique rerum ordine procedit; ſed fortuitam & exlegem Inſectorum ſobolem, quæ producit *Putredo*, quis umquam mente aſſequitur? Nihil ad illorum generationem mirificè promovendam aptius ipſa putredine eſt, ut huic tamquam primariæ cauſæ [*g*] animalculorum conceptionem & fœcundationem tota Vetuſtas tribuere non dubitaverit: donec Recentiorum ſtupenda hac de re induſtria omnem generationem ex *ovo* vel *ſemine* proficiſci, ipſa luce meridiana clariùs oſtenderit. Eſt tamen quid in *putrefactione*, quod *entomatum* evolutioni mul-

(a) *Reaumeur hiſtoire des Inſectes &c. lib. cap.* (b) *Vide Geoffroy quæſtion. Medic. anno* 1704. §. v. *p. m.* 136. (c) *Ibid. p. m.* 128. (d) *lib. cap.* [e] *Iſaiæ cap.* 51. *verſ.* 8. [f] *Reaumeur hiſtoire annèe* 1737. *p. m.* 18. [g] *Fridericus Hofmann. de temporib. ann. inſalubrib.* §. XIII. *tom.* V. *p.* 66.

multùm obſecundet. Fortè humidum atque calidum exceſſivum, quod non ineptè Philoſophi Veteres, & Ariſtoteles ipſe ſalutarunt materiem *putredinis*. [*a*] Dum pluviis congeſtæ liqueſcunt nives, aquarum indomita volvitur illuvies; dum flumina tument, argines ſuperant, & vaga per campos, per urbes expatiantur, ebriaque tandem arva in paludes convertunt: Quanta hinc putredo, [*b*] quantus fœtor in aerem vibratur? Quanta Inſectorum ex fœtidis cœnoſiſque paludibus elevatorum ſtrages editur, quorum corpuſcula dum reſolvuntur, teterrima in aerem effluvia diffundunt? Quot *Myriades* vermiculorum generantur, qui denſiſsimis agminibus aerem infeſtant, & diverſo itinere animatis corporibus ingeſti (*c*) popularium morborum triſtem plerumque faciem oſtendunt? [*d*] Quàm ingens ovulorum ſeges per auras diſſeminatur, novorum, & inauditorum malorum præludium?

III. Unde ſimilibus de cauſis nunquam ferè (II.) ſpoliatæ veſtes *laneæ* Inſectorum ſeminarium eſſe poſſunt, & debent. Quippe corpore iiſdem velaminibus ſemper induto, fieri nequit, quin fumi, halitus, vaporis, vel exhalationis e corpore viventis affatim erumpat, quod permixtum aeri circa corpus quodcumque exiſtenti, hoc alteret, atque corrumpat. Imò accedente de novo tranſpirabili immotus aer diu circa corpus movetur, moraturque ab eodem corpore continuò effluentes ſubſtantias: Ad hæc jugi maceratione emollita induſia perflationem cutis, ejuſque abſterſionem inhibent. Tandem in tanta excrementorum cutaneorum multitudine intergerinum aera, effluviis animalibus variis impletur, & ſordes ſordibus accumulantur; præſertim ubi numquam ferè corpore deponitur *lana*, eaque ſuccida reddita, aeream ventilationem excluſerit, & prohibuerit. Ut ergo verbo dicam, ingens putredo in ſuperficie *lanei* induſii, quà corpus tangit, orietur, fęcunda Inſectorum mater futura, *confer ſupra Cap.* VI. *&* VII. §. XIII. XIV. ſive quòd humiditatem cum calore fo-

[a] *Apud Hofmannum ibid.* §. XII. [b] *Lanciſius lib.* I. *par*. I. *de noxiis &c. cap.* XVI. [c] *Idem ibid. cap.* XIV. [d] *Hofmann. ibid.* §. XIII.

foveat vermiculorum fæcundationi faventem; *hic* §. II. ſive quòd *matres*, neſcio quam in putredine dulcedinem invenientes, ad hanc allectæ convolent, atque in *putrefactis* corporibus ſubſiſtant, nidumque ſuis ovulis ſeligant. Certè verminoſum genus non cauſa, ſed effectus rei, quæ corrumpitur, exiſtere videtur; qua de re conſulatur caput noſtrum de *Peſte infrà cap.* XI.

IV. A longo tempore geſtata indumenta quæcumque, præcipuè verò *lanea*, & bombicina, in illa diuturna hominis ſudatione ſemper macerata, tandem tabeſcere poſſe, nemo non videt. De Sericis opificiis ob fœtorem nocentibus, ſic ad *Lancifium* ſcribit *Bartholomæus Traverſarius*; [a] „ *abſoluta fuerunt ſerica opificia, quæ odore gravi* Piſaurienſium *ſaluti, ut reor, magnoperè adverſabantur*; *utinam* pergit *& impoſterum hujuſmodi* ars *longè a Civitate ablegaretur: urbanum enim aerem a noxiis incoctorum, corruptorumque bombycum miaſmatibus vindicatum cerneremus.* „ Hactenus ille. Putredo autem *Inſectorum* excluſioni favet. (II. III.) Dum in Turmis Caſtriſque, ob inhumata animalium hominumque cadavera, fœtor immanis exoritur, en tibi muſcarum, ceterorumque animalculorum optimum ſanguinem hominis ſugentium turbam. Dum idem pannoſus miles a deponenda veſte, multis forté concurrentibus, prohibetur, ſordes generantur, immunda veſtimenta evadunt, corpus redditur minùs tranſpirabile; hinc in propria ſui atmoſphæra numquam renovata continetur ſordidata veſtis, emanantes expirationes ſuccidarumque purgamenta adaugentur; inde habebunt *Inſecta* tot nidos, in quibus ovulorum incubationi vacare poſsint, indè major futurus eſt vermiculorum proventus, & abundantior pediculorum ad crines piloſque nidificantium copia; & ex his iterum vermiculorum uberior multiplicatio, frequentiùs & ob fœtorem nares militis infeſtantur, & ex ſquallore veſtium putrida pellis, animalculorum aculeis vulnerata multis modis afficitur. Quamobrem qui de militis in Caſtris ſanitate tuenda ſcripſerunt, Palliorum lacernarumque internarum mutationes

 ma-

(a) *lib.* II. *epidem.* IV. *cap.* VI. *p. m.* 237.

magni faciunt, neque immeritò. Vide *Portium*; (*a*) conſulantur item ea quæ ſuprá diximus in hanc rem. *cap.* VII. §. IV. *ſequent.* Quod dein ſordes cuti innaſcentes vermiculorum generationi conferant, ſi experientia deſtituaris, at ſaltem Doctiſſimi *Friderici Hofmanni*, egregio dicto auſculta: ait enim: „ Qui veró ex omiſſa lotione, vermiculos in cute *Neo-* „ *natorum* generari ſtatuunt, quos *Comedones* vocant, ma- „ gnamque boni nutrimenti partem ſubtrahere credunt; hi „ me eò adducere non poſſunt, ut ipſis penitus fidem tri- „ buam, quia novam hanc adſertionem ſufficienti experien- „ tia nondum ſatis habeo confirmatam.„ (*b*) Hactenus vir Ille, cujus candidam confeſſionem oppido demiror, ſimilique ratione perſuaſum habeo, aliter illum loquutum fuiſſe, ſi experimenta a nobis infra recitanda, *infra* VI. VII. explorata habuiſſet, vel ab aliis fideliter enarrata legiſſet, & attentè perlecta, ut ſolent prudentiores Medici, comprobaſſet.

V. Bellè, & invictè huc uſque regeret fortè aliquis; ſed quis vel parum ſanæ [perget] mentis eſt, qui *laneam*, Xylinamque ſubuculam ſemel indutus, eam nonniſi tranſacto longo temporis intervallo deponat, patiaturque, uberem adeò pediculorum ſegetem ſuo ſudario innaſci? Et nonnè magis expediat, [inquies] inter fabulas, vel potiùs Vigilantium ſõnia referre iſtius modi vermiculorum nidificationem, cum nulla experientia confirmetur, quin potiùs contraria obſervatione refellitur? Verùm haſce difficultates impręſentiarum diluere, noſtri officii eſt atque inſtituti, cùm alioquin non levem noſtræ opinioni labem inferrent, atque oriundam indè ſanam, de veſtium mutatione ubique neceſſaria, therapejam non parùm infirmarent. Et quidem ut quod primo loco propoſitum eſt, dubio occurram, non is certè ſum, qui omnes Mortales adeò dementes eſſe exiſtimem, ut incommoda, quamvis levia, ſanitatis omni quo poſſut ſtudio avertere, & ab ſe amovere non adnitantur: Sed certiſſima, & crebriori experientia edoctus ut quiſque ſocordiæ aliquorum gnarus, teſta-

(a) *de militis*, *tom.* II. *part.* III. *cap.* V. *p. m.* 74. (b) *Idem de tabe infantum tom.* III. §. VII. *cap.* VIII. *p. m.* 489.

teſtari poſſum; Nonnullos reperiri, quos nulla tuendæ propriæ valetudinis tangit cura; qui non modò effuſiſsimis habenis, in quęque flagitiorum genera ſponte ruere geſtiunt; verùm etiam belluarum ad inſtar, (ſi non hiſce Brutis ſtultiores) effractis omnibus dieteticis legibus, vitam arbitratu ſuo componunt, hi ſunt, quos vel gulæ irritamenta alliciunt, vel torpentiſsimum ocium effeminat, vel placidiſsimus, & pinguis ſomnus opprimit; vel quos nulla vitæ oblectamenta percellũt, nullive caſus commovent: hi ſunt, qui ut ſemper, Suum ad inſtar, cæno ſuorum vitiorum immerguntur, ſic eodem veſtium inquinamento conſpurcati diutiſsimè jacent. Sed quid amplius moror? Quoſdam, inter præcipuè Plebejos reperire eſt, qui omnibus infortuniis vexati, niſi thoracem unum *laneum* geſtandi opportunitatem non habent, neque cutis munditiei ſtudere volunt. Illis enim, dum viliſsimis operibus addicti, omnia promiſcuè putrida tractant, & ſi qui ſint, qui lanionũ vices ſuſtinent; his enim inquam ſudore fœtido, & putrida ſorditie incruſtata indumenta, noxium non modò virus eructant, ſed & infeſtis aculeis armata gignunt animalia, quæ in Miſerorum corpora denſiſsimis agminibus involant. Quid autem dicam de Viris ſingulari, & eximia virtute præditis, quibus ſemel injecta ſtrigilis lanea ad operimentum corporis, vel ex voto electa, vel pęnitentia ultrò ſuſcepta, vel ex inſtituto Religionis admiſſa, ita immutata intactaque, & ad cutim quaſi immobilis manet, ut *inconſutilis* eſſe videatur? Quid tibi videtur? Dubitas ne futurum inde ut in putreſcenti tali amictu, poſt diuturnum tempus, concurrente cutis calore humido, novæ Rerum mixturæ fiant, fermentationes putrefactivæ oriantur, Rerum ſemina, Inſectulorumque ovula undequaque vagantia per orbem, & velaminis villoſo illapſa contextui, & ibidem detenta, fota fœcundentur, & ſui generis animalcula pariant? Dubitas rebus ſic ſtantibus fore, futuræ ut feturæ primordia, fertili in ovulo torpida, & inertia priùs, nunc excitentur, fermententur, ac veluti primam vitæ auram, calore illo putrefaciente, eiſdem futuris animalibus inſpirent? Certè non dubitabis, neque ullam umquam hæſitationem movebis, modò ad noſtram, quæ mox ſequitur

 expe-

experientiam ſedulus attendas.

VI. Cúm enim utroque de genere hominum, quos nunc memoravimus, [V.] ſubulcularum, vel aliorum veſtimentorum *laneorum*, quæ nudo jam corpori diutiſsimè inhæſerant, portiones palmi unius ſumpſiſſem; neque nudis oculis, quantùm aciem viſus intenderem, ulla pediculorum, acarorum, vel aliorum exiliſsimorum animalculorum veſtigia in ea *Pannorum* ora reperirem, quæ liberè cutim denudatam ſubditamque operiens, exhalatum recipiebat: Animum ſubit aliud periculum tentandi. Anceps enim hærebat experientis animus, hærerent ne ulla in prædictis Interularum laciniis animantium ovula; vel potiùs jam affixa linis, & in proprio velut nido poſita calorem expectarent excludentem? Neque certum mihi exploratumque erat, utrum in Pannorum illorum fimbriis evoluta jam animalcula eſſent, quæque microſcopii adminiculum exigerent, ac illorum tantùm ovula reperirentur, non in lucem adhuc edita, animalcula continentia. Ergo dum in dubio eſt animus, & paulo momento huc illuc impellitur, lacinias binas, quas dixi, jam numquam intermittente ſudore imbutas, & putrefactivis hominum ſordidorum effluviis jam diutiſsimè maceratas lagenæ vitreæ indidi, hujuſque foramen exactè clauſi, ne qua, de illapſu ovulorum, quæ in aere natant, eorumque ingreſſu ſuſpicio daretur ulla. Ita inſtructam lagenam calori fimi, quod ad manus eſſet, impoſui, & poſt circiter viginti quatuor horarum ſpatium eam intuens, atque diligenter obſervans, vidi, [jucundum dictu, ſed multó jucundius viſu] vidi, inquam, nulla adhibita lente, infinitam propemodum Inſectulorum fœturam, quarum nonnulla alas jam adepta, hàc illàc in fundo lagenæ obvolitarent, inque ſocia inſilirent: non abſimili ratione, qua dum camarina movetur, vel dimovẽtur lapides, qui ſenti ſitu purgamentis, viarumque ſordidis excrementis diutiſsimé ſuperincubuerunt, innumerabilium *papilionum* agmen erumpit, & in adſtantium faciem & oculos impetit.

VII. Diverſum tamen noſtrum ab doctiſsimi *Lanciſii* tentamine, variumque eſſe, facilé liquet binas experientias conferenti. Ille enim vir partem *lanei*, aut goſsipini *Panni* cerato

rato linteo contegit, complicavitque; alteram verò explicatam libero aeri ad Regionem, in quam ex palude ventus ſpiraret, expoſuit: Hinc apertis, evolutiſque utriſque panni ſegmentis, vidit microſcopio partem illam tantùm, quæ evoluta paludis verminoſæ halitus liberè excipiebat, plenam vermibus diverſarum figurarum; contrà verò portionem panni cerata tela contectam, nullis prorſus fœdatam vermibus, vel ovulis deprehendit. In noſtro autem experimento [VI.] Induſiorum ſuperficies, qua cutem hominis contegebat, vermiculis referta apparuit, dum adverſa panni portio nulla Inſectorum veſtigia oſtenderet: argumento certiſsimo, quemadmodum ex palude quaquavorſum in *Lanciſiano* experimento, favente vento, Inſectorum ovula cum ceteris effluviis panni portioni ſubdiali exeuntia admovebantur, intacta alia portione; ſic in noſtro experimento, ex malè lanati hominis habitu, vel aliorſum advecta ovula, in *lanam*, præſertim piloſam, villoſam, poroſamque ſubitò illapſa, arctiùſque inter villos detenta, & aſsidua commoratione ibidem velut in hoſpitio fota fuiſſe, ut tandem adjuvante fimi humido calore, ruptis corticibus involucriſque in lucem eruperint. Accedit aliud inter gemina pericula diſcrimen: Siquidem ex animadverſione Summi *Lanciſii* [a] liquet, vermiculos, qui aperta phialâ mirabili agilitate movebantur, mox eâdem diligentiſsimè per ceram, quam dicunt *Hiſpanicam*, clauſa, brevi motum omnem amiſiſſe: e contra nobis obſervantibus videre non antea animalculorum ex *lanea* portione evolantium motum contigit, quàm ubi exactè obfirmata lagunculâ, juſtum ovulorum ut videbatur tempus, excluſioni conceſsimus.

VIII. Equidem ſimiles experimento noſtro obſervationes occurrunt, quæ ratiocinio prædicto fidem facere videntur. *Hiacynthi* flores contuſos primùm, mox ampullæ immiſſos, ſi in eodem loco rité clauſo per aliquot ſeptimanas aſſervas, infinita propemodum *Inſecta* agiliſsima cernes, quæ poſt duos dies in totidem *chryſalides* vertuntur, ex quibus ruptis exuviis *Papiliones* diverſicolores exeunt; [b] Dum perfecté maturi, &

(a) *lib.* I. *part.* I. *cap.* XVI. §. X. *&* XI. *p. m.* 151. 152.
(b) *Obſervations de Phiſique tom.* I. *p. m.* 458. 459.

putreſcere jam incipientes, *Fungi* intra phialam reconduntur, quæ Solis radios liberè excipiat, nigris animalculis pleni reperiuntur. Quin putrida jam *fungorum* ſubſtantia liquidum in vaſis fundo aterrimum, & verum atramentum reliquit, quamplurium Inſectorum ſeminarium. [*a*] Præterea ex incluſis intra vitrum quorumdam animalium fæcibus, omni aeri inhibito aditu, innumeram *Acarorum*, propter corporis exiguitatem, prolem vidimus ortam, poſt *Levenoekium*, [*b*] quæ diverſa figura, & agilitate prædita in libero vaſculi ſpatio ultro citroque moverentur. Quamobrē ex cùm intercluſa omni aeri in hiſce experimentis via liquidò pateat, nulla, fluidi illius ope, adferri de foris potuiſſe animalcula ovifera; ſupereſt ut dicamus, *putrefactionem* velut matricem quamdam ſuo calore ovula quacumque de cauſa ad ſe allicere, allecta in incubatum exercere, & fota ſuo tempore excudere ad ſobolem. Quid ergo mirum, ſi inhærenti veſtium *lanearum*, quæ rariſsimè exuuntur, pędori, & ſquallori quadam *matrum* electione ſemina animata irretiantur? Ex quibus dein ſuo tempore ſui generis vermes propullulent, & mira fœcunditate propagentur? Quid opus eſt aeris hìc commercium comminiſci, cùm conſtet, abſque illo nihilominus concipi animalcula, & in auras vitales erumpere poſſe?

IX. Fac autem, dicta hactenus, [VII. VIII.] non ea, quam propoſuimus, ratione ſeſe habere: fac de obſcuriſsima hic quæſtionę agi, quæ forſan numqnam ſolvetur: fac non modò rara eſſe illa, quæ a nobis viſa ſunt, ſed & eadem dubia, vel ſaltem difficili experientia, comperta: fac demum, ſi lubet, meras nugas eſſe, (ſi nugæ ſunt, quæ ſenſus ipſe Judex decernit) neque ad veri ſpeciem ſatis aptæ conficta: quid tum? An veſtes, tunicaſque ſordida illuvie ſquallidas incultis & horridè viventibus umquam detraxiſti, vel detractas exutaſque umquam vidiſti? Nonne in iſtiuſmodi hominum ſpoliis fœtore gravibus numeroſa pullities animalculorum cernitur, agillimorum,

(a) *Metamorphoſes &c. par M. Codart memoires des Trevoux. annèe* 1701. *p. m.* 89. [b] *Obſervations &c. tom.* II. *obſerv.* XV. *p. m.* 343.

rum, vivacium, multiplici prole fœtificantium, quæ ſemel admiſſa, & aliquo calore fota multa progenie ſoboleſcant? Nonne, ſi acutiùs inſpicias, & microſcopii præſidio utaris, diverſam illorum naturam a *pediculorum* eſſe comperies, qui ad pilorum interſtitia, ad crinium vacuola, & in veſtium ſtamine vulgò nidificant? Certè ſi fides microſpopio adhibenda, & quam experientiæ noſtræ candidè expoſitæ deberi, nullus dubito, inſecta illa, de quibus in ſuperioribus prolatum eſt, *hic* §. VI. aſpicientibus nobis, & attentiſsimè perluſtrantibus pannoſorum laciniam, in qua deliteſcebant, non *pediculorum* vulgarium, non *culicum*, non *acarorum*, non *tinearum*, non *teredinum* partum pullationemque, ſed peculiarem fœturam, & ſingularem ſpeciem, corporiſque armaturam referre viſa ſunt: non abſimilem illi, quæ in *ſcabioſis* vermiculis animadvertitur, & qui delineati proſtant in *Bianchi* figuris. [*a*] Et ſané, quantum memini, homines illi, quos vidi, & exuere ſquallida tunica *lanea* jam a longo tempore geſtata, & carni nudatæ ſuperimpoſita ad capienda pericula debui, cutis univerſali pruritu *ſcabioſo* tentabâtur, ut inter ſcalpendum furfureæ ſquammulæ undique ex eorum cute abraſæ deciderent. Porrò dari vermiculos *ſcabioſos* peculiaris naturæ, & determinatæ fabricæ, quos Itali *Pellicelli* vocant, poſt memoratum *Bianchi* [*b*] nemo in dubium revocare poteſt; præſertim cùm videamus in praxi, retropulſam ſcabiem, adhibito Scabioſi operimento, certiùs foras prolici, quàm remediis ingeſtis; aliquas dein *ſcabies* contagio a veſtibus ſuſcepto contrahi, & abſente eodem ſeminii commercio, penitùs fugari.

X. *Gratam* rem hactenus Phyſicis feciſſe arbitror, quod mihi obſervaſſe contigit, candida exponendo fide, ſed multò gratiorem facturum ſpero, ſi patiantur Medentes, ſanctè ingenuèque referam, quod ſentio de noxiis in corpus hominis traductis effluviis, quæ ex aſsiduo veſtium *lanearum* ad cutem accubitu exoriuntur. Profectò omnium verſari debet ob oculos, in caſu de quo loquimur, applicitam diu corpori ſpoliato

lanam

---

[a] *de natural. in human. corpor. vitioſ. &c. figur.* XXIX.
[b] *Ibid. p. m.* 384.

lanam in deſide omninò ſudore ad putreſcendum damnari; villos ejuſdem ad contactum corporis tranſudantis poſitos aſſiduè perlui, dilui, macerarique; unde quidquid lanuginoſi, & fibroſi, inque cœnum jam converſi, huic veſti ineſt, laxetur neceſſe eſt, dehiſcat, deradatur, & cutaneis apertiſque oſculis inſinuetur: hæc enim indutæ *lanæ* purgamenta tenaciora ſunt, & muccidiora; quo fit, ut divulſa *lanea* ramenta magis inter ſe vinciantur, ac proinde intra noſtra corpora recepta difficiliùs diſcludantur, ac diſsipentur. Sed & in illa veſtium putrida emollitione non diverſa ſolùm corporum exoticorum mixtura emergit, quæ cum abraſis *lanæ* filamentis, ſordibuſque in cutem conveniunt, verùm etiam variæ fęturæ multiplices partus, qui ſive ibidem orti, ſive alibi diſcluſi, atque aliunde advecti, ſorditiei illi tamquam pabulo inhæreſcunt, & proprium hominis induſium veluti putidum *Viventium* ſeminarium, promptuariumque efficiunt. Inde fit, ut non ſolùm aeris cutem circumambientis atmoſphæra fęda diluvie onuſta valetudini officiat, homineſque iſti infamis aeris hujuſmodi effecta perpeti cogantur, cutaneis morbis, & ſimilibus ruptionibus tentati, verùm etiam, ut alia de cauſa, corruptela, quæ in illo corporis animati humore conſpurcato excitatur, iiſdem iſtis *laneis* operimentis utentibus propter hujuſmodi incubatum penitus exitioſa evaſerit; eóque magis, quòd permanente ejuſdem morbiferæ *veſtis* inquinamento, augeatur cutanei laticis, & tranſpirabilium quies, propter quam impedimenta corruptionis minimé removentur, quin eſca uberior natis jam *vermiculis* paretur; tum quòd pertingéntia quacumque de cauſa ad *lanæ* ſuperficiem, ibique detenta animalculorum ſemina humido amico leniantur, incubationi faciliùs committantur, atque in multigenos *vermes* numquam abjectæ veſtis hoſpites facilè manifeſtentur; *hîc* §. VI. VII. VIII. IX. Tum quòd tandem, juxta partis animatæ diverſum calorem, nunc citiùs, nunc tardiùs *fermentativa* animalculorum fęcunditas & multiplicatio promoveatur.

XI. Hiſce poſitis, atque demonſtratis (X.) obtegens corpus lana, eique quàm diutiſsimè adſidens contactu ſuo, collectis undique cujuſcumque generis vaporibus, fętidiſque effluvio-

rum

rum animatorum unà computreſcentium aſpirationibus, atmoſpheram, quæ cutem illius hominis ambit, contegitque, ignavam, languidam, elatere deſtitutam efficit; quæ tantùm abeſt, ut liquidi in ſumma cute peragrantis circuitui obſecūdet, ut potiùs fibrarum cutanearum ſiſtema relaxet, eaſdem flaccidas reddat, & liberiori ſanguinis per illa loca meantis motui ſtrenuò reluctetur; inde pigriori reddita ſanguinis orbita, pari paſſu ſecretiones & excretiones animales retardandas, pravos humores in corpore cōgerēdos, ad putredinē diſpoſitionē fieri conſequens eſt. Inde enim egeſtionum tarditate, & languido fluidorum motu, corporis excernenda intus coercita, novam fermentationis luctam incunt, *putredinem*, & ſubſequētem fœtorem ex fluidorum mutua in ſe reactione & quiete ſoboleſcentem, mirum in modum adaugent. En quo pacto ut inſalubres anni tempeſtates morbos generant *ex Friderici Hofmanni* ſententia; (*a*) Sic cùm ſupra oſtenderimus *cap.* VII. *ſub finem*, ex varia congerie halituum graveolentium, & diversè mixtarum corporum mollecularum, quæ in putido, & vitiato amictu immorantur, evehi in corpus particulas omnino exitiales; ſequitur, ut ſtatuta a nobis animalculorum obſoletæ *lanæ* innaſcentium, & ibi nidificantium, pullities, exortus, interitus eorumdem, tetrum & putentem aerem multiplicādo, eumdem in corporis calentis habitum ingerant, quam proximè; qui, eadem ratione qua de *effluviis* inorganicis, & & inanimatis diximus, corporis interna vitalia ſimili fœtore vaporat, craſim limphæ ſanguiniſque, & ſpirituum animalium invertendo, motumque diverſimodè labefactando, necem inſidietur, morboſque cœcos inferat, quorum interdum cauſas adeò tritas, ſed diligentiori paulò examine evolvendas, ne Cordatiores Medici perſpicere quidem queunt.

XII. Ita ſanè ratiocinandum videtur de halituoſis corpuſculis iiſque labe aliqua tactis, quæ ubi intra animalium cutē aditum ſibi cuderint, ad ulteriora corporis loca eadem prava qualitate imbuenda acceſſura ſunt. Verùm quamobrem *pediculorum*, & animalculorum ipſa proles corporibus ſanis noceat,

R

[a] *de temporibus &c. tom.* V. §. XI. *p. m.* 65.

ceat, paulo obſcurior indagatio eſt. Nimirum an per ſe ipſa irritando, & mordendo membranas ſenſu præditas vellicent? An quód forte deterius eſt, pravum, & deleterium ſuccum infundant liquidis noſtris? An potius perniciem adeo certam afferant, quod ad uſque ſanguinem irrepant, cumque eo miſceantur? Triplicem iſtiuſmodi lædendi actionem in hiſce, quę ſiſtimus, *Inſectis* a veſtium diuturna immunditie profectis, ut amplectamur, ſequentes rationes ſuadent. Nam

1. Liquet animalculis hiſce, quæ in lanatis ita hominibus verant, & pelli exquiſitiſsimo ſenſu pollenti admoventur, univerſali naturæ lege ſingulares aculeos conceſſos fuiſſe, quibus partem, cui inhærent, irritent, vulnerent, & exiguiſsimis plagulis confodiant. Id quod innuerat clariſsimus *Bellinus* ita de vermibus loquens: (*a*) *Sed & punget*, ſcilicet vermis, *admordendo membranas, vel eaſdem vellicabit allabendo, rependo, hærendo; ab hoc ſolo ſenſu univerſi corporis perverſio fieri poterit, & primò propter doloris ſenſum refluxus mille .... ſpirituum &c.* Id quod etiam confirmavit Illuſtriſsimus *Lanciſius*, qui (*b*) irritationes, & vulnuſcula *culicum*, *crabronumque* e paludibus elevatorum ſomnum ac liquidorum curſum turbare, nervorumque compagem multùm alterare in accolis meritò exiſtimabit. Id quod tandem ſuo damno experiuntur, qui eadem veſte *lanea* operti ſemper incedere neceſſum habent, vel qui elegantiæ *laneæ* parùm dediti, in propria ſorditie, tamquam in cœno ſues, immerguntur. In hiſce enim ea quæ oſtendimus *Inſecta*, *laneo*, vel *goſſipino* contextui faciliùs hærebunt, calore naturali fovebuntur, perque lene exhalans humidum creſcent; quæ, ut ſummatim dicam, eodem connutrita corio repetitos morſus tenerrimis, quibus obſita eſt cutis, nervorum ſurculis evibrant; unde ſuccuſsio corporis, externarum partium *frigus*, & *horripilatio*, *inquies*, *jectigatio* intra eandem veſtem circumvoluti corporis, *vigilia*, & alia mala.

2. Minora profectò eſſent, ſi ſola vermiculorum latitantium irri-

(a) *de febribus propoſition.* 29. (b) *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* XVIII. VII. *p. m.* 153.

irritatione orirentur; xii. *num.* 1. ſed multò deteriores effectus prædicta *animalcula* in ſanis corporibus producunt. Dum enim ſtimulo ſuo cutis ſtamina ſauciant punguntque, non ſolùm, ut credidit etiam *Lanciſius*, (*a*) ovula ſua ibidem ad incubationem deponunt, verùm etiam per immiſſos aculeos, & inflicta vulnuſcula virûs partem ſemper infundunt, quæ humores præcipuè cutaneos afficiat, atque contaminet, & dein contigua loca inflammet, erodat, exulceret. Neque illud in Medicina novum eſt, virus ſcilicet conceptum ſingularis ingenii eſſe humorem, vel liquidum intra corpus receptum, & per morſum, ſive vulnuſculum quacumque ratione factum in ſanguinem delatum. Conſtat enim, variolas pure pauculo e puſtulis extracto, & inciſæ cuti inſtillato; *Peſtem*, tabo ex bubonibus manante, & vulneri cujuſvis animalis inſerto, (*b*) *ſcabiem* aut *lichenes* ichore quod e cute morboſa depluit, & ſanæ cuti infigitur; *hydrophobiam* ſalivâ canis rabidi in demorſam partem intromiſſa; ægritudinem tandem, quam *Tarantula* infert, humore quem hocce *phalangium* puncturâ in cutem introducit, ceu fermentis totidem peculiaribus in corpora ſanorum traduci; unde conjicere poſſumus, *laneos* habitus ita, verminoſos ſubditis hominum corporibus, permixtione quoque *virûs* cujuſdam, ſuccive exitialis, obeſſe plurimùm poſſe.

3. Neque ad inſtillationem *Virûs* requiritur, ut ferale liquidum, quod interula v. g. *lanea*, eaque fumanti cuti obvoluta, præfatis vermiculis morſum minantibus, turgida gerit, in ſanguinem uſque, inque nervorum cavitates permeet; ſed ſufficit, ut ſecluſa etiam omni cum vitali liquido miſcelâ eas undas contaminet, & eodem halitu afflet, in quibus primò velut irretitur virulentia ejaculati ſucci, & intra quas conſtantem nidum ſibi peperit, ultra quem pervadere certa quidem analogiâ prohibetur. Quippe non deſunt in re Medica exempla, quibus edocemur, inter certa venena, humoreſque certos, certam quoque reperiri proportionem. Sic venenum *hydrophobicum* xii. *num.* 2. ſalivæ; venenum *varioloſum*, puri puſtularum, *venenum viperinum* humori felleo, qui ad radices den-

(a) *Ibid.* viii. (b) *Relation de la Peſte de Marſeille lib. c.*

ſium uncinatorum latet &c., tamquam propriis reticulis retinētur, alioque tranſabeunt: (*a*) Sic, ne lõgiùs ab inſtituto noſtro digrediamur, *Culex tinnulus* non morſu nocet tantùm, verùm etiam veriſimile eſt, (*b*) ſanguinem in vicinia circulantem, quem primò irrepit, fluidiorem reddere, eique venenati liquoris non nihil inſpirare. Non ergo mirandum eſt, ſi in cutaneam provinciam animalculorum cohors, quæ flocculis *indutæ lanæ* confertim interſperſa aluntur, vim ſuam eatenus exercent, quatenus neſcio quid humoris venefici indigenis cutis liquidis inferunt; unde *cutis* variæ morboſæ affectiones oriri facilé poſſunt.

4. Obvium hinc eſt, vanum *Delicatulorum* metum aſpicere, qui, dum veſtitum *laneum*, vel ex goſsipio contextum ſibi nūdis apponunt, ſtimulo, quem rudior, & magis conſtipatus villus creat, admoniti; imò interdum, neſcio quo pruritu externo, ſcalpendique voluntate perculſi, & furfurum inde ſquammularumque abraſione perterriti, non modò de deponendā veſte illicò cogitant, ſed eamdem ſubitò extractam infami contagii nota ſugillent, quaſi illius indumenti ope malignum aliquod virus latitans priùs, nunc autem extricatum conceperint; quaſi omni teterrima *ſcabie* imbutam veſtem imprudenter ſibi obduxerint. Abſint, inquam, vana hæcce terriculamenta, quæ ut ſomniantium Hypocondriacorum mentes ſummoperè angunt, ita nulla argumentatione opus eſt ut rejiciantur. Loquor enim de imaginaria aliquorum affectione. Munda enim interdum eſt eorum cutis; munda veſtis ſuſcepta, & nitidæ cuti adjuncta; munda intùs labentia liquida; munda vaſcula, per quæ jugi lapſu pererrant. Cerebrum tantùm in hujuſce temperamenti hominibus laborat, abnormis eſt ſpirituum motus, qui exleges ubique vagantes, inconditas ideas intra *ſenſorium* excitant: Verbo, immundis tetriſque ideis tota eorumdem veluti abſorpta jacet mens; quo fit, ut leviſsima in partibus externis creata moleſtiâ, qualem concitare ſolent *lanæ recentes*, cuticulares papillas nerveas aſperiùs contrectantes, ſubitò

(a) *Aſtruc de morb. vener. tom.* 1. *lib.* II. *cap.* II. *num.* 6.
(b) *Reaumeur Memoires &c. annèe* 1738. *hiſtoire p. m.* 47.

bitò animos demittant, deſpondeant, fingantque, ut adagio dicitur, *hoſtem quem feriunt*. Simile quid accidit in ceteris venenis, quibuſcũ viroſus latex, quẽ *laneæ* veſtis tritæ & muccidæ inquilina eructant animalcula, comparari poteſt; XII. *num.* 2. 3. quæque menti potiùs, quàm corpori obſunt aliquando. Audiamus *Zaccariam Patnerum*: (*a*) *Raro virulentus eſt*, inquit, *ſcorpionis morſus*; *nec rabidi animalis morſum hydrophobia ſequitur*; *hæc enim res plures decepiſſe videtur*, *qui varii generis*, *variiſque medicamentis*, *&* *aliis auxiliis*, *quibus in hiſce caſibus uſi ſunt*, *multum tribuerunt*; *&* *plures*, *qui ex inani perſuaſione eandem curandi rationem ingreſſi ſunt*, *deceperunt*; *ſæpè enim aliiſque perſuaſerunt*, *ſe medicamentis adjutos fuiſſe*, *qui etiam ſine iis incorrupta ſanitate fuiſſent*.

5. Proximum eſt, ut poſſe animata corpuſcula computreſcentis continua in ſudatione veſtitus *lanei* partus, extrinſecùs, intrò ſub cutem ferri paucis comprobemus. Quid enim obſtat, quominus puſilla illa animalcula aciem viſus effugientia ovula ſua, infinitè etiam exilia, abſcondant, quæ ſemel inflicti vulnuſculi itinere, XII. *num.* 2., intro acta viam cum liquidorum pergant mole? Quid impedit, quin patentia in *cutis* foramina tantò faciliùs delabantur, quantò viva iſthæc oſtiola latiora fuerint illorum corpuſculis? Quin vermiculari, & inſito motu gradientia, in exiguiſsimos *cutis* canaliculos, & exhauſto ſuctoque liquido vacuos furtim irrepant? Non video ſanè cur illud negari poſsit vel debeat; maximè ſi ad ea, quæ de *Dragunculis*, *Crinonibus*, & *Cironibus* (vermiculorum cuti innaſcentium nomina) in Medicorum libris proferuntur, attendas. *Draguncŭli* enim vera animalcula ſunt, quidquid dixerit *Ambroſius Pareus*, (*b*) quæ crura hominum adoriuntur ita, ut ſi quando per convolutam acum foras avocentur, eorumdem vel minimum fruſtulum in vaſis relinquatur, nulla curationis ſpes affulgeat; argumento ſcilicet, *Inſecta* eſſe, quæ ſive integra, ſive diſciſſa fuerint, aliorum *Inſectorum* more (*c*) vitam perennant, neque viru ſuo ſpoliantur. Quòd *Crinones*, vel

(a) *Inſtitutiones Chirugicæ &c.* §. 494. (b) *livre* 8. *chapitre dernier*. (c) *Memoires d'Edimborg livr. chap.*

vel *Comedones* dictos ſpectat, quos primus omnium ſe obſervaſſe gloriatur *Pareus*, [*a*] vel quos ad vivum ſaltem depinxit *Etmulerus*, [*b*] videntur tales eſſe, quæ internum corporis emunctorium tamquam proprium domicilium ſibi arrogent; planè ut ſi Infantes contabeſcentes paulatim inſomnes redditi, in balneo ritè tractentur, præfati vermes veluti automata denſa e poris corporis promineant; quæ quidem corpora, microſcopii interventu, pro veris animalculis loca cutanea inhabitantibus meritò habentur. *Sirones* autem, ſeu *Cirones*, vermiculi ſunt minuti, quaſi *pediculares*, in puſtulis ſeroſis prurientibus ſub *cuticula* manuum imprimis, & pedum ſubſiſtentes. [*c*] Tandem ſcabioſi vermiculi facilè viſibiles, *vide ſupra* §. IX., cutem non tantùm confodere videntur, inque plagulis deliteſcere, quin longius & ulterius ſpatium emenſi, in ſanguinem aſcendunt, quod in retropulſa *ſcabie* contagioſa videre eſt. Hanc autem noſtram conſiderationem fulcire videtur nonnullis admiſſa animadverſio de *verminatione* ſanguinis in peſte, [*d*] cujus ſeminium ſunt virulentiſsimi vermes. Confirmat aliorum experimentum, in ſanguine febrientium infinitam propemodum ſeriem vermiculorum reperientium. [*e*] Oſtendunt tandem alti, & adoleſcentes, & reſidentes in cordis *ventriculo* anteriori interdum vermiculi. [*f*] Ut proinde nulli dubium videri debeat, vermiculos in contemerata a longo uſu, pollutaque jam *lana* evolutos, vel ſubtus cutem ex ovulis jam editos, abſque ulla univerſali cauſa, atque inſonte plerumque ſingulari illa aerea *atmoſphæra* cutem ſpoliatam obvolvente, per corium hominis poroſum & villoſum, utpote minutiſsima, in ſanguinem elabi, cujus ſuccis potiſsimúm gaudent, atque paſcuntur: Vel detrita horum animalculorum corpora, & in tabum verſa, cumque aliis demortuis confuſa, & numquam intermiſsâ liquidorum hàc illàc diſcurrentium agitatione concuſsa, per cœcos denuò cutis meatus, vel alias ſenſibiliores vias, certas

[a] *Ibid.* [b] *Obſervat.* I. *in fine tom.* I. [c] *Idem ibid. p. m.* 914. [d] *Lanciſius ibid. cap.* XIX. §. II. [e] *Nouvelles de la Republique &c. annèe* 1687. *p. m.* 1285. [f] *Experiences de Phiſique tom.* III. *obſervation.* V. *p. m.* 335.

tas aliquas criſes in morbis moliri poterunt, quæ, ut cauſæ obſcurioris effectus, ita intellectu difficiliores erunt; mirantibus interea Medentibus, egregiam Naturæ vim, ejuſque indefeſſam in morbis abigendis ſolertiam, neque omnibus notas curationis vias, quibus morborum intricatiorem aliquando cauſam, multò perplexiori conamine, felici adeo ſydere ſubactam eliminat.

CAPUT IX.

DE RELIQUIS EX IMPRUDENTI

Veſtimenti Lanei uſu Valetudinis noxis.

I. QUæ *laneo* indumento diu protectis ſolent mala accidere, numero multa, & natura diſsimilia ſunt, quorum nonnulla cuti immediatè inſident, & velut toti externo corpori communia habentur; pleraque determinatæ corporis parti, quæ *lana* xylove contecta fovetur, tantùm propria ſunt, eamque peculiari noxæ genere afficere ſolent. Hactenus, ſe pro rei dignitate paucis de infortuniis pertractavimus, quæ ſive Medentis culpa, ſive Infirmi intemperantia, *lana* præcinctis evenire ſolent. Nunc paulò fuſiùs delictorum genera perſequemur, quæ in uſu veſtimentorum *laneorum*, *pannorumve* quamlibet corporis partem contingentium obſervari ſolent, & pœnas, quas ex illa ſe induendi ratione luere corpus in illa parte tecta fotaque ſolet. Cùm enim nihil in praxi occurrat, quod ex omni parte a periculo tutum ſit; inde ſimul evenit, ut innocentiſsimum hujuſce generis veſtimentum, quamvis ab omni noxa vacare videatur, perutilia tamen, & ſalutaria monita in Medente adſciſcat ſibi, quorum ope obortis fortè malis, vel enatis qnibuſdam corporis moleſtiis, citò mederi, vel conſulere poſsit. Itaque operæ pretium eſt, non latentes modò cauſas *lanæ* tam ſæpè viru infectæ, ſordidæ, vermium prole

ſca-

ſcatentis antea percepiſſe; *vide Caput antecedens* VIII. *paſſim*; verùm etiam modum ſimul indicare, quo impoſterum ea valetudinis detrimenta cavere liceat, quæ ab inconſulta *lanea* conveſtione, vel ab imprudenti pannorum ordinatione, Infirmos, Valetudinarios tenent. Ægrotantem enim & Medicum attendere in hac re debemus. Priorem, ut qui ſpretis *lanæ* incommodis temerè & inconſultè ſe gerat. Poſteriorem, ut qui ad ægrorum, qui ſe illius fidei dedere, temperiem ſtatumque; ad *lanæ*, quam ſuper induendam jubet, latentia fortè infauſta ſeminia; ad tempus, ad locum, adque cetera adjuncta ſatis cautè in iſthoc indumentorum genere non animadverterit.

II. Rarum, ne dicam rariſsimum, eſt, hominem, quo ſeipſum ſemel induit, operimentum numquam deponere, niſi abjectiſsimos illos de Plebe excipias, vel nonnullos Pœnitentes, de quibus ſupra mentionem injecimus. *Cap.* VIII. §. V. Sicubi ergo idipſum acciderit, cavendum quàm maximé eſt, ut quàm citiſsimè fieri poſsit, immundæ veſtes corpori detrahantur. Dum enim eodem munimento, prȩſertim *laneo*, calidè ambiuntur corpora, & ſub eodem tegmine moventur, neceſſarium eſt ſȩpè illa multumque ſudare, & illuvie, multiſque ſordibus obſideri. Hæc dum cutim undequaque occupant, progreſſu temporis non ſolùm conſtipandis obſtruendiſque porulis valent, non ſolùm variis, pernicioſiſque ſibi intermixtis particulis vias, cavitates, vaſaque pænè omnia in extimo colatorio conſpurcant; non ſolùm calore humido e corporis ſuperficie manante cutaneas, & muſculoſas fibras laxas, & flaccidas reddunt, atque excretionem, quæ in cute peragitur, valde & uſque ad exceſſum interdum adaugent: verùm etiam aptum hominem efficiunt, cui exteriùs per aerem ſparſa halituoſa miaſmata faciliùs inhæreſcant, ſicque toti corpori tradantur. Quod ipſum tantó faciliùs ſuccedet, quó per continuam corporis contermini ad malè olentem ſubuculam motitationem, *lanæ* ſuperficies multis in locis dehiſcat, deteratur, & ampliora ſpatia offerat, quò putridos, & diverſi generis aereos vapores altiùs attollat. Inde ex hujuſmodi pravi aeris per dilatata contextus *lanei* ſpiracula inſinua-

tione fluida, ac ſolida objectæ cutis, atque denudatæ enervantur, & de impreſſo motu multum remittunt; vel e contra validiùs premuntur, atque conſtringuntur, quod perinde eſt, ac ſi libera ibidem perſpiratio repelleretur; vel tandem in illa ſorditie *lanea*, variæ humorum *colliquationes*, *tabeſcentiæ*, & vitioſæ *fermentationes* excitantur, quibus ſtatim, affluenti aeri, & cuti adnato vitium induci poſsit: prout nimirùm liberè & promptè excurrens in corpus per *laneos* hiulcos pannos aera elaterio defectum, vel pondere adauctum, vel conſiſtentia craſsius, vel immixtorum corporum præſentia morbidum evaſerit. Ea viâ deterrimi morbi *Populares*, *epidemici*, vitiatam aeris temperiem agnoſcentes, multò faciliùs in ſanorum corpora traducuntur, quàm ſi aer continuò corpori adſtans, idemtidem mutaretur, & cutis numquam ſatis commendanda purgandæ cura haud negligeretur. Sic enim circumtegens interné *lana* haud ignobilem locum inter *conſervatoriæ* facultatis partes ſibi vendicabit, dum cautè, prudenterque, & pro ratione loci temporiſque uſurpata, & ad avertendos futuros ex torpente cutanea excretione morbos, & ad cuſtodiendam præſentem ſanitatem, & ad valetudinarios reficiendos incredibilem utilitatem afferre valet, prout nos uberrimè demonſtraturi ſumus, ubi hæc infra diſtincto Capite declarabimus. Hinc de veſtium mutatione quod cecinit *Antonius Felici*, (a) idem *laneis* indumentis aptari meritó poterit; ſic enim habet ille:

Pallia craſſa decent, Boreas dum ſpirat iniquus,
Dumque Auſter perflat, pallia laxa decent.
Lux eadem tenues poſcit modò fervida veſtes,
Frigida mox eadem vellera denſa petit.
More nec errantis fas eſt incedere belvæ,
Unica quam veſtis non varianda tegit;
Hac tegitur, fuerint ſeu tempora fervida meſſis
Æſtivæ, fuerit ſeu glacialis hyems.

III. Si ergo ea vera ſunt, duo præſidia adversùs pendentes inde (II.) pravos hujuſce veſtitus effectus nobis conceſſa ſunt:

(a) *de tuend. valet. lib.* III. *p. m.* 64.

ſunt: alterum, ut induſia hujuſmodi *lanea*, quæ ſudorem multum exceperunt, & aerem multigenum admiſerunt, crebrò demantur: alterum verò, ut, data occaſione, corpora *lana* ſpolientur, ſpoliata laventur ſæpé, mundenturque. Dici vix poteſt, quantùm illa bina auxilia militum in caſtris degentium (*Hominum genus, cui vix interdum copia ſufficiens renovandæ veſtis datur,*) ſanitati conferant. Dum enim in urbe commorantur, veſtes exuant, dormiantque in lecto, ſicque abactis veſtibus ſemper aliquantulum hác illàc moveantur; ut mundi ab contracto pelliculę ſquallore fiant, & corpus magis perſpirabile reddant. Dum verò militari exercitio incumbunt, ne ejuſdem longo operimenti uſu morbos ſibi pariant, horis ſubſicivis detergendo mundandoque corpori ſtudeant, & ſeſe idemtidem abluant, ac ſibi perfricent membra, perungantque ſe aliqua (*a*) pingui ſubſtantia, ut inſitas, vel adventitias aeris externi impurique noxas declinent. Proficuam hujuſmodi tegminis *lanei* frequentem innovationem experiuntur Religioſi, quibus ſolemne eſt, ſubuculam ex *lana*, interdum conſtipata, diu noctuque nudæ carni apprimere: incuriæ enim ſive negligentiæ in veſtis depoſitione dare pœnas ſolent, quod eorum cutis numquam puro aere refocillata, & eadem pannoſa telâ obvoluta, puſtulis varii generis conflictetur. *confer ſupra cap.* VII. Tanti eſt veſtimentorum, præcipuè quæ lanam accipiunt, crebra mutatio ad ſanitatem!

IV. Tuta hactenus adversùs madidæ, & putrido ſudore emollitæ *lanæ* noxas remedia præſcripſimus; aſt paulò major cautio requiritur, ne corpori calenti veſtimenta ex *lana* confecta citiùs quam par eſt decedant. Solent enim quamplurimi, auræ frigidiuſculæ captandæ deſiderio flagrantes, ſeſe ſubitò denudare, veſtēque abjicere; ſed non impunè ſemper. Cùm enim labore, exercitio, vel piloſæ *lanæ* ſtimulo, externa hominis peripheria ferveat, & in hanc pleniùs celeriùſque liquidum feratur, largiùs quoque per ſudoris fora-

 mina

[a] *Portius ibid. de Milit. in caſtr. Capite* I. §. VII. *p. m.* 14. 21. *Item Cap.* IV. §. X.

mina erupturum; nihil perniciosius eſſe poteſt, quàm ſubita illius ſuppreſsio. Atque ſi ex *Sanctorio* habemus, *Ob aerem frigidum ſupervenientem calori, veſtibus denudatum, minus duabus libris circiter diei curſu perſpirare ſolere;* (a) Multò majorem ſanè inſenſibilis difflationis imminutionem experietur, ſi ſudario *laneo* citò ſeſe ſpoliaverit; tum quòd in genere omnis prepes mutatio, deſuetudo noxia cenſeatur, & ſi quid mutandum in valetudine, ſenſim a more decedendum ſit; tum quòd cutis lana diù tectę, & quaſi madentis vaſcula laxiora, & flaccidiora cúm ſint, debiliora ea ratione evaſerint, quàm ſi induſio *linea* materia facto protegerentur. Proinde ut prohibita perſpiratio, ex improviſa frigiditate, magis nocet debilibus, quàm robuſtis; [b] ſic externa cutis aſperitati *lanæ* aſſueta, ſeu quod eodem recidit, aeris injuriis minùs obnoxia, eaſdem ægerrimé fert, & non abſque ſanitatis diſcrimine. Quippe ab iſto nudoque aeris incurſu, dum nulla interjecta mora in obviam, & æſtuantem cutem irrumpit, pori cutanei, iiſque ſubjacentia vaſcula continuó arctantur, conſtringuntur, & liquida contenta contractionis impetu aliorſum depellunt; vel ſi retinent, ſtagnant illa, cumque canaliculis ſuis concreſcent. Utroque de nomine futurum eſt, ut cohibita imperceptibili *Sanctoriana* perſpiratione, liquidorum moles adaucta in vaſis, in loca corporis minùs reſiſtentia irruat, ut encephalon, vel per alia ſenſibilia machinæ colatoria exitum quærat, vel in ſanguivehorum ſyſtemate circulans, in *cachecticam*, vel aliam morboſam indolem degeneret. Non ineptè ergo te cùm hiſce hominibus geras, ſi poſt hujuſmodi errorem in veſtitu commiſſum, ad præcavendas humorum *metaſtaſes* ad interiora, & avertendas eorumdem in cutaneis canaliculis triſtes ſtaſes, cutem cito perfricari jubeas, ægrum ad ignem ſuccenſum ſe fovere, eidemque ſtrigilem aliquam ſiccam ſuperſterni: ſic dato intùs etiam calido, & aromatico vehiculo juxta ſuperiùs a nobis dicta *Cap.* III. §. VII.

---

[a] *Aphor.* CLI. *edition. Gorter.* [b] *Sanctorius ibid. Aphoriſ.* CL.

VII. corpus ad retenti expulſionem tutiùs diſpones: Sic enim impendentes a repentina frigidi irruptione noxas feliciùs avertes.

V. *Xilina* vel *lanea* veſtimenta, ne corpori, cui ſemel immediatè adſtricta ſunt, eidem diutiſsimé inhęreant, ſedulò cavendum eſt. Illud monitum non modò petendum eſt ab panniculorum contracta illuvie, ut cùm diù corpus intra eaſdem induvias concluſum jacet; verùm etiam a continua ſudatione, cui obnoxii vivunt, qui amictus hoſce *laneos*, per annos geſtant. Inde enim fit, ut humores calore externo adaucto, & numquam iuterrupto nimis agitentur, magis tunc excandeſcant, craſſeſcant, citiùſque in malignam tranſeant qualitatem; vel tenùior liquidorum pars avolet, craſſior relinquatur. Unde iidem in corpore produntur effectus, ac ſi actu calidiora corpori ſemper applicarentur; quorum, origo, copioſior perſpirabilis emanatio, & humoris tenuioris inopia habentur. *Alvus* præprimis, & *Renes* inde affici ſolent. Illa contracta ſiccitate, hi minorem lotii copiam percolantes. *Confer. ſupra Cap.* IV. §. III. *num.* 4. Quod ſi ut malo obvias, citam hiſce hominibus pannorum *laneorum* derelictionem præſcribas; efficies, ut humores, qui priùs *lanea* caliditate exagitati, in minimos canaliculos trudebantur, ſubitaneo ſuperveniente frigore ibidem ſiſtantur; ſicque ex illa momentanea repulſione periculoſos humorum decubitus advoces. Quamquam enim ea coſideratio, proximiùs ad illos pertinere videatur, qui textam lanuginem, corpori ſuo obvolvunt, *vide hìc* §. X. *&* *ſupra Cap.* III. §. VIII. Valet quoque pro illis, quibus mos eſt tenuiſsimis *lineis* ſubuculis corpus immediatè operientibus, ceteras veſtes, ut *Maſtracas*, *Dipnetraſque*, & alia id genus indumenta, villoſa pelle obſita ſuperinduere. Sunt enim veſtes hæ noſtrum inſtitutum ſpectantes, *ſuprà Cap.* I. §. VII. & eadem planè, quæ diximus, effecta in corpore pariunt, ablatione ſcilicet cauſæ refrigerantis. (*a*) Pergant verò indeſinenter

---

[a] *Confer. Gorter de inſenſib. tranſpirat. Cap.* XIII. §. XVIII.

nenter hujuſmodi *lanam* induendi conſuetudinem tenere, quibus continuò ſudare præſtat, quàm *febri* ardere. Sola ſuperflua ingeſtorum ſive cibi, ſive potus copia ſudationis præſidio, & levamine eget. Quo in cenſu ſunt *Germani*, qui multum tenuis ſubtiliſque, & facile viam per minimos quoſque meatus aperientis vini bibunt, quo per cutem ſudoris ſpecie percolato, nihil ab eo ampliùs periculi imminet. (*a*) Quamobrem jugis amictus *lanei* uſus, ſi ullis, certé his conferre videtur, qui vino, & potui ſpirituoſo quotidie indulgentes, paſsiones ex ebrietate orituras præcavere, vel jam ortas profligare volunt.

VI. Verúm enim verò effugiendum eſt ab hocce indumenti genere, neque imprudenti præcipitantia Inaſſuetorum cutis *lanea veſte* velanda eſt. Indè enim ferendis aeris mutationibus inepta redduntur corpora, quæ *lanam* numquam induerint. At cùm ea ſit humani corporis conditio, ut perpetuò variè afficiatur, variis aſſueſcendum eſt, nè lędatur viciſsitudinibus: alterius enim naturæ vices gerit conſuetudo. Num quid nudatis facie manibuſque, aliquo ſubſequenti incommodo vivimus? Aeri ſummé frigido impunè mulieres debiliores pectus collumque etiam rigente hyeme, exponunt. Aſſuefacta igitur corpora, & quæ *lanei* æſtus incommoda experta ſunt, præ illis, quæ numquam *lanam* ſibi aſſumpſerint, robuſtiora meritó cenſentur, quòd pravos indè forté proficiſcentes in corpus effectus faciliùs ſuperare nata ſint. Et ſanè ubi primùm veſtiarium hocce ſimileſque panniculos internè admoviſti, ſenſus quidam frigoris per univerſam cutem obrepit; maximè ſi tenuiori, & *levidenſi lana*, ſubucula conſtructa fuerit, quám longioribus magiſque horridis villis compaginata. *Vide ſuprà Cap.* V. §. V. VI. Inde cutanei pori exhalantes non poſſunt non conſtringi, & omnia oſcula in minorem ſectionem cogi, quám quidem naturalis eſt: uti experimentum illud notum eſt, frigore incautè ſuſcepto, eoſdem meatus omninó claudi, ut retentus vapor cutem in *tubercula* elevet. Quamobrem quamprimùm Inex-

(*a*) *Cheyne de morb. acut. cap.* VII. *p. m.* 235.

Inexpertis *lanâ* injicitur, ratione ſtimuli, frigoris ſenſus accidit, dein *pruritus*, quem inquietudo ſequi ſolet: quæ quidem moleſta acriſque ſenſatio ſi vividior fuerit, ſiphunculorum in corporis periphæria degentium ſpaſmum advocabit, & eorumdem a materia effluere ſolita, retenta, *tubercula* acceſſet: Inde extima illa vaſcula immeabili liquido infarcta, neque emollita, impervia fiunt, & omnium in corpore præſtantiſsimam excretionem interturbant. Ut omittam varia corpuſculorum genera, quæ ab *lanea* ſuperficie in vaſcula cutanea tacitè demitti, quæque ab diſsimili fabrica coloris atomorumque diverſorum corpori *lanæ* inhærentium origine derivari poſſunt. Utique poſtquam ceſſaverit in cute ſenſibili agendi illa acrimonia, ſolida & fluida validiùs moveri inceperint, tum tubuli hiare, & exoticis *lanæ* effluviis ſugendis aptiores reddentur; quæ vide ſupra *Cap.* IV. V. VI. *paſſim*; Ubi ergo vel neceſsitate aliqua morbi, vel tuendæ valetudinis gratiâ corpora præprimis imbecillia *lanæ* gerendæ aſſuefacere volueris, attende ſedulò, ne maturiùs craſsiorem tenuioremve ſubuculam *laneam* induendam conſulas: Difficile enim mutationes ferunt: idipſum in Virginibus cernere eſt, quæ Deo ſempiternam virginitatem voventes, ad quæque *Monaſteria* confugiunt. Illis enim, quibus inſtituti eſt *lanea* interna conveſtio, atque delicatula pellis, & tenelli corporis habitus contegenda ſunt rudiori aliquo panno, ſi temerè & inconſideratè id generis amicula amiciantur, vagi per cutem oberrantes horrores ingruunt, accedit *inquies*, cutis exaſperatur, tumet, & aliquando, ut in *Monialium* praxi vidimus, *eriſipelate* afficitur, ac exhantematum ſuppurationem minantium agmen moleſtum ubique erumpit.

VII. *Lanei* operimenti uſurpatio circumſpecta ſit in *contagii* ſuſpicione, quia ſubeſſe poſſunt gravium morborum initia, quibus ſingulari conſilio proſpiciendum ſit. Dum enim advoluta illa corpori ſubucula, præcipuè ſi mollior neque pexa ſit, allabenti quocumque modo tabo virulento, & contagioſo, quo madet, pervia fit, fricatione hinc contecti corporis iterata emollitur, ac corporis, ſi quod ineſt, venenum altius imbibit. Quæ ſingula ceteris paribus frequentius animad-

madverti in induſiis radiori *lana* debent, quàm ex teneriori confectis; utpote, quò poroſior *lanæ* contextus fuerit, eò humoris aquei, ſpirituoſive tractioni, retentionique minùs apta cenſeatur: e contra verò craſsiores panni, & qui fullonum exercitio compacti ſunt, quod liquidius eſt celeriùs ſugant, diutiùſque adſervent. *ſuprà Cap.* V. §. IX. *num.* 1. 2. 3. 4. In quacumque autem materia contagioſa, coinquinato de corpore emergente aliqua reperitur *ſeminii* portio, quæ & ſenſus fugere, & in auras abire conſuevit. *Peſtis*, *Morbillorum*, *Variolarum*, & quorumdam morborum contagioſorum virulentiam non moror, quoniam omnium conſenſu ſolo afflatu inficiunt: *Peſte affectus* halitu hominem corrumpit. Virus *morbilloſum*, *varioloſumque* volatile eſt, aerique miſcetur. Legitur tandem de *phtiſico* contagio caſus Ancillę, quæ per contagium hære ſuæ, cui diù noctuque miniſtraverat, in *phtiſim* incidit. [*a*] Confirmatorum *phtiſicorum* ſputa ita ſunt contagioſa, ut Medicus illa olfaciens factus inde ſit *phtiſicus ex Pſchenchio*. [*b*] De illis, & ſimilibus contagiis ſubtilioribus dubium non eſt. Supereſt tamen quęſtio, utrum morborum cutaneorum peſtilentia, ut *Lepræ*, *Pſoræ*, *Scabiei*, *Hydrophobiæ &c.* aliquid craſsius ſit, fixiuſque, quàm ut poſsit ſolo ſpiritu inquinare; ego verò neutiquam vereor hoc aſſerere, & ſi *Gorterus* poſtremorum morborum virulentam materiam fixam debere eſſe, aſſeveranter dicat. [*c*] Neque illud volo malignam adeò eſſe prædictorum *Miaſmatum* naturam, ut e longinquo, & quaſi ſubitaneo impetu homines adoriatur. Sed illud probabilius mihi videtur: omnium *Petechiarum*, *ulcerum*, ac *ſcabioſarum affectionum*, imò ipſius *celticæ luis* virus activum ſubtile maximé eſſe; atque ſi attactu, vel intima corporum communicatione indigere videatur, ut in ſanorum corpora tranſeat, illud ejuſdem mirabili, acri, & multiplicativæ indoli non officit, ut potiùs colligi inde debeat venenum hocce in

[a] *Riverius centur.* I. *obſervation.* XCIX. [b] *Apud Hofmannum tom.* III. §. XVIII. *p. m.* 287 [c] *De inſenſib. &c. in Aphor. Sanctor.* 75. 76. 77. *p. m.* 155.

in aliqua materia ſolidiori recondi, quàm primùm calore, fricatione, vel alio contactu, velut è ſuis latibulis excitandum. Et quidem nè longiùs in hanc rem excurram, nonnè vulgari obſervatione conſtat, vel maximè firma, & conſtitutione corporis optima præditos, vix umquam in eodem lecto, ubi *Scabioſus* unà decumbit, aut nuper decubuit, impunè dormire; nec ita tantùm, quin & *Scabioſorum* ſudaria, aliis in eodem lavacro lotis, ejuſdem ſępe affectus contagium impertire? (*a*) Nonne immediata animarum, halituumque in *Baſiatione* communione, dicto citiùs concipitur ſæva *Lues* venerea? (*b*) Nõne ſalutaris in *Epidemicis petechiis* prolectus diù ſudor odoris fracidi, & ſummo cum languore conjunctus demonſtrat *Petechiarum* materiam difflabilem eſſe? (*c*) Nonne poſt animalium venenatorum morſus bonus ſèmper habitus eſt ſudor, qui receptas in ſanguinem viroſas partes eliminat? (*d*) Ex quibus omnibus colligitur, veneni cujuſcumque actuoſa principia magis, vel minus inſenſibilia eſſe; nonnulla *ętherea* penè, & medio tantùm aere; aliqua aquea, & volatilia ſimul, ac ope *Sanctoriani* tranſpirabilis ſudoriſve è corpore ſcaturientia; nonnulla licèt ſubtilitate polleant, in aliqua tenaci materia ita incarcerari, ut tamen data occaſione in nervum erumpant, & medio icore, furfuribus, aliiſque id genus è cute ſtillantibus, vel deciduis, ſanorum corporibus communicabilia. Quæ omnia diverſi virus corpuſcula in *laneis veſtimẽtis* retineri, foveri, majorem energiam acquirere, indeque ſanè valentium intra corpora per traducem inſinuari poſſe, nõ eſt quod multis proſequamur. Et profectò.

VIII: Bis vidiſſe memini, infinitam *pediculorum* inguinalium pullitiem, poſt indutam ſubuculam *laneam*, id generis ovulis pregnantem, quæque ab homine animalculis hiſce vexato detracta fuerat. Si ergo ſemina, vel Inſectorum ovula, duriora ſcilicet, & omni tinctili materia longè tenaciora, *hìc* §. VII. adeò inter *lanæ* ſtamina illęſa ſervari poſſint,

T ut

(a) *VVillis oper. poſtum. ſection.* III. *Cap.* VI. (b) *Aſtruc. De morb. vener. paſſim*. (c) *Frider. Hofman. Tom.* II. *Conſtitution. Hale.* (d) *Haller Tom.* III. *p. m.* 574.

ut profectò extus admota, a poris ſucta, homoribus nutrita, calore loci lenita, tandem excludant ſuæ ſpeciei animalcula; quid futurum eſt, ſi *lanea* velamenta corpori intimo contactu approximentur, quæ intra ſua ſpatiola, exitialia ſeminia, & ſummè virulenta tegant, vel ſudoris aliarumque cutanearum ejectionum morbidarum reliquias latentes recondant, vel ichoroſo puſtularum quarumcumque tabo diffluant? Annè dubitas, integram anteà cutem multifariàm indè lędi? An non illicò homo inficitur, qui ab eo *lanæ* vitio non abeſt, niſi villoſa ſubſtantia, ſubtili, bibula, permeabili, & fermento morboſo turgida? Ita ſanè; præprimis ſi animadvertamus, inter piloſum tegmen, nudo, & ſano ſubjecto ſuperſtratum, ipſamque carnem ſubditam fotamque, prę ſertim iis, qui vitam ſedentariam agentes, ſquallori inſuper, & pedori aſſueverunt, aerem coerceri minimè eventilatum purgatumque, qui novo aeris *alkalini* volatilis, quem cutis continuò amandat, acceſſu magis, magiſque corrumpitur: ſi conſideremus ab ejuſdem amiculæ *laneæ* ſuperficie ingentem efluviorum copiam comprimi, quæ ſudoris tranſpirationiſque vehiculo foras excluderentur, quæque proinde conſtipata *atmoſphęram* alioquin inviſibilem, viſibilem reddunt, ut in cuniculis ſubterraneis videre eſt. (*a*) Porrò quæ perſpirant videntur eſſe particulæ ad ſummam *Alkalini* volatilis oleoſi naturam evectæ, quæ in vivo quidem corpore naſci poſſunt, & venenatę interdum ſunt naturæ: ſi contemplemur tandem corruptelas, & recrementa puſtularum ex toto corpore ſalientia, & humorem acrem ſalſum contagioſum in *lanea* interſtitia evomentium, qui non facilè evaporabilis pertinaciter *laneis* filis irretitur, quàm primùm data occaſione abripiendus: Si inquam hæc omnia attentè rimemur, infectam *lanam* contagio, corporique ſuperindutam, huic eamdem labem affuſuram eſſe eruemus.

IX. Cùm inquam prædicta (VIII.) certa ſint, facilè liquet, miaſmatum quorumcumque defluvia, ubicumque corporis ſani loco cuivis externo impingentur, imprimis humorem tan-

---

(a) *Haller. in Boerhav. ibid. p. m. 577. not. D.*

tantùm eo loci conſitum vitiare, cum quo affinitatem habent. Si enim penetrantiſſimo veneno turgeant implicita contagia, illud per cœcos etiam cutis meatus ingreſſum, viam ad uſque ipſum ſanguinem facilè reperit, quem idcirco coinquinet: Quandoquidem per ſingula corporis puncta continuus ferè aeri faciliſque patet ingreſſus, atque egreſſus. (*a*) Ita *peſtilentiale virus* vel è longinquo quaſi Mortalium corpora afflare ſolet, ut poſtea fuſiùs patebit. Si verò *fermenti* componentia in ſudoris, exhalantiſque humore innidulentur, cognatione quadam cum ſudore ſanorum, & ipſo ad *alkalinam* putrefactivamque indolem prono conjungantur; quocum a patulis cutis illius oſculis admiſſa, inque humorum molem tendentia, ea qua diximus ratione, in capite ſuperiori, *Confer. Cap.* VI. §. II. III. IV. *item cap.* VII. *paſſim* vitalium ſuccorum craſim conſpurcant. Accedit etiam ex eodem Keilio: (*c*) Quæ in aere, ſub vaporis ſpecie natant aquæ particulæ, eaſdem a cute noſtra attractas cum ſanguine confundi, & corporis pondus adaugere. Quod ſi demum panni *lanei*, multiplicis cutis affectus materia ſiccâ, fluente, *furfuracea*, *puſtuloſa miliari* exedente, altiùs ſubvecta intra ſuos villos graves fuerint; tunc enim verò muccoſus, & ſebaceus, cutis illibatæ humor vario malorum generi patebit. Dum enim connubio veneni puſtuloſi in *lana* reſidis inquinatur, majorem inde acrimoniam contrahet, qua ſummam cutem vellicaturus eſt; unde pruritus frequens, & *Impetigo* oboritur; vel eroſis inde fibrillis cuticulam cum cute alligantibus, laxatam *epidermidem* in veſiculas miliares ſero ſalſo plenas inflaturus eſt, quæ in ulcuſcula leviora dehiſcet, hinc *ſcabioſi* generabuntur affectus; vel creſcente malo, & depaſcente altius cutem ulcerum cohorte, ex ſiccata undique cuticula ſquamimæ *furfuratee*, & multigena deſlviorum ramenta excident; vel ſtagnatione tantùm intra canales ſuos humor ille degenerans, ſupremam cutem in tubercula elaturus eſt. *Sudorem* namque, & inviſibilem exhalationem, in hac contagii enarrata ſpecie, de induſtria iccirco omiſimus, quod cùm humores illi tenu-

(a) *Keil. aphor. 556. ad calc. Gor. de inſen. &c.* (b) *ibid. aphor. 557*

jores ſint, ſubtiliores, & nimis aquei, virus indè deſcriptum, vel memoratos virulentiæ loculos nidoſque, craſſos viſcidoſque nec imbibere, neque aſſervare queant.

X. De Hiſce §. VII. VIII. IX. jam multa, & fortè plura, quàm a nobis poſcere inſtituti ratio videretur. Jam verò ulteriùs progredientes, opportunè hic eos monemus, quotquot *laneis* tegumentis ſeſe induere ſolent, ut quàm maximè poſſint a ſomno, & quiete ſub dio, & nocturno tempore ſibi caveant. Perſuaſum eſt nobis, homini lanato, & dormienti magis eſſe noxium per noctem aerem, quàm ſi eadem veſte indutus evigilaret. Hujus autem phenomeni rationes cenſendæ ſunt partim a dormientis corpore, quod ſomni tempore ad labem concipiendam facilius evadat; partim etiam ab aere externo, qui per noctem, tum intenſitate frigoris, tum effluviorum gravitate, & virulentia, magis peſtiferus emergat; partim demùm ex ipſa indumenti natura, quod utpote *lanea* mollitie conſtans, aeria *lue*, & immixtis vaporibus, profundiùs, copioſiùſque ſaturatur, quàm ubi *ex lino* factum fuerit. Illud enim cum prævia, & diutina Cannabis in aquis maceratione conſurgat; è contra *lana* ex aridis, omnique udo orbatis villis ab veſtiſſimo pecude deſumatur: Colligitur, quæcumque *lanea* texta ſicciora præ aliis magis attrahere recens admotum humidum, vel oblatis aqueis ſuccis magis impregnari, quod nempe laxiora interſtitia, poros ubique obvios, eoſque crebriores, & parte fluidiori ablata magis vacuos poſſideant, hinc aquoſis molleculis facilior erit ingreſſus, quæ propria gravitate, atque aeris concurrente preſſione, in mollem cedentemque pannorum fabricam majori copia penetrabunt, & incuneatę conſiſtent. „ Niſi Miles, inquit *Portius* „ (*a*) ſub noctem veſtimenta depoſuerit in loco, qui ſit ab „ imbre, a nebulis, vel a rore tutus, aliquando manè ex„ perrectus inveniet illa humore gravia, atque iiſdem hac „ ratione uvidis indutus facilè, vel ipſa eadem die, in qua „ id accidet, vel ſequenti haud leviter ægrotabit, „ Hæc ſufficiant, quatenus facultatem ſpectat, quam habent vellera adplicatum imbibendi humidum.

(a) *Idem* II. *Cap.* V. *p. m.* 74.

XI. Ex parte verò ambientis veſpertinique aeris creſcit ille humidi linctus, & inhalatio, atque in vicinos cuticulares meatus *lana* humida fotos receptio. Quod tam ex aeris adaucto pondere, quàm ex multiplicatis humidis noctu exhalationibus deducendum arbitramur. Cùm enim Terraquei orbis aerea Regio, occidente ſole, cœleſti igne ac luce movente deſtituatur; cùm vapores emiſſi, quos ſolis calor diurnis horis diviſit, in motum egit, altiùſque evexit, accedente nocturna quiete condenſentur, ac mutuò inter ſe coeuntes, in terram delabuntur, lentoque tractu per integram noctem diſtillent: eam ideo ob rem luculentum videtur, antelucanum aerem graviorem, frigidiorem, & irrumpentibus confluentibus undequaque innoxiis, noxiiſque effluviis ſaturatiorem eſſe diurno; proindeque corpori *lanæ*, vel *lanam* induto incubare conſequens eſt, itaut faciliùs, copioſiùs, efficaciùſque per villoſam compagem *laneam* in dormientium corpora ſeſe altiùs introcludat, illiſque vitium adſpergat. Nutrices, & ſi pingui, & duplici interdum tunica *lanea* conveſtitæ, & quicumque ad ægrorum lectulos vigilare ſolent, plerumque hydrope tentantur, & quamplurimi pereunt. Impedita ſcilicet perſpirabilis materia, (*a*) aliorſum derivata, exiliſſima cutanea vaſcula rumpit, & *hydropem* gignit. In calidis Regionibus unica nocte, quæ ſub dio dormitur, naſcitur diriſſimus morbus ex *convulſione*, & *paraliſi* compoſitus: (*b*) cùm ſtrenuus Annibal, licèt non æſtivo, ſed verno dumtaxat tempore, paludes incoluiſſet, *nocturno tamen* humore, inquit, Livius (*c*),,, paluſtrique Cœlo gravante caput, & quia ,, medendi tempus, nec locus erat, altero oculo captus fuit.,, Hęc attendenti ab aere nocturno frigido, & humente, ac perſpirabili materiæ exitum obſepiente, & ad ima uſque corporis leniter influente, tantum malorum agmen Infirmis inſtare comparebit, ut nihil magis corporum tutelę, aut longævitati obeſſe videatur.

XII. Fieri autem omnia hæc (XI.) in dormiente, nec inte-

(a) *Cheine* §. 3. *Cap.* III. (b) *Bontius apud Haller tom.* III. *in Boerahv. p. m.* 599. (c) *Decad. hiſtor.* 3. *lib.* 2.

intecto corpore, nemini dubium eſt, cùm veſte omni exutis, ſomnum capere periculorum adeo ſit, ut in dormientibus abſque ſtragulis magis impediatur cutanea excretio, quàm in vigilantibus denudatis, (*a*) & qui in Europa juvenes ſomnum ceperunt, ſibi ſenibus *diriſſimos* rheumatiſmos, (*b*) ſibi pepererunt. Accedit etiam illud, quod ſupra monuimus (§. IX.) corpora noſtra vapores cujuſcumque generis per aerem fluctuantes ſive ſalubres, ſive inſalubres ad ſeſe allicere, intro roris ad inſtar guttatim infundere, & per patentes in cute meatus indeſinenti hauſtu abligurire, aut potiùs in cauſa eſſe, ut quodcumque humidum vaſculis ſubcutaneis accedens per hæc poroſa, & bibula altiùs ad ulteriora corporis prorepat; Quod breviſſima dictione complexus eſt Medicorum Coryphęus *Hyppocrates* ubi inquit (*c*) *corpus ab interioribus ad exteriora, & vicisſim ab exterioribus ad interiora perſpirabile eſſe.* De hiſce enim nullũ occurrit dubium. Quod verò Lectorũ animum incitare, anxiũque tenere poſſet, illud eſt quod in pręſentia explicandum eſt. Contendere enim, & opponere opinationibus noſtris poſſunt difficultatẽ, quam habet externũ aera, quamvis nocturnum & humidum, veſtis corpori adjacentis denſam compagem pervadendi, ut ſeſe viventi corpori ingerat, eſſe ſummam: ad hæc, ſi intima lintei exteriora corporis cooperientis ſuperficies *pergunt*, aeri externo ſubducta eſt, qui fieri poterit, ut ibi dimittat olidus aer inquinamenta, quibus ſordere creditur, eaque uſque in vitales latices adſportet unaque abripiat? Quas ego adverſariorum timidas voces ſequenti rationum vi opprimere conſtitui. Dicunt ergo, veſtium *lanearum* operâ adire intra corpus aera adeò non poſſe, ut potiùs ſeptum ibidem lanugine ſe condat. Sed quid illud, per earumdem veſtium villos, anfractus, & ſepta è corpore exeuns, cum inſenſibili materia facile prætervolat, ut præterfluere vidimus in noſtris experimentis: *ſupra Cap.* IV. §. III. *& paſſim.* Neque illud moremur, aerem tenuitate, ac fluxu aquam ſuperare, adeoque *lanam*, quæ aquæ allabentis curſum adjuvat, neque vetare aeris flu-

(a) *Sanctor. Aphor.* 359. (b) *Haller in Boerhav.* §. ccccxxx. (c) *In epidem l. c.*

xum poſſe. Non inquam, cùm obijci poſſit, aquam ingredi, ubi aeri impervium iter eſt, ut in coriis: Sed ſumere illud ipſum coriorum uvidorum exemplum liceat, ad demoſtrandum ipſa *coria* aquæ commeatui ultrò patere, quod etiam ſupra de *lana* firmavimus. *Cap.* IV. §. II. *numero* 3. 4. Si ergo aquoſus latex contextus *lanei* foramina clam ſeſe indat, itaut ex una in alteram pannorum faciem promptiſſimè ſecedat; *vide ſupra Cap.* V. §. x. *num.* 3. quidni aer indivulſus aquæ comes eandem quoque viam inſiſtat? Præcipuè cùm gravitatis pondere aucto, indeque creſcente frigoris elaſtici niſu, in obvia *lanæ* oppoſitæ filamenta, & interſtitia fortiùs irrumpat, irrumpens in arctius cogatur, & coactum denuoque reſiliens, adjuvante villorum *lanam* conſtituentium elaſtica vi, *ibid.* §. I. II. altiùs in corporis penetralia ſugatur, influatque.

XIII. *Goſsipium* autem, *lanaque*, nè propoſiti argumenti (XII.) robur declinaſſe videamur; *goſsipium* inquam, & ſimilis quæcumque villoſa fabrica venenò, vel quoquo modo impuras, præſertim craſſiores molleculas intercipere, atque involvere nata ſunt. Per ea enim corpora, quodam velut qualo percolatus quicumque latex exuit perniciales atomos, & inde molli placidoque motu præterit. Non abſimili fermè ratione, qua Juncorum, calamorumque vimineo textui alliſus, fractuſque Amnis limoſam materiem affigit ita, quo inde dilapſus, purus nitiduſque decurrat. Et quemadmodum abjectum a primis undis fluminis, junciſque aliiſque ripam obſidentibus impactum limum, ſequentes eodem impetu lymphæ diluunt longequè agunt; & quemadmodum inter ramos, frondes, & truncos denſiſſimi etiam nemoris ſive deciderit largus imber, ſive fluviis exundaverit, numquam hæret reſidetque aqua, ut non elabatur, utique, & diffluat, vel quoquomodo ſugatur: Ita quid ſimile par eſt credere in nocturno aere, *laneo* veſtimento, quo indutum jacentis corpus eſt, incumbente, qui ubi primùm multiplices halitus in obverſam panni ſuperficiem adſperſit, perenni dein ſubſequente guttularum decidentium rore, inquinatas, quas habuit molleculas, iſthic nidulari non ſinit, ſed eluit, ſolvitque, & ad motum impellit, quò dein placido influxu, tenui & rorifero vapore

ad vicina ſubcutanea patentia excurrant vaſcula, altiuſque in advenas liqnores penetrent. Neque enim exitioſę iſtæ *atomi* è ſinu aeris nocturni ejectę intra *Lanea* ſtamina ſe occultant tenentque ita, ut coloratæ particulæ, *Cap.* v. §. XIII. XIV quę prævia artis tinctorum præparatione humido ſolventi reſiſtere natæ ſunt; & quas nihilo ſeciùs ab corporis ſani effluviis humidis ſolvi, & dilutas ad cutanea vaſcula contendere & in eadem proſerpere, ſuperioribus locis, *ibid.* §. XVI. poſſe vidimus.

XIV. Hiſce poſitis, quæ ad faciliorem, & efficaciorem *lanæ* ſuctionem, necnon aeris nocturni malitiam ſpectant, *hìc* §. X. *ſequent.* ordine proſequemur, quæ in corporis recubantium peripherìa ad hujuſmodi imbibitionem promovendam conducere poſſunt. Et quidem nocturna quiete præcipuè ſi profundo ſomno obruamur, 1. augetur motus cordis, pulmonum, arteriarum, viſcerumque (*a*) hinc humorum vitalium circulus validior; æquabilior, ſecretio præſertim ad cutim aucta, reliquis imminutis; (*b*) Hinc expeditior ſanguinis per arterias cutaneas motus, harũque inflatio. Quid enim rubor faciei dormiẽtium eſt, niſi liber per arterias aditus ſanguinis in vaſa cutanea? Quid augmentum *Sanctorianæ perſpirationis*, quàm mutuus inter ſolida fluidaque cutanea adtritus increſcens, vel quod eòdem recidit, ebulliens intenſuſque in corporis ambitu calor? huic conſiderationi ideo inſiſtere decrevimus, ut *Gorterum* adverſus *Præceptorem* ſuum pugnantem, erroris redarguere jurè poſſemus, qui diſertè pronunciat; (*c*) „ tàm „ interiora, quàm exteriora Vigilantibus magis calere, dor- „ mientium verò refrigerari, ob quam rem ſemper curamus „ *inquit* dormientibus omnes partes tectas eſſe, quod tam ſe- „ dulò in Vigilantibus non eſt curandum. „ Facilè enim *Gortero* concederem, vigilanti calere magis ambitum corporis ad *thermometrum*: ſed ille calor adſcititius eſt, & totus a muſculis voluntariis productus; è converſo nocturno tempore, &

(a) *Boerhav. inſtit.* §. 590. *num.* 5. 6. 7. (b) *Idem* § 597. *num.* 1. 4. (c) *De inſenſib. Ttranſp. aphor.* cclvi. *p.m.*249.

& dum ſomnus obrepit, unitur calor influens innato, [a] & ſanguis paulò fervidior ducitur ſuapte natura ad externas corporis partes; adeout ipſe dormiens motu quodam automatico, ſtragula lecti tantillo etiam oneroſiora, impatiens æſtus plerumque dejiciat. Sileat ergo in praxi erroneum, vel ad indagandam hujuſmodi veritatem ineptum *thermometri* criterium, ubi ipſe ſenſus de caloris æquabali exceſſu in dormiente abundè teſtetur. Quod autem addit *Gorterus*: ſomno detentum, contegendum eſſe ne refrigeretur; illud non tam quieſcentis refrigerationem innuere videtur, quàm quod, pergente ſomno, incaleſcens magis corpus, irrupturi fortè antelucani, & longè diurno frigidioris aeris noxas tantò ægriùs ſuſtineat, quantò faciliùs ſenſibiliùſque, quám in vigilia, [XII, XIII.] percipit. Tandem ſubjungit idem [b] „Si quis iiſdem tegumentis tectus dormiat, quibus in„dutus eſt vigilans, & ſatis munitus ad frigus externum, „non ſolùm exteriora refrigerantur, ſed & interiora etiam, „adeoque ut ſentiant interiora viſcera tremere præ frigore „: Illud inquam cauſæ noſtræ tantùm non officit, ut potiùs eandem magis illuſtret. Vel enim homo non ſolet veſte indutus ſomnum capere, & tunc ob mutatam conſuetudinem retardatur cutanea exhalatio; hinc frigus, *non conſueta enim retardant perſpirationem*, ipſo conſentiente *Gortero*: [c] vel eadem, quæ in vigilia habuerat, cubitum iturus, corporis operimenta gerit, atque in ſimili caſu, quoniam ob incumbentem veſtium molem, vaporis in quo dormientes ſuſpendimur, *atmoſphera* minus occupat ſpatium, quàm ut calore illo humido influum calorem ad cutem alliciat; fit ut cùm balneis promovetur inſenſibilis halitus, calor extrorſum urgens opprimatur, & imminutio ejuſdem, ſeu frigoris ſenſus ſuccedat. Tanti eſt propriæ *atmoſpheræ* in ſomno tuitio, ut in dormituro milite, linteum apté extenſum circa proprium corpus, atque ea ratione, ut aliquid aeris ſpatium inter corpus, & operculum intercedat, voluerit

[a] *Sanctor. ibid. aphor.* 352. [b] *Ibid. p. m.* 249. [c] *Cap.* XII. §. XXIII. *p. m.* 65.

rit Peritus, hac in re Judex *Portius* [*a*]; ſed de his ſatis.

2. In balneo velut quodam exiturientis cute continuo vaporis, animalium corpora ſomno ſopita jacent, nimirum in propria *atmoſphera* a ſtragulis lecti coercita: Quamobrem in ſomno vaſcula ſubcutanea emollita, & maximè meabilia fiunt, quia perſpiratio eſt omnium maxima. *hic* XIV. *num.* I. Id autem non ſolùm de tubulis illis exhalantibus arterioſis, verùm etiam inhalantibus venulis intelligendum eſt, quæ ſugendis de foris advenientibus noctú præcipuè aſpirationibus aptiores ſunt; tùm quod ampliatâ perſpiratione, & imminuta liquidorum copiâ, liquida in ſomno ad venam *Cavam* celeriùs recurrant; vel ſi non citiùs at ſaltẽ rarioribus fluctibus perveniant, aliter quàm ſenſit *Lanciſius*: [*b*] Tum quod propter prægreſſas diurnas operas, cùm fluidis tum ſolidis, in nobis curſu motuque exercitis, multa extruſa ſint corpora, quæ, ubi ſanguis ob defectum motus muſcularis, & ſpirituum languorem reſederit, ſubvacuos poruſos, & inania cutanea vaſa relinquent: Tùm quod demum dormientium corpora plantis comparari meritò poſſe videantur, quæ inhalationem nocturnam celeriorem uberioremque adeptæ ſunt; [*c*] nam plus attrahimus dormientes, [*d*] quàm vigilantes.

3. Liquere ergo debet, perſpirantem corporis cum aream ſuis omnibus canaliculis, dum viget ſomnus calidiorem quam vigilantibus eſſe, venulas præterea ſummè pervias, & humidæ inſpirationi aptiſsimas. Sed illud quoque innoteſcere debet, ſomni tempore cutem ſummo, & exquiſito ſenſu donari, quod perpetuò, & abundantiori exantlato humore noctu irrorentur pulpoſæ medullæ ſurculorum nerveorum cutis ab exhalante illo vapore perſpirationis. Porrò hic idem vapor cutis regionem non flexibilem modò reddit, verùm etiam organum tactus exacuit, & ſenſibilitatem partis adauget. In vigilia autem, quamquam nervi ſenſiles ſint,

jugi-

(a) *De milit. ſanitat. &c. tom.* II. *p. m.* 73. (b) *De noxiis &c. Cap.* XX. §. IV. *p. m.* 157. (c) *Hales vegetable ſtatique l. c.* (d) *Keilius ibid. aphor.* 559.

jugiter tamen contracti, motivè ſiccefcunt ferè: hinc eſt quod in dormiente, una, vel altera corporis parte denudata non perſpiretur; Itaut dormientem exiguum frigus magis lædat, quam vigilantem; (*a*) contractis ſcilicet per univerſum corpus partis ſpoliatæ conſenſu, reliquis villis, & perſpirabile exire prohibentibus.

XV. Mala, imò exitialis cenſenda itaque eſt nocturna dormitio, & corporis in illa læthifera *atmoſphęra* cunctatio, pręſertim ſi lanuginoſa inter lintea involuti cubemus; tum quod ope illius indumenti circumambiens aer, in cutim faciliùs, & copioſiùs depluat, cumque illo major quoque effluviorum *ſuprà* §. XIII. malignorum vis liquida noſtra petat; tum quod patentiores, laxiores, & multò quàm in vigilia ſenſibiliores cutanei dormientium tubuli XIV. *num.* 1. 2. 3. confertiores influentis aeris veſpertini morboſas molleculas altiùs attrahant; tum quod operimenta *lanea*, prædictæ ſuctioni, præceteris ex quacumque alia materia factis, *ſi pelles excipias*, mirum in modum faveant; (XII.) ſicque inhalata aeris nocumenta proximæ cuti quam facillimé impertiant, iiſdemque ſanguinem defœdent. Quamobrem monitos vellem, quotquot vigiles noctes traducere neceſſum eſt, ne aperto nocturnoque aeri ſeſe incautè committant, hujuſque ſuſpicioſam aſpirationem excipiant; vel ſi qua ſub dio cubandi neceſsitas urgeat, inter cetera munimentorum genera, adverſus aeris inclementiam inventa, *lanea* tegmina ſedulò vitanda etiam atque etiam intelligant, quæ citiùs, & intimiùs madefacta, ab influo, & perenni inhalationum rore nocturno, morboſam quam conceperunt contagionem, ęſtuantis cutis hiulcis vaſculis ultrò ingerunt traduntque.

XVI. Ne corpora, temperamento bilioſo, ſanguineo fervidiori prędita, *lanam* ad cutem ſibi advolvant curandum eſt. Qua de re conſulantur ea, quorum ſuperiori loco meminimus. *Cap.* III. §. V. VI. Non omittendum tamen eſt, quod crebriori experientia didicimus, ex imprudenti *lanæ* abuſu, in corporibus ſanguine turgidis, & bilioſis ſuccis ſcatentibus,

(a) *Sanctorius ſection.* IV. *aphor.* 12. 14.

bus, per univerſam cutis, cui *lana* adpreſſa eſt, ſuperficiẽ, *peticulas*, & varia *exanthemata* oriri; quæ de *eriſipelatis* natura participant; hinc internorum æſtus augetur, moleſta corporis jactatio torquet, & vires, aucto malo, niſi in cognitionem hujus rei *nonnaturalis* veniat Medicus, in dies languent, partes dein *lana* contectas calor preternaturalis adurit, pruritus ſupervenit, cutis *inflammatio*, & aliquando dolorifica exulceratio ſuccedunt; quæ omnia refundenda ſunt in abundantiorem ſanguinem, ab injecta calidiori & ſtimulante *lanea* veſte, *ſupra Cap.* V. §. VI. *num.* 2. 3. 4. necñon emiſſaria cutanea ſubtiliſsima, ſuo tomento obturante, inteſtina agitatione fortiter commotum, valde rareſcentem, vaſaque diſtendentem; hinc ſtagnationem atque ſubſiſtentiam, inde graves ſuſcitantem ſpaſticas *ſtricturas*, perinde ac impetuoſas ad partes congeſtiones. Qua de re ex concitato in liquidis jam calentibus æſtu, expanſę undę cruoris, vaſcula ſua nimis inflaturæ ſunt, diducturę, viãque ſibi precluſurę; ſed & turgentibus ultra modum ſanguiferis, ac *eriſipelatosũ* calorẽ jam præſeferentibus, exhalãtia adſita vaſcula prementur, & trãſpirationis naturalis curſus reprimetur: Binis ergo hiſce de cauſis increſcent liquidorũ plenitudo, & vaſculorum obſtructio ad *phlegmonem* accedens, & quod inde ſequitur fluidorum cutaneorum mora, acrimoniæ genitrix. Rectè ergo dixit Sanctorius; (*a*) *perſpirabile retentum ut acre febres, & eriſipelata facit*: Eriſipelatis enim humor tenuis eſt, acer, calidus, icoroſus, cujus proindé ingenium cum bilioſis partibus adtenuatis, & ad inſenſibilem eruptionem paratis congruit: Hinc Bilioſi ſi pinguedine, vel *aere externo frigidiore* inquit *Gorterus* (*b*) *prohibeatur perſpiratio frequentiſſimè eriſipelate tentantur*. Quod in noſtro caſu non ideo contingit, quia frigus externum ad *cutem* appellere permittitur: ſed contraria prorſus ratione, quia, vel contractis perſpiratoriis tubulis ſubſiſtit fluidum; vel quia per tunicam calidam poris foraminibuſque cutaneis ultra modum apertis, ſerum tenue affatim difflatur, unde molleculæ in ſanguine minùs dilutæ, craſsiores red-

ditæ

(a) *Aphor.* 191. (b) *Ibid. Cap.* XII. §. XLVIII.

ditæ ſanguinem in concretiones pronum efficient; vel quia tandem majori affrictu, quem aſperior panni conditio ciet *ſupra ibid. num.* 4. vaſcula rigidiora, & ſicciora evaſerint.

XVII. Ordo autem poſtulat, de cautelis aliqua ut in medium adducamus, quæ in Medente requiruntur, quoties affectibus cutaneis mederi *admota lana* debet. Cùm enim ex frequenti *lanei* veſtitus uſu jugis fiat ex corpore diſſlatio, *ſupra* III. §. VII. cùmque omnis cutanea ægritudo a præpedita univerſali evacuatione dependeat; apparere primo quidem aſpectu poſſet, cunctis cutaneis pathematibus, niſi periculum urgeat, nihil præſtantius abigendis, *lanâ* applicatâ eſſe. Sed in re adeo gravi lentè feſtinandum eſt. Monendi itaque ſunt clinici, ne id generis affectiones, *laneâ* methodo promiſcuè tractandos umquam ſuſcipiant, niſi certi ſint materiem morboſam jam ad excernendum, delicatulo iſthoc auxilio, jam inquam aptam promptamque eſſe. Quæ quidem diſpoſitio in liquore cutaneo morboſo eliminando neceſſaria multa includere videtur: 1. enim ut ſit verè *perſpirabilis* videlicet tenuis, & ultimam corporis elaborationem paſſa; hæc enim *Sanctoriana* materies non per quævis colatoria excernitur, ſed ſibi ſpeciale *cutis incerniculum*, per quod eliminetur, nacta eſt; (*a*) item noſtra conſulantur *ſupra Cap.* V. §. I., *&* §. XV. *num.* 4. 2. ut diſſlationis inſenſibilis materies fluidior ſit, & motui expellenti auſcultans. Hoc, quamvis *paradoxum* nonnullis videtur, a Celeberrimo tamen *Gortero* demoſtratum ſupponimus; qui conceptiſsimis verbis pronuciavit, (*b*) inſenſibilem materiem cutis, defectu motus, & actionis corporis, craſsiorem fieri atque accumulari. Porrò concreſcit inviſibilis vapor, ſi vis, qua ad mutuam cohęſionem nituntur ipſius particulæ, actione canaliculorum non ſuperetur; vel ſi è contra adaucta vaſculorum oſcillatione vaporoſa effluvia ita cogantur, ut ad intimiorem contactum, tenuiſsimarum partium inducta jacturâ reducantur: Qui Bini effectus in materia perſpirationis ſi obtinētur, actioni *lanæ mechanicæ* ſtrenué reluctabuntur. Cùm enim id gene-

(a) *Gorter p. m.* 3. §. v. (b) *Idem ibid. Cap.* XII. §. XLVII.

generis veſtimentum, calorem, & ſiccitatem partium, quibus adhęret, intendat, periculum eſt, ne dimiſſo tenuiori liquido, reſiduus concretus cum organo in duriſsimam maſſam coeat. Quod ſi verò concretio liquidioris diſsipationem pro cauſa agnoſcat; eadem quoque ratione, & propter indictum inde ſtimulum amoveri a corporis partibus quàm citiſsime *hic* §. XVI. *lana* debet. Valent autem hìc *ſudorifica* equidem, & *diaphoretica*, ſed quæ humidum adjunctum habent, quò felicior hærentis dilutio, ejuſdemque evacuatio obtineatur „ *in tumoribus*, inquit *Sanctorius*, (*a*) *perſpira-* „ *tio utilis*, *ſi fiat*, *humidis actu*, *&* *potentia*, *ſecùs in* „ *Skirrum* loquitur hìc de omni concretionum genere, cedunt, „ tenue reſolvendo, & craſſum relinquendo „; Aqua enim materies, quas pervadit, fluxiliores reddit, contentum glandulis cutaneis humorem diluit, adtenuat, & ex ipſis elicit. 3. Ne materia utcumque evaporabilis copiâ propriis in canaliculis exuberet. Id enim vel languidas naturæ vires, vel ceteris paribus occaleſcentia *ſyphunculorum* oſcula; utrumque autem, *Naturam*, materiam retentam inſenſibiliter evacuare non poſſe oſtendit. Methodus ergo uſurpandę hic *lanæ* noceret prorſus, utpote qua major maſſa liquidorum movenda, calore urgenda, inque vaporē reſorbenda ſit; *major* dico, quàm ut a *Natura* debiliori, ſe domari patiatur; hinc minùs conquaſſatur, minùs adteritur, ſeu quod idem eſt, *cutaneæ excretioni* minus idonea evadit. 4. Ut *blandior* ſit, neque mora, æſtu, vel alia accedente mutatione acrior fiat: aliter enim approximans corpori *lana*, quæ fervidiorem parti calorem conciliat, inteſtinam partium perſpirabilium luctam excitaret, inde liquores a priori indole degenerantes aliam, & malignam induerent; unde major contenti perſpirabilis *putredo*, longior mora in vaſculis quibus aſſervatur, & periculoſior *tranſpirationis* ſuppreſsio futura eſt. 5. ut *puſtuloſæ*, & quæcumque cutem corripientes affectiones materiam utique inviſibili eliminationi aptam, ſed *criticè* eo loci depoſitam præſeferant. Plerumque enim accidit, ut hiſce tuberculis ſimilia,

(a) *Aphor. C. edition. Gorter.*

lia alia numeroſiora interna viſcera afficiant; ideoque ab illis bené, vel malè affectis, de totius habitudine (*a*) judicium ſumant. Quare in *ſymptomaticis* hiſce cutis excretionibus ad *therapejam* laneam confugere, quid aliud eſſet, quàm in glanduloſa ſubcutanea vaſcula impetuoſiores ſanguinis fluctus advocare, ductulos jam infractos unâque ſub onere materie preſſos vexare acriùs, & ſalubrem antea viribus Naturæ commiſsum morboſæ materię exitum, cum malis ægri rebus *accelerare*? Pręſertim cùm ex *Sanctorio* habemus, (*b*) perſpirationem inſenſibilem factam in non purgato corpore plus attahere, quàm reſolvere.

XVIII. Propterea, ut clariùs, & breviùs per exemplarem expediamus: Corpora eorum, quibus cutis maculis variè deturpatur, vel alio modo languet, laneo velamine contegendi abuſum, tamquam damnoſum in praxi, ſeriò coercendum eſſe remur. 1. in cutis *eriſipelatoſa*, *inflammatoria*, *edemotoſa* affectione, *Gutta roſacea*, *Zona ignea*, variiſque tuberculis a ſtagnante humore ſebaceo muccoſoque cutaneo ortis. §. IX. *ſupra*. 2. In *Phlictenis*, *Pſydriacis*, *Epynictidibus*, *Therminto*, *Sudamine*; item in *purpura alba*, & chronica, in cunctis tumoribus cutaneis ad *Skirrum* accedentibus, corii indurationibus, *ſcrophulis*, ceteriſque id genus parvis obſtructionibus. Huc referuntur, quæ quod dilutius eſt expellunt, & craſsius in corpore relinquunt, ut ſunt tubercula inflammatoria cutis mox memorata in numero præcedenti. 3. In *cutis ædemate pellucido apoſtematibus*, *tuberculis cacheticis cutaneis*; (*c*) ubi inſenſibilis eruptio ſudore non reſarcitur, (*d*) ſolet colligi, perque innumera cutis cola diſpergi aqueus humor, eadem in tubercula faſtigians, ſimilia iis, quę a ſuſcepto frigore in ſanorum cute manifeſtantur. *vide ſupra hìc* §. VI. In morbis acutis inflammatoriis, poſtquam per initia ſęvierunt, aggeritur occulta perſpiratio, & uberior fit, ſed ſatis tenuis manet, ut

ſub

(a) *Tozzi in aphor.* 15 *lib.* II. (b) *Vide Aphor.* CIII. (c) *Sanctor. ibid. aphor.* CXCI. (d) *Idem ibid. aphor.* CCCCXI.

ſub ſudoris ſpecie ſenſibili educatur. (*a*) Huc referes Pueros, quorum occulta exhalatio major eſt, (*b*) & cutanea fabrica flaccidior, quàm ut majorem inviſibilis humoris aquei copiam emittant; qui proinde, *emphiſemate* cutis, & *hydropico* carnis tumore corripi ſolent. Huc Senes, qui ob tubulorum cutis ſtrigoſam temperiem, intacta quoad cetera, humorum maſſa, *papulis* varié tentantur. 4. In omnibus *puſtuloſis*, & *pruriginoſis* [*vide* §.XVII.] varii generis affectibus cutis; ut ſcabie tum *ſicca* cùm *humida*, *impetigine*, *ſcabie maligna venerea*, *herpete miliari*, dolorifica cutis exulceratione, *elephantiaſi*, & ſi quod ſit cutis vitiū acri pruritu ſtipatū.(*c*) 5. In *variolis*, & *morbillis*, idque genus morbis, quæ, quà internas, quà externas corporis plagas pari laniena excruciant. Hinc homines *variolis* laborantes, ab ſuperdatis lecti ſtragulis frequentiùs *petechiis veſiculiſque ichoroſis corripiuntur*, *quàm* ſi in paulò frigidiore aere verſarentur. (*d*) Ad hæc 6. in morbis *acutis*, quæ ſuppurantem materiem ad corporis habitum ablegant cum ſignis caloris; in *putridis*, *nigris*, *gangrenoideis*, *ſphaceloſis puſtulis* ab ingente putredine exortis, circa finem *variolarum*, quodcumque de *lana* factum corporis tegmen officit. Hinc in *putridis* hiſce cutis efflorescentiis renovatio linteorum, ſtragulorumque *ad ventilationem* excitandam magni eſt (*e*) mometi.7. Quoniam experientia certū eſt, prȩternaturali ſanguinis motu, ſive ob morbum, ſive ob anni tempeſtatem, univerſa totius corporis vaſa ſanguifera, tum *orgaſmica rareſcentia* nimium diſtendi, tum celeriori liquidorum impetu fortiùs impeti; unde compreſsiones, *infarctus*, *hærentiæ*, *phlogoſes*, *inflammationes*, *&c.* intùs extúſque corporibus impendent. Ex his ideo conſequens eſt, animi corporiſque quietem ſummam temperatum hyberno tempore cubiculum, æſtivo verò ſubfrigidum, puroque aeri pervium, utramque curationis paginam implere; cum è contra ſtra-

(a) *Gorter ibid. Cap.* X. §. IX. (b) *Sanctor. ibid. aphor.* CIV. (c) *Confer. Hofman. Tom.* III. *Cap.* V. *p. m.* 426. *ſequent.* (d) *Gorter Cap.* XII. *p. m.* 71. (e) *Sanctor. ibid. aphor.* CXX.

ſtragula; ceteraque corporis indumenta, quæ vel pondere graviora, vel *lanea* mollitie juſto calidiora fuerint, nocerent prorſus. Niſi tamen *ſudor*, ut inquit *Aſtrucius* (*a*) *exituriens efflorescentiaque cutis*, & *exhantemata contrarium juſſerint*; Tunc enim cutaneam emanationem, criticam ſupprimere minimè tutum eſſet.

XIX. Quorum dictorum hactenùs, nè longior, quam par eſt, contexatur oratio, ſequenti cautela caput pręſens claudere viſum eſt. Ea hùc ſcilicet redit, ne amictu *laneo* ponderoſo corpus nimis obruatur. Si enim ſimplex licèt tunica, gravior tamen ſolito ſanitati officiat, quantò nocentior corpori futura eſt, ſi ex *lanæ* valde craſſo contextu fabrefacta fuerit? etenim 1. corpus aſſuetum tali veſtitus generi, non fert tantam aeris frigiditatem ſine damno, quare leviſsima de cauſa homo in morbum incidit? Verùm hoc in uſu *laneæ* veſtis plerumque accidere vidimus ſupra, ubi de experimentis ageretur. *Cap.* IV. §. III. *num.* 5. *item Cap.* V. §. XIX. 2. Cùm partes tectæ diù, & ſub rudiori panno collocatæ, mox denudatæ, multò minus perſpirent, quàm ſi numquã fuiſſent fotę, ſequitur, *lanam* corpori circũdatam illud magis, quam aliud veſtimenti genus diſponere, ut deinceps, vel tantillum exutum, retenti halitus noxas incurrat; quod congruere cum illis quæ de *dormiente*, & *lana veſtito* commentati ſumus, *hìc* §. XIV. *num.* 2. 3. atque aphoriſmo *Sanctorii* quadrat, ubi inquit: (*b*) *Quodvis frigus minimè quidem, quod noctu dormiendo patiemur, impedit perſpirationem*. 3. Verùm enim verò ne dum corpus, graviori mole circumſtricta, preſſaque *lanea* veſtis morbis obnoxium reddit; verùm etiam perſpirationi impedimento erit: Quidquid dixerit *Gorterus*, qui in *eundem* (*c*) putat, partes magis tectas, magis exhalare, neque limites evacuationis hujuſce, à cooperientibus veſtibus inductæ intelligere uvlt: Quandoquidem contectas ab immani ſtragulorum veſtiumque pondere partes, in repulſa *Sanctoriana*, & halituoſa humiditate neceſſe eſt humeſcere

(a) *Therrapeut. p. m.* 363. *num.* 7. (b) *Aphor. ibid.* L. (c) *Aphor. p. m.* 146.

ſcere ita, ut cutis ſecretoria laxata, & collapſa evacuationē iſtam ægrè moliantur. *Vide ſupra cap.* VII. §. VI. *& paſſim.* Deinde creſcente ſtimulo calorifero, pro ratione denſitatis *lanæ*, qua corpus velari ſupponitur, juxta enarrata a nobis ſupra; *Cap.* IX. §. V. liquet ſanguinem violentiùs, & frequentiùs inde in ſanguifera cutis adigi, & eadem ratione ſudantes perſpiranteſque exiliſſimos vicinos ductus comprimere, cum minores, & exiliores ſanguineis ſint; vel perſpirantia vaſcula, recepto ſanguine *errore*, ut ajunt, *loci* expandi, & *phlegmone* tentari; Porro ubi eſt *phlegmone*, non perſpiratur, neque maximus ſanguinis ad cutem derivati fervor, ſudoris, multo minus ſpirituoſi perſpirabilis prolectionē permittit; unde utroque de nomine, *pannos* nimis graves qui adhibent, ſeu quód idem eſt, nimis calidos, adeo non auctam perſpirationem cutaneam, ut potiùs minutam habent. Novi Moniales, quæ numquam, hyeme prȩſertim, paulo craſſius *laneum* tegumentum ſibi induebant, quin puſtulas *miliares*, *phlegmonodeas* in cute paterentur illico, *Hic* §. VI. XIV. XVI. 4. majori craſſitie donati contexti panni ſi cuti propiùs affigantur inaſſuetum veſtis genus conſtituunt; præprimis ſi exercitiis ſolitis incumbens, homo majori labori ſe dedat, vel dormitum iturus, palliis ejuſdem conſtipatæ materiæ corpus ſuum imprudenter oneraverit. Verùm conſuetudo multū hic facit ad perſpiratum promovendum, retardandumve. *Hìc* §. VI. „ Qui milites ſomnum capturi villoſis operimentis ſe „ obvolvunt, corpuſque gravant, ſi hanc habeant *conſuetudinē*, „ inquit non ſemel laudatus *Portius*, (*a*) & nihil incommodi ex „ hoc accipiant, non malè ſibi conſulunt. „ 5. Sed eſto loca corporis quò magis conteguntur, eò copioſiùs exhalare, ut vult *Gorterus*; Quid demum futurum conjectas ex hac perenni, & uberrima corporis tranſpiratione? Nonne debilitatem virium repentinam, & naturæ labantis ad expirandum impotentiam? Nonne perſpirationem *Sanctorianam* longè imminutum iri cernis, quam ſi aptæ Naturȩ ſuppeterent fumo huic evaporando vires? *Confer ſupra hìc* §. XVII. 6. Omitta-

(a) *Ibid. p. m.* 72.

mittamus tamen hæc, conſideremus tantiſper coercitam abundantiorem a denſiori graviorique *lanæ* accubitu, cujuſcumque exhalationis materiem, prout in ſuperioribus expoſuimus *Cap.* VII. *&* VIII. *paſſim*; videbimus certè aerem rectè conſtitutum animalium humoribus multum prodeſſe, & medicamenti loco eſſe, cùm multiplicis é contra veſtitus grave onus excretæ e corporibus, nec ultra utilis materiæ, *atmoſphera* quadam condenſatâ nos ſtipet, ſalubriſque aeris efficaciam (*a*) intercipiat. 7. Tandem ſola incumbentis *lanei* tegumenti moles ſolitó denſior, vaſculis exhalantibus inhalantibuſque eatenus obeſſe videtur, quatenus compreſsis inde cuticulæ ſquammulis, perſpirationis ductuum orificia clauduntur, atque retentum perſpirabile ſquammularum commiſſuras, per quas hiantes exonerantur perſpirantes ductus, occupat; Unde parcior, tardior, difficiliorque effluviorum (*b*) cutaneorum emigratio; ſenſimque craſsis, pinguibuſque ſupra cutis ſuperficiem ſordibus ab *lanæ* ramentis emollitis detritiſque, necnon a corporis proprii halitus, *ſupra Cap.* II. §. VI. VII. VIII. *Idem Cap*: VII. *paſſim*, collectis conſpurcabitur cutis, & meatus obturabuntur.

XX. Revera multa ſunt, quę ſola gravitate phyſica corpori animato admota nocent, quæ ſua qualitate profutura eſſent, quæque in uſu, *Practicorum* requirunt ſagacitatem. Ipſa aqua quid prętantiùs ad duras, imò oſſeas partes emolliendas, quidve efficaciùs? Hæc tamen, quamquam calens, membrorum rigiditati medendæ adhibeatur ab omnibus *Clinicis*; gravitate quàm in ſubjectas partes exercet, mala ſemper cenſetur: idipſum nuperrimè obſervatum eſt in cutis nova, & inaudita rigiditate, qui morbus anno 1752. *Neapoli* primum apparuit. Dum enim rei novitate allecti *Xenodochii* Excellentiſsimi Practici, & Candidatorum manus accurrunt; dum increbreſcente rariſsimi ſpectaculi famâ turmatim ad inviſendam eò loci decumbentem undique confluunt, ut tota penè Civitas effundi videretur: Sapientiores,

(a) *Cheyne ibid. Cap.* VII. §. VIII. (b) *Noguez in aphor. Sanctor.* 54. *Section.* 1.

& præclariſsimi Medici ſtupent, cutem, qua latè pateret, adeó duram, renitentem, & conſtrictam in fœmina illa evaſiſſe, ut ad inſtar ligni rigidi induruiſſe videretur. Sed poſtquam deferbuit curioſitatis æſtus, de inveniendo remedio, quo cutis emollita ſuorum ductuum obſtructorum oſcula leniret, & ſuppreſſam omnino perſpirationem reſtitueret, cogitare cœpit *Carolus Curtius*, qui magnorum virorum more candidè fatetur, quod jam in animo erat, adhibitum balneum non tantum ſibi proſperé ſucceſsiſſe, quin potiùs affecta cutis multò durior inde evaderet, & pectoris oppreſsiones, & convulſiones orirentur. (*a*) Quamobrem factum eſt, ut egregius ille Medicus aliam curandi methodum inſtiterit, cujus ope induratæ cuti ſolita flexibilitas atque mollities accederet, abſque ullo perceptæ gravitatis damno. Ergo hominis corium durum, atque reſiſtens balneo vaporoſo per aliquot dies expoſuit, quo tempore ſerum intus diluens ſumebatur, & ægrotanti in cubili calido moranti lenes cutis frictiones ad alliciendum ſanguinem inſtituerentur. (*b*) Tunc enim verò, & non antea præruptis emiſſariorum cutis obicibus, apertiſque veluti cataractis, retenta quæ priús fuit materies prorumpere, eructarique grandioribus guttis ſudor, donec obſequioſiori in dies reddita cute, priſtina flexibilitas redierit omnino. Quippini ergo pari quoque modo veſtis *lanea* vel ipſo balneo præfertur, & ſive ſtimulo, ſive calore, ſive repulſo, & coercito ſudore, eadem quæ vapor cute admiſſus preſtat? Atque ratione contrariorum, damnum idem afferre poterit quoties denſiori craſſiorique materia conſtans pōderoſiùs cutaneis villis incūbit, non abſimile illi quod ab aquea Balnei mole derivatum in prædicto morbo fuiſſe nocumentum vidimus?

XXI. Sané, quoniam opportunus hìc incidit locus, paucula delibemus, quæ ad libri, vel opuſculi præcitati (XX.) *analyſim*, *&* *epicriſim* ſpectant. Quare aberranti fortè parcendum eſt. Et quidem pauca in eo libello habentur, ſed quæ egre-

(a) *Idem diſcuſſioni Anatomico pratiche di un raro &c. da Carlo Curzio p. m.* LI. (b) *Idem p. m.* 57. 61. 63. 72.

egregia, & notatu maximé digna cenſeas alia ſunt, quæ de natura corporis reticularis longè diverſa, & a cute ſubjecta, & ab *epidermide*, copiosè, & nitidé evicit *Curtius* contra *Albinum*, & *Boerhavium*. (*a*) Quæ de nigredine, mororum edifferit: (*b*) quæ de mercurio vivo, ore ſumpto, & nihilo ſeciùs, quàm ſi eſſet illitus, operationes ſuas mire exercēte, obſervationibus practicis perſuaſus Author addidit ad calcem. (*c*) At verò hæret in ſalebra dum in illa extrema cutis rigiditate doloris ſenſum, quem in ſubcutaneis puncta nervulis ægra percipiebat, explicandum aggreditur. Quid enim? In *convulſiva* adeo cutis ſpaſtica ſtrictura; in omnium ejuſdem excretoriorum contractione violenta, eò uſque ut nec *Miliares*, neque *ſebaceæ glandulæ Morgagni*, (*d*) neque halantes tranſpiranteſque ductus tantillum homoris ſubtiliſsimi unctuoſi, humidive dimitterent, quòd cutis humiditatem, obſequium, mollitiemque tueretur, in tanta inquam cutis ariditate, & cujuſcumque humidi penuria, quam pro cauſa morbi immediata ponit *Curtius*; (*e*) Quidni etiam cutanei nervuli comprimerentur, & compreſsi exareſcerent prorſus, omni ſpirituoſiſsimo latice orbati, ut ſenſationi dolorificæ excitandę impares fierent? In cauſa eſt inquit *Curtius*, (*f*) eorumdem imperceptibilis exilitas, ab compreſsionis moleſtia ſervans. Sed quid, obſecro, ductulis exhalantibus ſubtilius in corpora, tenuiuſque excogitari invenirique poteſt? Adeo ut in ſpatio unius arenæ granuli pori 150000. proſtent. Quid ſpirituoſius anima halituve, vel ex eo quod expiret ſponte vitæ de humani corporis quacumque parte? Adeo ut qui fumantis ex pulmonibus agitatis halitus in maſſam viſui ſenſibilem cogere tentarunt, omni ſpe exciderint? (*g*) Quos autem cunctos inviſibiles ductulos obſeratos, obſeptos, & obrigeſcentes in eo morbo negare non potuit *Curtius*. Quid ſi ipſos expirantes canaliculos, nervulos eſſe dicamus, quibus con-

(a) *Ibid. p. m.* xx. *ſequent.* (b) *Ibid. p. m.* xxii. (c) *Idem ibid. p. m.* lxvii. *ſequent.* (d) *Epiſtol. anatom.* III. *num.* 3. 4. 5. (e) *Pag. ibid.* xl. (f) *Ibid. p. m.* xxxxviii. (g) *Boerhav. Epiſtol. ad Ruiſch chem. Tom.* II. *p. m.* 123.

confertiſsimis donatur cutis; (*a*) liquidò conſtabit & *etiologiam* morbi corruere, dum vaſcula quæ obſtructa, & indurata creduntur, ipſiſsimi ſunt nervi, vel nervi qui patentes adhuc cenſentur, ipſiſsima ſunt vaſcula liquidum emolliens extillãtia, unde juxta *hypotheſim Curtii*, vel ſenſus perire in infirma cute debuerat, vel pergere halituoſus humor ex ipſa cute efferri, eamque humectare; Quod neutrum tamen in illa inquiſitione admittitur. Accedit, cutem in eo caſu, quãvis ad ſummum duritiei gradum rigentem, non omni vita fuiſſe privatam. Non *circulationis*; aliter numquam reviviſceret ejuſdem flexibilitas, quæ tota canaliculorum mobilitati debetur: non *vita ſenſus*, quandoquidem ille vigebat. Reſtat ergo, ut ſervato aliquali humorum cutaneorum itu redituque, aliqualem etiam mollitiei, & flexibilitatis umbram retineret; ſeu quod idem eſt tantillum perſpirationis *Sanctorianæ*, quo humeſceret corpus, foras extruderet. Non ergo omnimoda fuit omnium tubulorum vitalium, quæ inibi ſunt obturatio, atque conſtrictio. Demum papillæ nerveæ, tactus organum, ex nervorum ramuſculis in ſpiras convolutis, atque tricas implicitis inextricabiles, cum ſint compaginatæ, faciliùs a cauſa conſtringente comprimerentur, & ſubtiliſsimo elabente humido deſtitutæ promptius exareſcerent, quàm exiguiſsimæ perſpirantes fiſtulæ, quæ recta ab ultimis arteriolarum extremis proveniunt, abſque ulla omnino (*b*) fabricæ glanduloſæ ambage interpoſita aut remorãte.

XXII. Tutius nonne erit in deſcripto morbo (XX.) liquidorum craſim everſam meritò culpare, quàm ſolidorum cutẽ contexentium inſuperabilem contracturam arguere? Probabile enim videtur, & efflatum, miliari de glandularum genere laticem, & egreſſum adipoſum pinguemque *ſebaceis* acinis humorem, & evaporatum extremis arteriarum, perſpirationis halitum adeo difficili aliqua mechanica intra vaſcula ſua hęrere, & coire potuiſſe, ut corneam conſiſtentiam adipiſceretur. Quod ne pluribus, quám par eſt verbis proſequamur,

(a) *Gorter Cap.* III. *ibid.* §. VI. *p. m.* 11. (b) *Boerhav. ibid*

mur, ob oculos ſequentia ponere juvat. Ipſe vapor cutaneus tacitè in ſanitate, manans in ſubitaneo frigore, hęrentiæ capax eſt, ut aliquando craſſeſcat penitùs; (*a*) Humor narium pellucidiſsimus, limpidiſsimus in *tophos* interdum concreſcit; & humor ſebaceus glandularum ſubcutanearum vi morbi in ſpiſsitudinem cogitur plerumque varia tubera efformans: (*b*) muccoſus tandem corporis reticularis *Malpighiani* liquor in concretionem proniſsimus eſt, teſte humore ex perioſteo exudante, eoque mucilaginoſo, qui callum in fracturis egregiè coactus promovet. (*c*) Nonne dein, ut oſſa emolleſcere poſſunt, vitio alluentis liquidi, ut in *Rachitide* (*d*) & in *lue gallica*; (*e*) ſic carnes molles, & ductilis naturâ cutis, ſtrictius conſtipata, obdureſcere ſumme poſſunt? Exempla proſtant frequentiſsima, ut ſupervacaneum ſit eadem referre. Atque quidem indicat prænarrati mali hiſtoria, vitiatum fuiſſe fluidum, finitimam cutem, ex multiplici fonticulorum emittentium ſobole humectaturum ſcaturiens: Quippe non ſubitò, & in univerſam cutem debaccata eſt rigiditas, ſed a jugulo incipiens, ſeſe ad alias partes extendebat. (*f*) Non diſpari ratione, qua Nigredinis propagationem, ac in vicina loca progreſsũ, ipſemet *Author* in Ethiope nato explicat: incipit enim, inquit, (*g*) color ater ab extremitate preputii in univerſam cutim diffundi: neque abſimili modo, quo *Oſſificatio* in cranio oriri, progredique conſuevit, ut ab uno puncto, velut centro, ad confines in periphęria partes irradiet. In hiſce enim omnibus phenomenis, liquidi condenſati, non ſolidi verò conſtricti culpa eſſe videtur; cujus poſtremi ea proprietas ineſſe videtur, ut tacto convulſo puncto, conſtricto, vel quomodolibet in una ſua extremitate affecto cõtinuò, & nulla interjecta morâ, in altero extremo eamdem affectionem concipiat. Non ergo mirum, ſi in raro hujuſmodi

(a) *Gorter ſupra* XVII. (b) *Boerhav. ibid. p. m.* 126. 130. (c) *Memoires &c. anneè* 1742. *p. m.* 130. (d) *Petit maladies des os Tom.* II. *p. m.* 419. (e) *Aſtruc. de morb. vener. Tom.* I. *lib.* IV. *Cap.* III. §. V. (f) *Idem Curtius ibid. p. m.* IX. (g) *Ibid. p. m.* XXIII. *in nota*.

di morbo, de quo loquimur, liquidum colli cutaneum, *corneum*, ut ita dicam, factum eſſe aliquo vitio auguremur, illudque per continuitatem columnularum fluidi, longe lateque, ut factum eſt irrepſiſſe. Sed hæ meræ conjecturæ ſint, neque hiſce adhærere lectorem jubeo: ſua cuique ſententia maneat.

XXIII. Verba, quæ excidere in numeris præcedentibus (XXI. XXII.) de morbi raritate, ſuſpicionem non levem mihi afferunt de incognita, & incomperta hactenus ut creditur ibi illius morbi vi. Perſuaſum enim ipſi eſt, *nihil ſub ſole*, ut ajunt, *novum eſſe*; vix quidquam dici, quod non dictum prius; quæ modò ſunt fuiſſe pridem, ac futura poſtmodum eſſe. Et profectò, multa, ne dicam omnia, in Antiquorum Medicorum libris obſervata proſtant, quorum pleraque a Recentioribus neglecta prætermittuntur, vel ſi legantur, & animadvertantur, pro novis, Imperitis obtrudi ſolent, quod negant eſſe ingenui Medici, & Probi Viri. Dum enim cernunt occupata majoribus magnam partem ingenii ſpatia, rarumque jam ſupereſſe, qua uſquequaque glorientur inventioni locum, & uberrimam inauditorum morborum ſegetem in vetuſtiſsimis artis Medicæ codicibus extare; *Philautia*, vel ſcribendi *cacoethe* incitati, pro inventis, pro inviſis venditant, typiſque excudendos curant, quos candida, in antiquorum libris fide exaratos legerant morbos, ſuppreſſo Inventoris nomine. Sed ne longiùs ab inſtituto noſtro abripiar: Nonne *Elephantibus* cutis duriſsima, & calloſa cernitur? (*a*) Nonne cutis aſperitas, & oſſea quaſi conſiſtentia, ita *lepra* affectis comunis eſt, ut illius morbi non univocum, ſed equivocum ſignum eſſe videatur, ſcilicet (*b*) ut ceteris etiam cutis affectibus communis ſeſe aliquando videndam exhibeat? Sed quid ego vel a recondita vetuſtate morbos notos obſervatoſque mendicem, ad oppugnandam futilem de novitate hujus *Neapolitani* morbi credulitatem. Vivit adhuc Melitæ, & eadem cutis rigiditate affecta vivit, habitioris tem-

[a] *Haller in Boerhav.* §. CCCCXXXII. *p. m.* 610. [b] *Confer Aſtruc. de morb. vener. Tom.* I. *p. m.* 8. 26.

tẽperamenti mulier, iiſdemque ſimptomatibus, quæ in *Curtii* ægrotante obſervata jam fuiſſe didicimus: Niſi quòd prædicta contractura, & inflexibilitas non universũ corporis habitũ occupet, ſed a vola dexteræ manus incipiens, per *aponeuroſeos* muſculi *Bicipitis* latã faſciã proceſsit, extenditque ſe ad uſque *Acromion*, quo in loco ſubliſtere viſa eſt, ſubſiſtitque adhuc cũ doloris, ubi acu laceratur, ſenſu. Cujus ſpectaculi novitatẽ, medentium Melitenſium ſcribere nemo, ac poſteritati tradere, aggreſſus eſt, morbique rariſsimi hiſtoriam grandi verborum ambitu jactare. Ita enim naturâ facti cõparatique ſumus, ut quæ aliquando in propatulo dicta, vel geſta, vel obſervata vidimus, quám citiſsimé in vulgus edi ſpargique curemus, quæque audientes mirabamur, eadem legentes videamus. Quod præprimis in illis Xenodochiis uſuvenit, quæ ob urbium celebritatem, confertiſsimis Decumbentium agminibus ſtipantur, & Præſidum veré Chriſtianorum charitate reguntur; ſi quid Medentibus, non dicam novi, ſed minus frequentis, fæcundæ Praxeos Fortuna objecerit, quod a pręſente tunc Gubernatorum corona animadverſum ſit, & ſecunda adſtantium murmuratione exceptum; tunc enim verò arrepta occaſione, rei novitatem cauſantur, ſpectaculum numquam viſum, dignum ut typis prodeat, ad futuram Nepotum memoriã clamitant: eo fine ut quos Illuſtres Præcones feliciter ſortita jam ſit novitatis ſigillo munita obſervatio, Patronos conſtanter habeat impoſterum; & quæ ſive in ægris, ſive in cadaveribus fortè ſemel occurrere obſervanda, Populi admirationem mereantur. Non ſic autem in privata Praxi medica cõtingit. Sanctè enim aſſeverare poſſum, Excellentiſsimorũ Practicorum ipſi notorum fide, quãplura a privatis Medicis privatis in ædibus deprehendi, cedro ſanè digna; ſed quæ vel præconceptâ nonnullorum modeſtia, inter Adverſaria ſepulta jaceãt; vel inſita timiditate, ægrè proferantur in lucem; vel *Mecenatũ* defectu in Medicorũ umbraculis ſepeliantur; vel rei domeſticæ anguſtiâ impreſsionem jam abſoluta deſiderent: Quæquæ ſi in lucẽ emitterentur, de hiſce tam multis, tam variis præclaris, & perutilibus inventis, authoribus merito cõgratulatura eſſet ætas ſera. Durũ profectò Ingenuorum, & privatorum Medicorum fatum. Sed de his hactenus.

CAPUT X.

DE SINGULARIBUS PARTIUM *Corporis Noxis ex Lanei Tegumenti Abuſu.*

I. Xilinis *laneiſve*, vel conſimili materia extructis habitibus, circumcincta nuda Animalium corpora multis cutaneis affectionibus, opportuna fieri in præcedenti capite vidimus, & pro virili demonſtravimus: nunc autem dicere incipiamus damna, quæ ſpeciatim eæ partes experiri in corpore vivente ſolent, quibus interdum temerè, & inconſideratè *lana* intimo contactu admovetur. Sunt enim ea multa, & pro partium corporis diverſitate varia, quęque penitiorem diſquiſitionem mereri videntur. Quamobrem, & nos e capite exorſi, quid huic, *laneo* pileo, vel tegmine imprudenter tecto, mali ſupervenire ſoleat, in limine hujuſce capitis indigitabimus; ſingillatim dein ad ceteras inferioris corporis partes deſcendentes, iſtarum morboſas diſpoſitiones enarraturi, quatenus ad argumentum noſtrum ſpectaverint. Itaque mirari ſubit, apud delicatiſsimos quoſque, præprimis inter Feminas, ſenſibiliori temperamento præditas, uſu receptum eſſe, quamprimùm ſibi dolere caput ſentiunt, *Noſtrates Fluxionem vocant* continuò, *laneo* tegmine, vel pileo ſimiliter conſtructo noctis tempore partem involvere, & præmiſſo ad faciem aromatico, vel alio ſuffumigio

migio pannis ſeſe obruere; quo in lecto repoſitum corpus, *inquiunt*, retardatæ tranſpirationis delictum, prorumpente ſudore, avertat. Sed malè; inde enim *cephalicus* dolor creſcere obſervatur, vel aliud pejus malum accerſitur. Cùm autem *cephalicum dolorem* dico, non illum quidem dico, quem ſanguis modò æſtuans, interdum vermis, aliquando *lapillus*, *polypus*, *abſceſſus*, *excreſcentia oſſea meningum*, licèt rariùs, cauſentur. Mihi quidem pro inſtituti ratione miſsis reliquis, ſola jam conſiderabitur illa ſpecies *cephalalgiæ*, quæ gravanti pituitæ, vel acrimonia ſua rodenti ſero, atque in ſumma, vel ſubſtrata capitis cute appulſo ſtagnantive debetur. Certè in *Pericranio* frequentiorem doloris iſtius ſedem reponimus, quod inter alia, idonea ad leniendum gravem dolorem externé applicata remedia clarè demoſtrant. Neque tamẽ excludẽda eſt ipſa, quæ caput tegit pellis, prę̨ſertim interior ejuſdem pars vicina *pericranio*, neque cavitates oſsium cranii, ſeu ſinus undique cingens membranoſum velum a tunica *ſcheneideriana* propagatum: his namque conſideratis, facilè encephalon capax dolorum eſſe ſcitur. Sed jam a prædicta cauſa lymphatica dolere illud ponamus, quæ tantùm copia ſua inflationem, & diſtenſionem dolorificam, inducat. Quoniam igitur materia illa catharralis, craſſa, lenta, & viſcida tardi motus eſt, & cerebrum motus minimi eſt; (*a*) liquet eamdem anguſtiſsima viarum externarum capitis intrare neſciam, intra eaſdem anguſtias hærere, & cùm lanuginis calidioris præmentiſque potentiâ major fiat ad partes læſas *Pericranii* humorum proventus; laticem illum tardum, & craſſum, magis congeſtum iri, tranſpirari incapax: Hinc ipſa quoque ſalubris perſpiratio capitis cohibetur, corpus nedum iners, & debile ſentitur, ſed de quodam frigoris in capite ſenſu conqueruntur, quantumvis illud lanoſo pallio undique probè operiant. Id ipſum continget, ſi humor ille crudus, *catharrum* gignens, aqueus fuerit, & propter ſuorum canalium flacciditatem exire impotens; tunc enim verò, non leniſsimo, & exiliſsimo protru-

 ſionis

[a] *Bellinus de morb. Cap. p. m.* 382:

ſionis motu, ſed præpotenti tubulorum oſcillatione egebit, quæ a ſuperſtante *lana* expectanda non eſt, ſub qua comprehenſum tranſpirabile capitis, & denuo in proprios canales delapſum, eos *vide ſupra Cap.* VII. potiùs humectat labefactatque, quám ad cutaneam evacuationem proritet. Quod ſi, ut aliquando accidit, *catharrus* tenuis fuerit, celer, ſolutus calidus, cujuſmodi ſunt humores, quos ſubtiles, ac tenues dicimus, ſuis partibus minimè cohęrentes, & ſubitó diffluentes acres, mordaces; in eo caſu capſæ cerebri ſuperſtrata epidermis ab horum decubitu magis vellicabitur; & ſi materia impacta motu corporis nimis exagitetur, ſive frictionibus, calore, vel alio incitante in meatus huc minimos detrudatur, fortiùs hęrebit, & obſtructiones quandoque irreſolubiles generabit: Si verò acrimonia magis prædominetur; a prædictis adminiculis magis intra ſua vaſcula, morboſa ſtagnans materies efferatur, & fluxiones partiumque externarum capitis exulcerationes producet. Porrò ubi calvaria lanoſo operculo probè munitur, in hiſce *catharroſis* externiſque defluxionibus, in quibus cutis tacta dolet, cum crinium avulſione moleſta, nihil aliud efficitur, quàm immeabilis ibidem acriſque materiæ motus inteſtinus, ſummus, ingens æſtus, moleſtas que adeo fermentantis liquidi lucta, ut ex veſtis *laneæ* effectu cognito, dolor cephalicus adaugeatur, creſcat tubulorum vellicatio: inde quando nimium ebulliens, variiſque de cauſis in motum concitatiorem, fluxionis rapta materies, & ſub cutem calvarię ſtabulans, dolori illi originem præbet, neutiqam éxuberanti calore externé quacumque ratione conciliato utendum eſt, qualem conciliat *Lana*; Sed potiùs Incraſſantia, & refrigerãtia locum inveniunt. Nam ut reſolutio craſsioris, ſic Incraſſatio tenuioris, & acris cujuſcumque ſubactio, & moderatio motus humorum, & reſtitutio ſolidorum toni, ad concoctionem excretionis *Sanctorianæ* requiruntur, ſine quibus *Supra Cap.* IX §. XVIII. *paſſim* nulla ſalubris perſpiratio haberi poteſt.

II. At verò, quod notari velim, peſsimum eſt, caput quacumque ratione tectum morari, dum continua febre decumbunt,

bunt. Demonſtratum eſt enim alibi, [a] in illa febre, capitis tam externa, quam interna magis incaleſcere, magiſque liquidorum impulſorum incurſioni patere, quam reliqua corporis loca. Id quod paucis comprehenſus eſt *Bellinus*, dum cerebrum *motus* minimi ſtatuit. [b] Hinc eſt, quod in omni febre *Cephalea* ante omnia proludere ſoleat. Si ergo calidus, & æſtuans aer, incaleſcens liquidorum motus febrilis, & propter *lanam* corpori admotam in majorem orgaſmum incitatus, caput præprimis impetit, & irritat, quantò faciliùs cerebrum ab eadem cauſa afficietur, ſi pannis, vel alia piloſiori vitta deligatum fuerit? Quantò infirmiùs ceteris partibus, mollius illud viſcus, deviam, & quacumque ratione peccantem materiem expellet? Quia verò morboſus ille humor tribus modis hance corporis humani arcem invadere poteſt; totidem etiam futuræ ſunt noxæ, quas *laneum* iſtud velamen, vel ſimile in *continua* tegmen adhibitum relictumve inducere capiti valet. Dixi *adhibitum*, *vel relictum*: Quamvis enim moleſtum talem caloris externi gradum cavere ſtudent homines, quantum poſſunt ſemper ingrato ſenſu moniti; itaut *continua febre* detenti, omne ſtragulorum incumbentium onus excutiant: Nihilo tamen ſeciùs, imprudenti quandoque medico parentes vel præjudiciis obcæcati, vel aliqua quacumque neceſsitate, ſupinave negligentia ducti, hæc pati damna coguntur. Dum enim cujus curæ committitur æger, in illa opinione verſatur Medicus, omnes febres tutiſsimè, & citiſsimè ſanari poſſe per *diaphoreſim*; tunc enim verò in calidiſsimo ambiente decumbentem retinet, ſtragulis contegit, multis imò obruit, quò nempe fota corporis ſuperficies, adventitio hocce colore, ſudoribus emittendis fiat aptior. Eſt ubi, inſonte Medico, cum *Religioſis nimis* hominibus agendum eſt, qui *lana* ſeſe amiciendi irrevocabili voto tenentur, & quibus ſumma Religio eſt, quo minùs etiam in agone mortis *lanam* deſerant: hiſce

[a] *Vide traductionem noſtram de venæ ſectione multiplici, authore Sylva Tom.* I. *Chapitre chap.* IX. *p.* 154. [b] *Ibid. p. m.* 382.

ſce enim, rei de qua loquimur, ſcrupulum eximere nihil aliud eſſet, quàm ut ex parœmia loquar, de *pumice aquam petere*; manent ſiquidem eadem induti tunica, & eodem capitio *laneo* conveſtiti. Ad extremum in eos homines incidere poteſt Medicus, ut meipſum non ſemel incurriſſe memini, qui parùm cuticulam curant, ſtudentque ſui corporis tutelę, vel quibus res eſt anguſta domi, atque adeo ubi febris illos corripit, in iiſdem veſtibus jacent immobiles, maximè verò ſi de genere Ruſticorum fuerint, quibus *duro membra fracta labore*. Quippe vexati continua *febre* componuntur equidem lecto, ſed laſsi, ſed cum incondita, & impexorum crinium mole horridi; ſed cum conſueto capitis amiculo ex ſuccida plerumque, at ſemper craſsiſsima de *lana* confecto: Fruſtra hoſce homines increpes, & chriſtianè admoneas, obſoletas ut ſuas lacinias, & aſperioris *lanæ* gravamen abjiciant; *ſurdo enim loqueris*.

III. Biennium hoc eſt, (1751) ex quo tempore ad inviſẽdum Barbatum, & Buſteum agricolam accitus fui. Hominẽ continua febre, & tantum non *ardenti* afflictum inveni, cũ diriſsimo capitis dolore, & ſiti ingenti ſtipata. *Venam* primó cubiti, dein ſaphenam ſecui, educto ſanguine, ea quæ vires ſuſtineret, non frangeret copiâ. Cùm autem viderem, ægrotantem in pejus ruere, nec hilum *phlebotomiam*, neque clyſteres, neque cetera conſueta auxilia medica profeciſſe, dubius hæſi, an inter externa homini applicata aliquid eſſet, quod *cephalicum* dolorem foveret, & imminentem *phrenitidem* præmonſtraret. Quandoquidem perpendens in tali Sene vehementiam, & frequentiam pulsùs, continuas ejuſdẽ vigilias, vultum tumidum, & inflatum, oculos truces protuberantes, *albugineam* rubore perfuſam, injuſſas emanantes lacrymas, *cephalalgiam* immanem, & æſtu ingenti ſtipatam, pulſationem frequentem arteriarum capitis, ſuſurrum auriũ probè cognovi impendentem Ruſtico noſtro *phrenitidem*, quę ut ab Inſolatione natales tacite traxerat; Sic ab obtecto nimis capite ſuppetias ferebat. Præter enim prolixorum, & densè conſpirantium crinium rudem comam, pileum agricolarum more, craſsiſsimis ſtaminibus *laneis* coactum capiti

piti impoſitum habebat. Juſsi ergo, ægri caput radi, & amictum *laneum* abjici. Quod ſalutiferum auxilium cùm neglectum fuiſſe comperiſſem, & ſequenti die, qua accedebam, turbari jam inciperet mens, & inordinata quæque proferre, iterum omni ope atque opera laboravi, illicò me præſente capillorum detonſio perficeretur, & gravante *lanæ* ſarcinâ liberaretur Infirmus; citam interea comminatus adſtantibus mortem, ſi qua fortè eorum ſocordia præſcriptum, & indicatum remedium omitteretur. Ergo nudatur caput, & ejecto illo rudi operculo, tonſori committitur æger; hinc reſecti capilli, & ſordidis exuviis liberata calvaria, aerique expoſita, præſentaneum levamen ita attulere, ut apertis oculis, & cohibito lacrymarum effluxu, & mitigato capitis dolore ad ſenſum reſideret ferocia pulſus, ægerque pro tanto refrigerio, adque ſe rediens, mihi gratularetur: Donec ſedato *febrili pepaſmo* in ſanitatem redierit: quo quidem loco, non prætemittenda eſt prava illorum conſuetudo, imprimis, qui infimo loco nati, fictile ex ovinis aut hædinis promiſsis contortiſve crinibus capillamentum uſurpant, ad capitis tuitionem: conſtitit antea *Cap.* III. §. V. non promiſcuum eſſe debere *lanæ* velleriſque uſum, ſed Temperamentorũ diverſitati aptandum: hinc non mirandum, ſi adhibitum hocce *capidium*, ſqualore ſuo, veprecularum capillarium confictum ſuffocante calore, ſuberranti calvariæ liquido moram injiciat, in rareſcentiam cieat, & vellicatis ultimis exhalantiam finibus, juſtam cerebroſæ tranſpirationis molem coerceat; ex quibus ſubjecto nobili viſceri quot & quanta mala accedere poſsint, nemo eſt qui non intelligat.

IV. Calor, & aeris fervor frequentiſsima *febrium* cauſa eſt, ut quotidianis experimentis conſtat; undè optimo jure inter morbos æſtivos febres continuas ardentes recenſuit *Hypocrates*. [*a*] Sed imprimis patet, calidum quid eſſe phrenitidem, & calidiorum uſu naſci plerumque. [*b*] Sic inſolatio toties lethalem *phlenitidem* fecit, quam imminentem in noſtra obſervatione (III.) prædixi ex ſignis antecedentibus, qua-

[a] *Aphor.* 21. *ſection.* III. [b] *Bellinus de morb. Cap. p. m.* 304.

lia a *practicis deſcribuntur*. [a] Ex quibus elicitur, cauſam proximam *phrenitidis* veræ eſſe inflammationem veram *piæ*, *& duræ matris* à ſanguine calidiori, & difficulter moto intra ſua vaſcula. Sed inſuper notandum eſt, non oportere ut inflammatio primó cerebri vaſcula interna adoriatur; ſed ſufficere, ut in externis, & maximè ſenſibilibus *cranii* integumentis incipiat adolere malum. Sive enim major quantitas, & impetus cruoris vaſcula externa capitis alluentis, ut in *ſpaſmo* partium infernarum videre eſt; ſive concitatiſsimus, & æſtuoſiſsimus tunicarum capitis externarum ſanguis, ut in *inſolatione* accidit; ſive tandem raptus materiæ *phlogiſticæ*, & *puſtuloſę* in encephali externi loca, ut in *Boa*, & variolis ſurſum adſcendentibus contingit, ſupponatur; *phrenitis* ſemper oriri poterit. Quoties enim vaſcula, externis capitis integumentis proſpicientia, immeabili, & congeſto cruore pręmuntur; vel eodem nimium rarefacto diducuntur; vel ab acri impetente materia vellicantur; toties *inflammatio* locum habebit: Quæ & ſi extimas cranii tabulas occupaverit, liberum tamen ſanguinis tranſitum per canales externos impediet: adeoque ſanguis per *carotides* externas pulſus minori copia per illarum propagines occluſas labetur, & majori, per internas, harumque ramos in *piam duramque meningem* deſinentes diſtribuetur; & quidem eo copioſiùs, quò difficilior fuerit per ultimos encephali canales externos humorum progreſſus. Cùm ergo ea ratione motus liquorum, cerebri interiora perreptantium longè reddatur velocior, omniaque ſigna docuerint, ſanguinem abundatiorem, & celeriorem ad *meninges internas* ferri; facilè patet, ſi *febris acuta* hominem prehendit, *phrenitidis* periculum inſtare. Vitanda ergo ſunt ea, quæ majorẽ in regionẽ calvę externã appulſum promovere, vel humorum incaleſcentiæ favere, vel ſtimulos adaugere quoquo modo poterunt. Huc ſpectat impolita, rudiſque Nonnullorum Chirurgorum Praxis qui *ophtalmiam* curaturi, *goſſipii* maſſam in glomerem laxè convolutam ſumunt, eam affecto oculo latè circumdant, dies noctesque ibi detinent,

ne

[a] *Vide Boerhav. aphor.* 772.

ne fortè ſi qua frigidioris ambientiſque aeris noxa oculum incurrat. Non ſemel enim ab hujuſmodi imprudenti *therrapeja* memini, *adnatæ tunicę* levem phlogoſim in profundiorem inflammationem abiiſſe, infirmos caloris fervoriſque impatientes, infectam goſsipii ſarcinam excuſsiſſe, & calentem oculum nudo aeri objicientes, pejorem priori morbum ſibi adſciviſſe. Exulet igitur iſthæc medendi methodus, nec eam factitent, qui melius edocti, rectiùs etiam aliis ſapere geſtiunt Chirurgi, quorũ non ſecus ac medentium unica cura ſit, morbo, ut citò, tutò, jucundè quantum poſsint medeantur. Quid enim? An iſtam improbam curandi rationem *jucundam* cenſes, quæ multis ægrotantium periculis ſociata, incommodis incommoda addit? An *tutam*, quæ potiùs ſanguinem concitando, hunc in minima oculi vaſcula impenſiùs urgeat atque incuneet? An tandem *citam*, quæ potiùs malum procraſtinet, ne dicam adaugendo, & exaſperando incurabilem reddat?

V. Damna autem, & Infortunia hujuſmodi *hìc* §. IV. meritò affert *lana* ſuffocans, quæ cùm capillitio naturâ denſo capiti obvoluta, in ſene illo, de quo ſupra (III.) *phrenitidis* diſcrimen induxit. & 1. quidem intenſo, quem in capite, continua febre laborantis, excitat calore humido, cutaneos cranii tubulos relaxat, & urgendo ampliores reddit, copioſiori huc allecto cruori recipiendo pares. Ad hæc craſsiſſimæ corticis capitis, & oleo exundantes ſordes, expirantium vaſculorum oſcula claudunt, & non retinenda coercent. Deinde ipſi promiſsi pili, dum caput obveſtiunt, non adeo citè exhalare faciunt perſpirabile, quàm ſi hoc per breviores, & reſciſsos capillos evaporari debuiſſet. Unde triplici illo de nomine *capitis evaporatio* prohibetur; atque dum conſtipata inſenſibilia foramina liquorem non evomunt, & interim novum perpetuò ab arteriis accipiunt, copiam liquidorum capitis immaniter turgere conſequens eſt. Si ergo per aliquot dies ita *lana* inſtructum caput ſervetur, cauſam *phrenitidis* certò certiùs adaugebit, copioſiorem ſanguinis influxum ad ea loca proritando, ſeu quod idem eſt, inflammationem creando; craſsioribus nempe humoribus ingreſsis, nimis dilatata oſcula minimorum vaſculorum, neque

adeo potentibus per ultimas horum anguſtias tranſire. 2. Finge æſtuoſo, calentique ſanguini *phrenitidem* ortum debere, qui ea ut diximus ratione [IV.] in vaſculis pericranii tumultuans, ſtaſim in cerebri interioribus inflammatoriam producit; in illo caſu *lana* caput obveſtire, contectumque cranium jam capillitio grave ita ſinere quid aliud eſſet, quám magno ægrorum damno ignes ignibus addere, & inſigniter exacerbare *febris* impetum? Sed & furfures, externis capitis tegumentis incumbentes, cùm pingue nimis redoleant, totidem ſiphunculorum cutaneorum obturacula ſunt, & ad inſtar omnium oleoſorum, & pinguium cuti adhęrentium perſpirationem minuunt, quæ hoc in caſu liberrima requiritur. Porrò perſpirans halitus quid ſummè calidum eſt; eo ergo intra glandularum illarum contextum ſilente, ſanguinem magis calere conſequens eſt. Patet dein ſatis, dum caput immodicè protegimus, accedente capillorum onere, ægrotantium eam partem in calidiſsima *atmoſphęra* verſari; adeoque acceſſum aeris frigidiuſculi impediri, & calorem æſtuantem augeri debere. 3. Eſtó materia ichoroſa, vel *exhantematica* furentis morbi nixu in caput externum regurgitet, quæ in puſtulas ſanioſas ſeſe conformet; neque tunc quidquam boni ex capite *lana* velato expectandum eſt, quin ſępè inde multis idem de cauſis periclitari ſoleat: tum quòd liquidiſsima ſanguinis varioloſi difflantur, & augetur ſanguinis ſpiſsitudo, comite acrimonia, quæ pejorem inflammationem ciere poterit; tum quòd illa intempeſtiva metaſtaſi, ſi ęgri caput, jam ab æſtu fervens, non ſolum lecto coerceatur, ſed & ſtragulata ſic tegatur calvaria, aer arcebitur undique, calor intendetur, & ſeminii *puſtuloſi* acrimonia exaltabitur; tum quòd dum magna cura adhibetur, ne novus aer ingredi poſsit poros cranii, quos in ſtatu naturali pervadere demonſtravit *Lanciſius*; [a] comprehenſa aeris *atmoſphęra*, inter laneum pileolum, & capillitium ſummé depravatur, & ingens febrili calore capiti æſtuanti nocumentum affert; præprimis ſi animadvertamus, in morbis *exhante-*

---

[a] *Lib. Cap.*

hantematicis, quod de corpore puſtulis obſeſſo exit, ſępè adeo infeſtum eſſe, ut adſtantes malè afficiat; tum quòd cuticulæ cranii naturalis pœdor liberę exhalationi non tantum obſtat, ut potiùs ſua oleoſa viſcoſitate rodentē, & *cauſticum* de puſtulis emanantem *ichorem* irretiat, malum inde adaucturum; tum quòd tandem, etiamſi hæc omnia non cōtingant, at ſaltem numquam impedies, quin concepto calore nimio capitis a retentis capillis, & *laneo* velo undique cingente exhalantibus nimium quantum in iſto ſtragulorum periſtromatumque calvam ambientium particulis tenuioribus impediatur, quo opus eſt materiæ huc impulſę coagulum: ut jam intelligant, in quem locum res Ægrorum conjiciant, qui intempeſtivo confertoque capitis velamine involucrum, ſeu laticem miaſmatis varioloſi, ne in pus ſaniemque faceſſat, omni qua poſſunt ope coercent.

VI. Explicatâ pro virili *phrenitidis*, propter *lanam* capiti advolutam, inductæ causâ, accedimus ad examen fauſtiſsimæ illius methodi, cujus ope leviſsimo negotio a tantis infortuniis liberari ægroti poſsint. Et quidem quam ſuperiori Paragrapho (III.) calcavimus viam, ea eſt, quam in ſcriptis ſuis Vir feliciſsimus & exercitatiſsimus *Sydenhamus* inculcat: nimirum ad amovendam *phrenitidem* nihil perinde conferre ait, *atque ægri caput radi*; *quod itaque*, pergit, *ſemper præcipio nullum emplaſtrum admovens*, *ſed pileolum tantùm*, *quod ablatum raſura*, *capillitium ſpiſſitudine quadantenus compenſet*, *aut ſaltem caput a frigore extremo muniat*. [*a*] Hunc ſequutus eſt ſummus in arte Vir *Boerhavius*, [*b*] & Commentator ejus *Gerardus*. [*c*] Sedulò ergo vitandum eſt grave *lanæ* capiti pondus, & nocens caliditas, unde multa commoda in ægris redundant. Et 1. quòd materia, quæ fotu ſimul, & fricatione accita ad *encephalon* fuerat, nunc frigidioris aeris nudi contactu repulſa arceatur; non quòd minimis cutis capillatæ vaſculis contectis ſecretio perſpirabilis humoris integrè ſuffocetur, ſed quòd modicé tantùm cooperta calvariâ, aeris ingruentis injuriæ faciliùs toleren-

(a) *Idem Schedul. monitor. Tom.* I. *p. m.* 360. (b) *De Cognoſcend. &c: aphor.* 781. (c) *Tom.* II. *p. m.* 613. 614.

lerentur ; quod enim ex illapſu repercutientis comprimentiſque fluidi aerei timetur, ſalubriori inde perſpiratu penſatur. 2. Quòd capillis ferro reſectis, ductuum perſpirantium oſcula illuvie pruriginoſa mundata eidem materiæ, quæ retenta capiti, ipſique etiam cerebro gravis futura eſſet, liberum exitum aperiant. Ex eo dein 3. quòd quò frequentiùs capillos reſcindis, tantò uberiùs & celeriùs illi proveniant, ſatis patere reor ex hujuſmodi tonſura calenti, & ferventi capiti ſuperveniente, *perſpirationis* materiem longè copioſiùs & celeriùs avolaturam in ratione detonſæ longitudinis. 4. Quòd cùm corpus noſtrum calidius ſit aere communi ambiente, in quo vivimus; liquet ideo, calorem capitis acutè decumbentium, ejuſdemque orgaſmum ſedari compeſcique, quàm primùm vicinum aera illud liberè alluere permittatur, quod commodum aliud eſt raſi capitis. 5. Cùm calor circumambientis aeris, & inter ſtragula concluſi ſanguinem plùs æquo calefaciat exagitetque, atque ſub multa capillorum veſtiumque contegentium mole hoſpes aer ignavus quin & vappidus, & corruptus evaſerit; (V.) neceſſarió conſequitur, aeris renovationem, qui caput ita affectum idemtidem appetit, prudenter adhibitam fluidum magis elaſticum ſuppeditare parti, quod omnia illa mala, quæ ab ſegni reſideque in hoc morbo aere derivantur, debellare poſsit. 6. Tandem quòd ſive ex detracto ad partes ſuperiores fluidi commeatu, ſive ex compoſitis ejuſdem fluctibus, ſedatoque caloris impetu, ſive ex admiſsione puri aeris cuncta perflantis proficiſcentia bona rimeris, perinde erit híc ad curationem, quoties puſtuloſa materia huc vergit, cauſtica indole in externas capitis partes debaccans. Requirit enim hæc ad ſui medelam, ut temperetur nimius calor irruentis virus; ut reſtituantur liquida in naturalem motum, ut ſolvatur, & liqueſcat illud, quod in concretionem tendit; ut humectetur puſtularum materia, & ſolidorum erethiſmus ſedetur. Ea autem mirè præſtat ſorditie capitis affecti, & capillitio gravis, & *laneo pileolo* denſo, & interdum ſordeſcente obruti felix detonſio. Quibus illud accedit, quod 7. aere aſsiduè circa calvam permutato, non ſolùm grato frigidi aeris refrigerio

totum

totum cerebrum recreetur, ſed ſubputridæ exhalationes, continuò de ſuppurantibus tuberculis exeuntes, ſanis etiam hominibus moleſtæ, in aera transferantur, & imminentes fortè capiti noxas feliciſsimè avertant.

VII. *Febrem ardentem*, vel aliud ſimile malum capitis integumenta etiam interna torquens, ſi ea (VI.) methodo curare velimus, cautè incedendum tam in raſura capillorum, quàm in pilei mutatione nobis eſſe videtur. Nam quamvis caput ad vivam uſque cutem tondere præſentaneum ferè remedium ſit *cephalalgiæ*, *gravedinis*, *oculorum infirmitatis* a fibrarum præcipuè nervearum remiſsione ortæ; (*a*) periculum tamen ſubeſt, ne capite nudo aeri, & frigido de repente expoſito cuticulares ſquammulæ validiùs renitantur, & arctiſsimè conſtringantur, liberam partis, quæ deſideratur, perſpirationem intercepturæ. Memini in quamplurimis, media etiam in æſtate, poſt barbam capilloſque demeſſos, & ablutâ a Barbitonſore capitis cuticula ſpiritu vini, nedum ſubitaneam *cephalalgiam* accidiſſe, verumetiam de ſcintillularum, & anguillularum apparentia ante oculos obverſantium conqueſtos fuiſſe. Quod ſanè ab repreſſo capitis vapore deducebam, qui impete facto in arteriolas oculi internas decumberet. Quamobrem non frivolum, neque minoris in praxi momenti cenſendum eſt *Aretei* conſilium, (*b*) dum monuit, ſi longiſsimi crines fuerint, dimidios primò deſecandos eſſe; ſi verò breviores, tunc ad cutim tondi poſſe. Metuendum enim eſt, ne ſubitanea illa crinium ablatione, atque cranii nudatione reſtagnet humor morboſus, qui in ſuperfluam illam pilorum longitudinem abſumebatur, oculoſque, & alias nobiliores partes aggreſſurus. Sic ex reſecta barba in Monacho cæcitas curata quàm primùm, eam mutato conſilio aluit: [*c*] Sic non raró in *Plica Polonia* abſciſſos capillos, ſęvus capitis dolor cum *phrenetico* furore excipit. [*d*]

Ex

---

[a] *Cheyne de Infirmor. Cap.* VII. *p. m.* 237. [b] *Apud VVanſuient. Tom.* II. *p. m.* 614. [c] *Apud Haller. Tom.* III. *p. m.* 538. [d] *Frideric. Hofman. Tom:* II. *cap.* V. *Section.* II. §. IV. *p. m.* 134.

Ex his intelliges, quare ratio capillorum totum corpus mutet. Deinceps quare ſuffocanti, & oneroſo *laneo* capidulo aſſuetum caput non ſtatim, & ab omni velamine denudandum ægris ſit, ſed molli tenui, ſenſimque tenuiori adhibito capitio contegendum, donec *atmoſphæræ* injuriis aſſueſcat; & generatim non *Phreneticis* modò, ſed & in omnibus morbis, ubi violentus, & turbulentus, quà purpurei, quà nervei fluidi motus incuſatur; quemadmodum ſtramenta & operimenta molliſsima & tenuiſsima convenire aſſerit *Celius Aurelianus* [*a*] ita tutiora eſſe ſolent lecti hominumque linea, laneiſque operimenta, & longè præſtant, ſi fieri poſsit, lintea carbaſea. Linteati dein in lecto decumbant, febribus acutis, ardentibus, *exhantematicis* correpti; exulent plumæ, pili, *lana*, & goſsypium vel linum *xilinum*, quoniam hęc incendium augent, [*b*] ea tamen cautione, ut remiſsionis tẽpore, lintea *febricoſo halitu* polluta cum purioribus permutari curemus [*c*].

VIII. Gravis ad hæc, eaque incurabilis fere *alopeciæ* noxa eos corripere ſolet, quibus diu multumque lanugine caput operire mos eſt; vel quibus ex Religionis voto caput cucullatum, & rudiſsima *lana* contectum gerere neceſſum eſt. Quæ cauſa ſanè eſt, ut arbitror, quare in calvitiem adeo frequenter incidant, qui de familia *Capuccinorum* ſunt Religioſi. Sed & multiplex ſe ſiſtit hujuſce defluvii capillorum ratio. Vidimus enim ſupra *Cap.* V. §. 111. pilos capilloſque ſingulos in bulbo quodam ſubtus cutem recondito radicari initio molles; qui pluribus dein fibrillis in unum congeſtis, bulboque connexis enati, blandæ pinguis muccoſæque lymphæ adjumento ſuccreſcunt, & ſenſim promittuntur. Inde conſequitur calvitiem duplici de cauſa oriri poſſe, vel vitio irrorantis lymphæ, vel vitio radiculæ latentis, atque piloſos villos e ſinu ſuo emittentis. Utrumque autem præſtari a villoſo tegmine capiti diu appreſſo poteſt. Cùm enim primo fervore ſanginis, contrectatione nimia, vel fricatione *lanea*,

(a) 1. *acut.* 9. (b) *Trillerus de pleurit. p. m.* 115. 116. *ſeq.* [c] *P. m.* 155. *VVerlhof. de febrib. intermittentib. &c.*

lanea moleſtus calor in capitis integumentis oriatur, & diutiſsimè idem duret, ut ſupponimus; lymphaticum rorem continua fluidiorum mollecularum diſsipatione in ſe cogi, inque lacunis ſuis concreſcere evidens eſt; qui vi ejuſdem cauſæ ſæpiùs agentis, ſeu quod idem eſt calorifero, & jugiter exiccanti *laneo* villo patens, de ſua molli, blanda, ductilique indole deſciſcit, atque conceptis pilorum futurorum ſtaminibus nutriendis, adaugendis, extendendiſque impar omnino futurus eſt; unde pabuli defectu radiculæ contabeſcunt, & pereunt, ac capilli, ideo decidere videntur, non quód radicula abſit, ſed quòd licèt præſens ſit, non ſatis virium habeat quo cutem perterebrare poſsit. 2. Sed eſtó mucago pilorum optimè ſe habeat, neque ullo pacto morbum contrahat; ſi primæ radiculæ pilorum aliqua ratione debilitentur, ut debita ad eruptionem elaſticitate careant, per inde eſt, *calvi* fient. At veró dum modò tollitur naturalis capitis coma, quod prius *lana* circuminſtructum impenſiùs calebat; dumque iterum cooperitur, quod prius nudo aeri pateret, uti docet quotidiana in præfatis *Capuccinis* obſervatio, capitium liciniofum idemtidem removentibus officiorum cauſa ſicque calvariam ſepiuſculè nudantibus: dum inquam validis, & repetitis hinc *lanæ*, illinc aeris frigidioris incurſionibus glandularum, & ſubcutaneum omne vaſculorum genus vexatur; fieri vix poteſt, quin ipſę tenuiſsimæ pilorum capillorumque origines ſubitæ adeo, & frequentis viciſsitudinis neſciæ, robur omne amittant; tamquam ſi reiterata nunc conſtrictione a frigore irruente, nunc ſui relaxatione a fotu *lanæ* incumbentis, repetitis velut ictibus, ſuccíderentur demeterenturque. Hinc Glabrities calvariæ, ſeu *Alopecia* inducitur, quæ cùm ab ſimili cauſa proficiſcitur vix medelam admittere poſſe videtur.

IX. Hìc autem monitos velim, qui *ſurditate*, vel *gravi auditu* laborant, cautè ut goſsipium ad inſtar turundæ intra aures intrudant, ibique diutiſsime retineant. Sibi enim perſuaſum videtur, utiliùs efficaciùſve externo hocce remedio prophilactico reperiri numquam poſſe, quod flatibus intra meatum auditorium incarceratis, calore diſcutiendis;

vel

vel ſero *tympani* membranam relaxanti, exſiccatione ſugendo par ſit. Sed malè, quam morbi cauſam fingunt ſibi, cauſari ſolent. Ne enim tediosè infinitas, & longe diverſas reliquas *ſurditatis* cauſas attingam, quas goſsipii intruſione abigere velle ridiculum eſſet; geminas mox dictas *ſurditatis* & gravis auditus cauſas contemplemur, quò ſi non damnoſa, at ſaltem vana remedii hujuſce applicatio cuique conſtet. Probè quidem novi, quibus ad medelam *ſurditatis* ita aurium cavea obturaretur, eos in deterius abiiſſe, dum evulſo goſſipio ad faciliorem ſonorum perceptionem aures nudarent. Forté partes externum meatum contexentes, lanugioſa calentique mollitie diu protectę aeris ſubitò ingruentis, damna ferre non poſſunt, quin extemplò rigentibus villis, & ſtagnante liquido, membrana *tympani* durior aeris undulationes ſonoras eluſerit. Verùm ſi flatulenta materies gravem utcumque auditum effecerit, periculum eſt, ne a tali goſsipii admotione incarceratum aera magis expandatur, & obvia quæque perrumpat. Non enim ignoramus requiri ad auditus perfectionem debitam membranæ *tympani* tenſionem, qua motus aeris externi vibratorius alteri aeri in *tympani* cavo collecto communicetur; proindeque præſentiam fluidi cujuſdam aerei in eadem *tympani* cavitate, ejuſque puri, & ab omni inquinamento immunis, quòd ſuccuſsionem illam accipiat. Quare patet, aerem illum innatum fervido goſsipii, vel alterius lanuginis adhærentis calore rarefactum, neque ab aere externo ſibi denegato renovatum mirùm quantùm dilatari, & ut in illa expanſione per fiſſuram hic *Tubæ Euſtachianæ* totus egredi non poteſt, niſu maximo in expoſitam *tympani* membranam impetere, hanc ſummo conatu diſtendere, & innatam ejuſdem tenſionem adaugere: hinc dolor tenſivus, & quamplura mala. Ut omittam inquilinum illum aerem non ita expedité ventilatum, exhalationibus animalis intra cavum *tympani* emergentibus adeó impregnari, ut depreſſa nimis, *ſupra cap.* VII. §. XVII., *elaſticitatis* virtute, impreſsionibus *ſoni* ſuſcipiendis, iiſdemque canaliculis *ſemicircularibus*, ac *Scalæ cochleæ* impertiendis ineptus omninò evadat. Neque veró ab hujuſmodi *obauditionis*, vel alterius aurium morbi

vitio

vitio ſunt immunes, quorum intra aures madentes eo conſilio goſsipina materia demittitur, ut ſuperfluam humiditatem exhauriat, paratum equidem ad imbibendum humidum, *goſſipium* eſt; verùm ea ratione, ubi in aures altè detruditur, cavendum eſt, ne tenuiori in aure ſecreto humido ſua circumvolutione obſiſtat, unde & *tinnitus*, & *obauditio* propullulant; vel ne immodica, & numquam interrupta humoris congeniti ſuctione auris exteriora deſiccet, & ſuccos tenues, roſcidos, lymphaticoſque conſumat, unde obſtructio oritur. Sed præſertim humor ille *ſebaceus* & *ceruminoſus*, qui ſponte ſua viſcidus, & ſubtilioris prædicti liquidi ope ad fluorem componi ſolet, præ mora diuturniore, vel craſsitie nimia parietibus organi ita accreſcat, ut viam poſthac tranſmittendis radiis ſonoris penitùs occludat. Porrò ſupra patuit, (*vide Experiment.* 6. *cap.* IV. *ad* §. II. *&* *cap.* V. §. XIII.) goſſipium, & inde contexta omnia trahendis liquidis non adeo ac *lana*, præcipuè ſi conſtipata fuerit, apta eſſe: Qua de re dum minus humoris *goſſipium* minus ſugit, pergit tamen aurium humida exhalatio, nulla morâ, quin tenſio membranarum nervoſarum nimia humiditate elangueat; perinde ac ſi in tempeſtate humida diu verſaretur, aut in udo conclavi commoraretur, aut *catharralibus* defluxionibus auris laboraret: In quibus teſte experientia (*a*) obauditio naſci ſolet.

X. Leviſsimum licèt diſcrimen portendat *Incubus*, (*b*) de eo tamen conqueri Nonnullos imbecilles audivi, qui, præconcepta opinione, pectus *laneo* thorace contegebant vel ad concoquendum, ut ſibi videbatur, *catharrum*, vel demulcendos externos laterum dolores, & ſic cubitum euntes pannis operimentiſque eandem partem protegerent. *Ephialtes* enim, ſeu excitata in ſomno cujuſvis prementis ſuffocantiſque idea, non ſemper præternaturalem ſanguinis pulmones tranantis craſsitiem, eamque a *chilo* tenaciori ſuggeſtam pro cauſa habet, quòd perperam a laudato Viro creditum, (*c*)

Aa &a-

(a) *Frideric. Hofmann. tom.* III. *cap.* VI. §. vi. (b) *Chirac. diſſertat. ſur le cochemart ſection*: I. *tom. conſultation.* II. *p. m.* 4. (c) *Idem ibid. p. m.* 20.

& a *Bellino* ſcriptum eſt. (*a*) Verùm non raró intenſiori ſanguinis per pulmonales vias circulantis rareſcentiæ malum iſtud natales debet; qua tumens humorum animalium moles per anguſtiſsima pulmonum vaſcula aditum ſibi præcludit, quæ idcirco infarciet, extrorſum diducet, & intercurrentium nervulorum ſtamina ingratè ſuccutiet: Hinc variæ repulſæ lymphæ nervalis ad *ſenſorium commune* undulationes, diverſi filamentorum cerebri impetus, abnormis idearum combinatio; ſed quæ ſemper ad partem pulmonum oppreſſam referuntur, & inde quadam lege (*b*) ad partes thoracem externè ambiẽtes, quamvis innocentes, excurrent, ſicque ſenſum oppreſſionis nocturnæ animæ moleſtum incutiunt, in quo *Incubi* eſſentia poſita eſt. Porrò eadem contingere poſſunt, dum acriter adeo ab incumbente *lana* thorax immoderatum calorem concipit; maximè ſi ingluvies præceſſerit; ſi dorſum ſuper incumbat æger, quæ *diaphragmatis* inſolitam preſsionem accerſere poſſunt; ſi demum ſanguinei habitus, & fervidioris tẽperamenti fuerit, quòd maximam caloris intemperiem arguens, calore etiam externæ *lanæ* exaltatum auctumque, eadem incommoda afferre valet. *Confer ſupra Cap.* III. §. v. *&* *cap.* IX. §. XVI. Quid quod exuperanti calore a preſſu *lanæ* inducto ita torreri ſolent hi homines, ut inducto ſimili vitalibus undis fervore, hæ celerrimo curſu cordis thalamos trajiciant non modò, verùm etiam ſuperantem vim ſacculis cordis inferendo, majorem quoque contractionis niſum in illa machina ſtimulent, ſeu *palpitationem cordis* cieant; quam, ut vehementior animi paſsio, & omnia interna calida producere apta ſunt; ita tales pravos effectus productura eſt *lana*, dum eo quo diximus modo Dormientis thoraci nudè alligatur adſtringiturque, ut quæ parem quoque expanſivum in liquidis internis motum invehere queat.

XI. Minimè tamen reticeudus eſt Illorum peſsimus mos, qui *colico dolore* tentati, & *flatulentia* vexati, multa rudique *lana* abdomen amiciunt, circumdantque ita, ut illud

laneo

(a) *de morb. cap. p. m.* 379. *ſeq.* (b) *Confer ibid. chirac. p. m.* 34. *ſequent.*

laneo velut capiſtro arctè conſtringant. Inde enim *flatus* in rabiem velut efferari, iterata me docuit experientia. Non loquor feminas, quæ ut morem viris gerant, vel ſe commendabiliores præſtent, mille funiculis inſtructam, eamque junceam, thecam ſtricto mucrone *cardiam* comprimente *thoracis* clauſtris obducunt. Notum enim eſt in hiſce feminis, coſtas infimas præcipuè, indeque totum pectus, morbis obnoxium fieri, non modò ut latè deduxit *VVinslous* (a); verum etiam ſi, ubi *bilis*, & *ſuccus pancreaticus* confluere ſolent, ea parte ob inſolitam efferueſcentiam, flatuum parata materia eſt, ſanè hæc negato ſibi in illa ventris compreſſi anguſtia commeatu, continuo horrendoque murmure, & velut arietantium in ſe ſpirituum rugitibus ſeſe prodet, non ſine ſuſpicione depravatæ valetudinis. De hiſce enim *flatulentis* vitiis, quæ illa imprimis corporum per *balenarios*, imo & ferreos *thoraces* ſtrictura incurrit ſequior ſexus, & ſibi voluntariè adſciſcit, ſermo non eſt. At illud impreſentia advertere licet, non in omni flatulenti cruciatus genere *lanoſis* faſciis abdomen anguſtius facere, illudque arctiſsimè ita premere, conducere. Eſt enim ubi immanis *flatulentia* acuta, eaque cum tenſione conjuncta, & ab exotica *bile* producta, nunc in *hypogaſtrio*, nunc ſub umbilico, ſæpiſsimè autem ſub cordis *ſcrobiculo*, qua parte ſuperiùs *ventriculi orificium* eſt, diriſsimè ægros excruciet. In tali caſu curandum eſt, ut compeſcentibus ſedantibuſque, necnon laxantibus, & emollientibus ſucci importuniùs efferveſcentes ſpatium acquirant ſolito majus, in quo liberè ſeſe expandere poſsint; neve ob ullam externam arctationem alicubi ſtagnent, & fixa ſede novis fermentationibus viam ſternant. Eſt ubi in hiſce affectionibus aer non divagatur, ſed dumtaxat nativa locorum obliqua poſitione coarctatur: Ita v. g. obliquiùs aſſurgens tenuium *inteſtinorum* illa pars *lienem* versùs, acutiùſque inde reflexa, vel ſitus ingenio efficit, ut diutiùs ibi hæreat quidquid juſto viſcoſiùs allabitur; indeque *dolores ſiniſtri hypocondrii* non

(a) *Memoires de l'Accademie &c. annèe* 1741. *p. m.* 172.

tam culpa *lienis*, (*a*) quàm flatui debeantur: In quo caſu perniciosſam futuram eſſe *lanæ* arctè circum abdomen ligatæ applicationem nemo non videt; cùm inde impediatur liber tranſitus materiæ flatulentæ in certo fiſtulæ inteſtinalis cavo contentæ; hinc mira anxietas donec ſolutis hiſce vinculis abdominalibus, cõtractus antea aer in libertatẽ vindicetur. In genere autẽ ita tenendum eſt, calore externo immoderato, incũbens nobis aera minus premere; verùm æquilibrio inde ſublato, qui intus eſt aer continuò rareſcere, exſpatiarique, ac obvios villos ſenſiles acriùs impetere, unde *flatuum* dolor comes eſt. Dum autem adſtrictis *laneis* loricis abdomen totum validè reſtringitur, arcetur externus aer, cujus quidem preſſura a ſtrictura illa *lanea* ſuppletur; ſed aer inde in fiſtula inteſtinali hærens arctiori preſſu multis in locis tubi inteſtinalis conſtipatur, unde vis ejuſdem *elaſtica* creſcit, ut notum eſt. (*b*) Sed & intenditur alia ratione aeris internam *fiſtulæ* partem occupantis niſus, dum impensè incandeſcens, copioſiùs a flatulento fomite extricatur; & quod de denſitate creſcit, caloris augmento compenſatur. Jam verò inter flatuum cauſas expanſivus liquidorum inteſtinalium calor meritó recenſetur. (*c*) Pecklinus meminit cujuſdam Virginis, cui (*d*) cúm in frigore *Tertianæ*, cùm ventris doloribus, iiſque a *flatu* colluctata eſſet, ſubſidebat identidem, atque evaneſcebat cum calore tumor. Hoc autem contingit, quoties cauſa materialis *flatuum* aliquid tenue mobile & ſummè e xæſtuans fuerit, ſummæ dilatationis capax: tunc enim verò ſi vel laxiſsimè *lanam* ad abdomen apprimas, quoniam illud calidiori ſubſtantia fovetur, fieri videmus, ut efferatus interior aer adventitio illo calore majorem fervorem concipiat, & malum adaugeat. Quod ſi ad ſtimulum, quem *lana* contactu ſuo in partibus creat, animum adjiciamus; etſi ille interno cruciatu minor ægris videri poſsit, habebimus tunc con-

(a) *Pecklinus Obſervation. p. m.* 132. (b) *Confer Boerhav. Aphor.* 651. (c) *Confer Vvanſiveten ibid. in* §. 647. *p. m.* 233. *tom.* II. (d) *Idem obſerv.* LVII. *p. m.* 135.

conſenſu quodam nervorum anguſtationis *fiſtulæ* inteſtinalis cauſam quamplura illius tubi loca afficientem. Hæc autem fieri nequeunt, quin vicina alia inteſtinorum loca a ſtimulo magis remota magis etiam dilatentur, ac debilitentur, excuſſumque ab compreſsis inteſtinorum tractibus aera minori reſiſtentia admittant. Quamobrē duplex cauſa hujuſce abuſus, de quo loquimur, adnotari debet; 1. Quod ita faſciatū abdomē, tectumque impensé caleat: 2. Quòd in moleſtas contractiones, inteſtinis etiam communicandas, proritetur: indeque, utraque cauſa flatuum concurrente, (*a*) validiùs torqueant *flatus*.

XII. Nullam feré inter Matronas reperire eſt, quæ hodierno ſæculi more *laneis* femoralibus non utatur. Id autem non tantùm hyeme ad ſævitiem frigoris præcavendam in uſu habent, quàm æſtate, ne conſuetæ jam a longo tempore veſtis depoſitionem graviori pœna luant. Imò inter plebeas feminas, aliaſque, quæ tutelæ ſui corporis invigilant, rariſſimum eſt ubi non genitalia velleris admoti perenni fomento humectent, & laciniatis panniculis pudoris ſinum inferciant; præcipuè ſi appetente menſtruationis tempore torpentem jam ſponte fluxum accelerare velint. Quam quidem conſuetudinem muliebria capiſtrandi, eaque intra villoſam lanuginem ſepeliendi, non poſſum quin hìc apertè redarguam; vel ex eo tantùm, quód ea ratione calentia pudenda nequeant ulla occaſione ſpoliari, quin facillimo negotio appellentis aeris frigidioris noxas illicò percipiant, quàm agerrimé profligandas impoſterum. Neque eorumdem pannorum necesſitatem prætendant, ſi quod forté ab eorumdem ablatione infortunium timeatur. Novi quippe in *fluore muliebri*, & immoderato menſium *profluvio* in quampluribus feminis vulvam *lana* velari, ne, ut ajunt, nudo aeri expoſita ſalutarem fortè interdum, at ſaltem ſemper peſsimé cedentem, ſi ſupprimatur, excretionem illam humorum remoretur. Verùm cavendum eſt, ne quem prudenti frigidi metu importuné ſi-

ſtere

(a) *Confer Combaluſier Pneumato-Patholog. lib. cap. p. m. 68. ad 71.*

ſtere effluxum, vel ſtillicidiū uteri volunt, eumdem poſthac immedicabilem reddant. Compertum enim eſt ex *Phiſiologicis*, lymphaticos ductus uterinum conceptaculum interiùs perreptantes, ad certum uſque gradum ampliatos, unam eſſe menſtrualis ſanguinis ſcaturiginem; Nullam aliam generalem cauſam dilatationis vaſorum uterinorum, quàm *plethoram*, aſſignari poſſe; ad hæc uterinos canales non niſi vel a momento liquidi fluentis ingeminato, vel imminuta ipſorum reſiſtentiâ ampliari; deinceps velociorem in femellis, quàm in Viris plenitudinem adeſſe; tandem quantitatem ſanguinis ad uterum tendentis, ſervata proportione, longè copioſiorem, quàm ad reliquas partes futuram eſſe, præſertim ſi nativa vaſculorum uterinorum debilitas animadvertatur. (*a*) Præterea illud diſcere oportet, immodici menſium alteriuſque liquidi fluxus cauſas nimium eſſe ſanguinis ad cola uterina proventum, ut in matronis divitibus otio torpentibus, & optimè ſaginatis videre eſt; vel diſſolutam cruoris craſim, ideoque promptè per uteri diverticula elabentis, vel nimis patentia excretoriorum uterinorum oſcula admiſſum liquidum non coercentia: Quam quidem poſteriorem cauſam aliquando in *fluore albo* obtinere evidens eſt cum ſtatu feminarum phlegmatico, & humidiori ſanguinis diatheſi conjunctam; item in pauperibus feminis, quæ rei domeſticæ anguſtia deſidem & laborioſam vitam degunt, atque deſpectis praviſque alimentis paſtæ, parum boni cruoris alere ſoleant.

XIII. Obvium hinc eſt colligere quantùm Feminarum valetudini officiat, vulvam, & adjacentes partes pannoſis *laneiſque*, licét mollioribus levioribuſque, involucris obtegere, eaſque tamquam habenis cohibere. Nam 1. perpetuo, eoque immodico, calore, quem *lana*, & inde contextæ telæ excitant, ſanguis copioſiùs ad uterum ducitur; præſertim dum corpus quieſcit, & ſemper tamen cibis *euchimis* vivit, ut in Divitibus; inde enim uberior liquidorum moles cùm nequeat per

(a) *Videat. Fournier de Menſtruis propoſit.* I. *cap.* II. *item cap.* III. *propoſ.* I. II. V. VI. VIII.

per uteri vaſcula excurrere, ibi hærebit prorſus, vel per lymphaticorum oſcula clam effugiens exitum ſibi jugem parabit. 2. Continuato vapore, quò magis ab perſpirabili pannis coercito genitalia madent, eò inferiores hujuſmodi corporis partes axiùs hiant, & patentiores fiunt, tum quæ ſanguinem, tum quæ lympham convehunt; quamobrem numquam intermittens ex utero ſanguinis albive humoris oritur ſtillicidium in ratione compoſita quantitatis liquidorum ad uterum appellentis, & languentis tubulorum uterinorum firmitatis. Neque eſt alia ratio peſsimum Batavarum mulierum morem improbandi, quàm quòd apud Matronas, præſertim molliores, ignis pedibus perpetuò ſupponatur. (*a*) 3. Dum hæc fiunt, atque maturiùs, vel diutiùs vexant profluvia, dumque in hac moleſta fluoris noxa vix, ut fieri debet, mundari pudenda poſsint, quid mirum in illa otioſa muliebrium maceratione varia, etherogenea, acria unà confuſa cum menſtruo ſanguine, vel albido humore plorante mixta intra uterum æſtuantem & olidum ſpurciſsimarum mulierum compreſſa, mora, *heterogeneitate*, calore *lanæ* incumbentis brevi computreſcere, atque intus extuſve ſuperficiarias *puſtulas* creare, quas viri dein unà concumbentes contrahere per traducem ſoleant? Quid ſi inde menſtruis virulentis, vel acerrimo profluvio infeſtentur tales mulieres, cùm priùs de ſimplicis ſtillicidii noxa conquererentur? Quid ſi ex illa vitioſa ſuccorum impurorum hærentium calentiumque mixtura teterrima exhalet *mephitis* omnium naribus ingrata, Viriſque exoſa? Ut omittam concitatum majorem in utero ſtimulum a *lanæ* accumbentis ſtaminibus ſenticoſis atque prolixis, intra ſinus delicatiſsimi veſtibulum clam illapſis exortum, quò nedum ſolita officia domeſtica peragere facilè poſsint; verumetiam advocato citatiori & uberiori ſpirituum influxu, necnon mixtionis præfatæ vitio, ſanguiniſque uterini impenſiùs æſtuantis concurſu, libidine magis inſaniant Pecudum more, ut caſto corrupto pudore, viros aliás in veneres fractos impudentiùs provocent. Tantum poteſt levis error initio neglectus. Adeo prava

(a) *Haller de menſtruis Tom.* V. *part.* II. *p. m.* 82. 83.

prava pannorum *laneorum* hic conſuetudo, præſertim ſi de illius nocumento non cogitetur, ſed ſpreta altas in corpore radices agere permittatur.

XIV. Perpetuum eſſe apud Vulgus ad dolorum *nephriticorum prophilaxim* in conduplicata pannoſa *lacinia*, eaque Renibus alligata, præſidium video. Sed non ſemel vidi, exaſperatos inde fuiſſe dolores, qui in aliam longè a *lana* diverſam cauſam refunderentur. Quippe ſi verum eſt, eoſdem dolores ſanguinis ſtaſeos *phlogodeæ* effectus eſſe; patet moleſtas eorumdem exacerbationes oriri ex iſta medicatione poſſe. Dum enim ſanguis in concretionem facilis, vel nimiùm attritus & rarefactus ſupponitur, accidit, ut per impenſum calorem citatiùs in omnia Renum vaſcula adactus, quibus *lana* adhæret, validiore momento quàm par ſit, ſi quæ debiliùs reſiſtant, in eadem arietet, nervoſque diſtrahat, unde dolor permanens. Quòd ſi lympha præ ſpiſsitudine in ductibus membranoſæ texturæ renum immeabilis dolorem foveat, neque ſemper *lanæ* uſus tutus eſt; ut quæ lympha, dum tepore villoſi tegminis adcumbentis rareſcit, & accedente continua fricatione, expanſa in orgaſmum cietur, appoſitas ſenſiles fibras Renum compagem contexentes validiùs divellat, unde eaſdem acutiùs dolere neceſſe eſt. Hinc intelliges quare *Redius*, in ea de qua agitur ægritudine, omne *frictionum* genus ſuſtulerit, & omnem pannorum (*a*) madidorum calentiumque uſum improbaverit.

XV. Quibus ad luenda peccata inter pios ne, an dicam incautos Chriſtianos, nimio Religionis cultu, duriſsima aſperrimiſque *lanæ* crinibus confertiſsima veſte lumbos ſuccingere, conſuetudo eſt; hoſce monitos eſſe velim, ne unde reprimendæ carnis concupiſcentiæ, & malignis ſuggeſtionibus præcavendis auxilium opportuné quærunt, inde ſpirituum immundorum luſibus magis pateant, atque vexentur. Dudum non eſt, cúm Religioſum, ut vitæ aſperitate, ſic ſanctimonia præclarum, praxeos fortuna mihi curandum objecerit, quem prima vice inviſens, de ingenti calentique per totam cor-

[a] *Tom.* VI. *p. m.* 19.

corporis habitudinem conquerentem audivi, quemque zona *lanea* duriſsima craſsiſsimaque jam a longo tempore cinctum quá lumbi ſunt, acceperam. Hominem ergo de cetero optima ſanitate fruentem atque frugaliſsimum, abjicere illico rudem & incultum pannum jubeo, ratus non aliam *pruritus* cuticularis cauſam ſubeſſe. Verùm cúm ex vultu rubore ſuffuſo, atque emiſsis idemtidem ſuſpiriis, aliquod gravius infortunium in ægrotante ſuſpicarer, cujus cauſam ſincerè prodere illum puderet, mox hominem objurgare ſuaviter, & benignè admonere, ſi quid aliud in corpore ſentiret, aperta confeſsione Curanti depromeret, irritam aliàs curationem futuram. Paruit ille, & ſe nocturnæ pollutioni pertinaciſsimæ obnoxium eſſe ultro fatetur, enixè auxilium rogans; quam ſanè ægritudinem demiſſa voce prolatam, & ut caſtiſſimum virum decebat, verecundè mihi communicatam, cùm deinde ex illius, quam admotam renibus habebat, cingulæ latiſsimæ applicatione profectam eſſe oſtenderem, nulla mora quin tanti mali cauſam e corpore protinus abjiceret, lineamque amiculam indueret ſibi. Neque fefellit eventus. Quippe paulò poſt novo illo indumenti genere recreatis *lumbis*, libidinoſus ſeminis effluxus conquievit, refriguit veneris æſtus, phantaſmatum nocturnarum ludibrium evanuit, & pacato ſeditionis internæ tumultu, tranquillior ſerenitas menti affulſit, ut adhuc veré chriſtiana tranquillitate, & ſubacti hoſtis voluptate potiri videatur Vir ſanè religioſus.

XVI. Sanè ex hujuſmodi (xv.) obſervatione diſcere poſſumus, quàm malé ſibi conſulant, qui *lanam*, vel pannoſas faſcias *Renibus* & vicinis locis accommodant. Venerem enim lanuginoſa mollities ſtimulat, & ſeminis continuam velut ejaculationem gignit. Quod ſanè mali genus contemnendum non eſt. Quandoquidem pergente ſeminis profluvio, & permanente cauſa æſtum in *Renibus* concitante, ita partes adjacentes, vaſa, nervi, veſiculæ, & ſeminis conceptacula enervari infirmarique poſſunt, ut hiulca emiſſaria evadant, ex quibus tacito, eoque ſempiterno, ploratu ſeminis liquor prolificus egeratur. Ita quod leve in initio fuit, gravius & pertinacius redditur malum, ſolius excretoriorum tubulorum

 flacci-

flacciditatis ſoboles: Quippe vix fieri poteſt, quin invetera-ſcente malo, 1. ſeminis emiſſaria calore *lanæ* debilitata nimis amplientur & dilatentur, atque ſemi-aperta in *urethram* continenter ſemen effundant. 2. Quin partes ambientes *Genituræ* conceptacula inertia & laxitate corripiantur, unde debiliùs hiſce conſtrictis, vel juſto laxiùs conniventibus, nec ſemen vi conſtrictoria ſatis efficaci coercent, neque veſiculas ſatis premunt, ut ſeminis effluxum impediant: ea duplici ratione malum invaleſcit, & omnem medelam reſpuere impoſterum poterit; hinc, ex conſilio Trilleri, (*a*) immundis viris, & involuntario ſeminis lapſu divexatis ſtramenta refrigerantia procuranda ſunt.

XVII. Tam nociva eſt *lanæ* vis lumbis accinctæ! Faciamus modò, ut id a *Phiſiologis* credatur, ubi argumenta inſuper dixerimus, rationeſque ob quas id fieri potuiſſe in allato exemplo, (xv.) & non vice ſimplici id uſu venire in ſimilibus ægris poſſe, exiſtimemus. Sciendum eſt igitur, *lumborum* appellatione eas partes venire omnes, quæ intus extuſve ab ultimis *Coſtis inferioribus* lateraliter ad uſque externam verendorum plagam excurrunt, comprehenſo *Veſicæ*, & partium retro illam ſitarum ordine. Huc ergo ſpectant univerſa vaſorum ad teſticulos ſanguinem deferentium, & inde emiſſorum ſeries; huc *veſiculæ ſeminales*, earumque emiſſaria & *Proſtratæ*; huc partes omnes, quæ circa pudenda externè pilis conveſtiuntur; huc cutanei, & alii muſculi penis erectioni inſervientes. Sed & neque illud omittendum eſt: ſemen, liquorem nempe maſculum, eſſe quidem lentum & glutinoſum, ſed ex concluſis tenuibus agilibus, & elaſticis corpuſculis, quæ appellant *ſpiritus*, mirum quantum divitem; ad hæc facili de cauſa ſpumeſcentem, & *veneris* æſtro turgentem. Itaque adeſt in præſentia copioſi bonique ſeminis, facilis ad venerem ſtimulus: Hinc in genere cauſæ ſtilllcidii ſeminalis ad ſequentes reducuntur, ad *repletionem* nempe omnem earum partium, quæ *lumborum* nomine inſigniuntur, aut *irritationem* ab acri aliquo. *Repletionem* arguunt uberior ad-

(a) *de Pleurit. in notis p. m.* 115. 116.

adfluxus ſanguinis genitalia loca diſtendens, & copioſior veſiculis ſeminalibus comprehenſus liquor. *Irritationem* autem producit acre quodcumque, ſive mechanicum, & extus admotum, ſive phyſicum in *canali* hoſpitans, quod ſemen excernit; hinc Athletæ olim non modò ſe ad inhibendam venerem frigida lavabant, verùm etiam laminas plumbeas renum & lumborum regionibus ad arcendas nocturnas pollutiones, & libidinis impetus frangendos adhibebant (*a*).

XVIII. Univerſa autem hæc (XVII.) ab impensè calente, eaque corpori affricta, *lana*, quà lumbi locantur, oriri poſſe, ex ſequentibus liquet. Nam æſtuoſa illa vittâ *lanea Renibus*, & affinibus partibus aptata liquidum purpureum rareſcit, & in frequentiores undas cieri, ſuaque vaſcula ægrè pertranſire incipit; quibus invaleſcentibus ob caloris vehementiam, neceſſum eſt, extremos arteriarum genitalia irrorantium fines nimis extrorſum urgeri, atque adeo ſanguinem in illis hærere, ſtagnare, congeri, unde Renum & ſeminis conceptaculorum *phlogoſis* leviſsimus ſtatus; atque adeo cum illa *phlogoſi*, calor, prurigo, titillatio, Pudendorum, quam ſeminis non modò præſentis, verùm etiam copioſioris emiſſio ſequitur. Calor enim gratam primò ſenſationem creat, quæ in pruriginoſam voluptatem, & hæc in dolorem degenerare potis eſt, ob quam rem, lapſu temporis accidere poteſt, ut venerea illa, & *phlogodea* incaleſcentia, ex *lanæ* contactu proficiſcens intendatur: atque ſive pro natura, & indole ſanguinis, ſive pro copia ejuſdem, quæ in vaſis ineſt, ſive pro motus gradu, quo agitur, & pro momento quo ad haſce partes irruit, diverſæ quoque rationis futura eſt illa diſpoſitio, ut inſenſibilem ferè initio *ſpermatis* fluxum viſibilem dolorificum efficiat impoſterum. Certè in caſtiſsimis viris illud ratum manebit, ſi quàm rudis contextûs *Pexam* ſibi applicuerint, Semen, quod materialis eſt Pœnis erectionis cauſa, & voluptatem excitat, uberiùs in cellulis aſſervatum caloris immodici morſibus magis patere; undè efferveſcens, & nova per calorem advocata materia turgens, rariore de-

 fluxu,

(a) *Conf. Mercurial. de arte &c. ib. lib.* I. *cap.* XV. *p. m.* 28.

fluxu clam elabi, deplueréque in *urethram* poteſt. Quantum autem in erigenda *mentula*, & in evocando ſemine conceptus caloris ſenſus poſsit, exemplis patere poteſt. Clyſter calidus ſemen prodire coegit. (*a*) Ipsâ calida ſenſibiliſsimæ glandi affuſa, *cavernoſa* priapi corpora illico attolluntur, & ad ſeminis expulſionem ſeſe accingunt. Verùm nec ea eſt ſola *mechanica*, qua pannea operimenta lumborum valetudini nocent, & *balſamum* illud vitæ fruſtra effundunt; adeſt & alia a ſtimulo petita, quem in illis partibus creat rudior craſsiorque Indumenti *lanei* villus: inde enim liquidum nervorum Genitalibus Lumbiſque proſpicientium ſuccutitur, & crebriori ſtaminum vellicatorum titillatione frequentiores validioreſque undas intra *commune ſenſorium* creat, unde polluta imaginatio eſt; Præterea irritationes genitalium facit crebriores eadem compacta *lana* imprudenter corpori applicita: quamobrem calentia, & quaſi *phlogodea* ſeminis conceptacula cùm exquiſitiſsimo ſenſu donentur, vividiùs a ſanguine quo irrorantur, vel ſemine quo madent, percellentur: Intenduntur utraque de cauſa Genitalium libidinoſæ motiones; *acceleratores* proinde *erectoreſque* muſculi ex lege unionis ſæpius agentur, validiùſque; *penis* idemtidem inflatur erigiturque, unde *frequens & involuntaria erectio*, etiam cúm piè cogitant. Quamdiu autem perennant hæc, tamdiu copioſus, & perennis ſeminis, aut fluidi ſeminalis effluxus debet animadverti; tum quòd illud a majori liquidorum præparantium huc derivatione magis ſecernatur; tum quód ſecretum aſſervari per natum ſtimulum ſuis in *colis* non poſsit. Ita ſanè frictiones in tenerrima glande *Penis* validiſsimas erectiones creant: Ita flagra dorſo, ſive lumbis inflicta, quia partes ſemini generando dicatę, ac ſemen ad genitalia deferentes, ab iis calorem concipiunt in venere excitanda, luxuria multùm poſſunt: (*b*) Ita Senex ille libidinoſus, de quo *Gaſpar Hofmannus* meminit, (*c*) *hypocauſti* calore in venerem deſpumavit. Ita tandem crediderim ego, incredibilem coitui ab Auctore Naturæ adnexum

---

(a) *Haller in not. p. m.* 425. *tom.* v. *part.* 1. (b) *Meibomius de Flagror. uſu p. m.* 30. 31. *ſequent.* (c) *apud Regner de Graaff de Viror. &c. p. m.* 47.

oblectametum, non tam fluidi ſeminalis, in quod mulieres veneri litantes colliqueſcunt dulcibus aculeis, quàm innato *Vaginæ*, & neſcio cui ingenito calori deberi, quo fota Viri genitalia, ante emortua, ad vitam veluti revocari videantur. Certè futuri venerei oblectaminis ſpecies *promulſidis* eſt tacitus Genitalia obrepens calor, & gradatim in æſtum aſſurgens, quem proinde digitis ſalaciſsimæ feminæ, & inviſa contrectatione invitant. Sed caſtis ſit honos auribus, Nobiſque divagantibus detur venia.

XIX. Referam, quem mihi humaniſsimè communicatum à Primario Xenodochii Melitenſis Medico expertiſsimo, Noſtrique Amantiſsimo JOANNE BRUNO, memoria teneo recenti, caſum cujuſdam Religioſi eriſipelate idemtidem in *Scroto* recurrente affecti, qui femoralibus pingui *lana* contextis, neſcio quonam imprudentis pœnitentiæ æſtro percitus, utebatur. Illud tamen memorabile in iſtiuſmodi ægrotante notabatur, quod numquam *ſcrotum* eriſipelate corripiebatur, niſi ubi *laneis* faſciis intimiùs obduceretur. Quod videns Medicus, atque eruta *phenomeni* causâ, indeque *lanei* operculi abuſum Viro exprobrans, partis ægræ ſola ſpoliatione *lanea* curavit *eriſipelas*, quod ſuppurationem minabatur. Et profectò cùm tales homines parùm munditiei ſui corporis ſtudeant, *lanæ* pravos effectus experiuntur faciliùs ceteris, quæ ſive ſtimulo ſuo, ſive pingui ex animali deprompto, ſive calore, quem ciet nimio, torpentem jam per *Scrotum* pendulum liquidorum curſum magis cogit, & cogendo accendit; hinc hærentia ſanguinis incitati, perſpirationis ſuffocatione per ſordes ſupra cutem lanatam relictas adaucta; ſubſequente in parte tumore *eriſipelatoſo*, qui non abſente inflammationis cauſa, in ſuppurationem abire poteſt; propterea quòd ſanguis minùs fit meabilis, creſcit infarctorum tubulorum obſtructio, rumpuntur tandem inflammati canales, aut retinetur perſpirabile in vaſculis ſuis inde dilatandis, & vaſa ſanguifera comprimentibus, quæ jam inflammata ſunt, & in quibus inde major futura eſt ingurgitatio, & nonnullorum ruptio cum terminante abſceſſu.

XX. Ad extremum de *laneis* tibialibus pauca adnectere,

ne

ne quid noſtris hiſce cautelis deeſſet, viſum eſt. Multos equidem novi, quos *podagra* divexat, vel alius articulorum pedis dolor excruciat, qui *laneis vittis* pedes, totamque tibiam ad uſque genua circumducunt amiciuntque. Sed cùm promiſcuè, nec ulla adhibita cautione ita pannoſis pedibus incedunt, contingit, ut præter ſpem dolor, vel citiùs quàm par eſt, partem ægram adoriatur, vel jam natus invaleſcat. Eſt enim ubi morboſa lympha morbum faciens ab vi æſtus immodica expanditur, & in anguſtiſsimis ligamentorum conſtricta tubulis ſtagnat, quos proinde rareſcentiæ motu divulſura, & dolorem productura eſt. Eſt etiam ubi exoticis *ſalium* ſpiculis armata, & calore inſolito efferveſcens, ſalium ſuorum acumina exacuit, & impetu facto, in exquiſitiſsimæ ſenſationis fibrillas adigit, crudeli ſubſequente dolore. Eſt demum ubi reſes antea vitioſus latex, & ſua congeſtione dolorem pariens benigna naturæ reſolutione e pedibus exceſsit jam, atque erupit; vel priſtinum adeptæ partes hæ robur inſidiantem fomitem feliciter e ſuis finibus depulerunt. In hiſce caſibus ſi *lanea* ſuperficie, eaque nimis calente, inferiora corporis loca velaveris, æſtuque torreas, futurum ſanè eſt, ut laxatis infernis vaſculis, & ab deciduis tranſpirationis inſenſibilis imbribus madefactis morboſam cauſam ultrò recipiant, & novæ dolorum tragediæ viam pandant. Poſtremum autem adductæ noſtræ Ætiologiæ caput quotidianis experimentis elucet. In Tendinum enim ligamentorumque ſubluxatione vel diſtorſione debilitato ſolidorum tono, & mox mox uberiorem liquidorum affluxum admittentium, quid præclarius quàm frigida affuſa ſuccurrit, quæque ob id *repercutiens* audit, quòd accurſurum liquidum quaſi in itinere moretur, ipſumque longiùs repellat? Vides ùt in contuſione enervatas ictu, fractaſque animalis partes frigoris acceſsio inſtaurat, roburque tale addit, ut modò abſque mora uſurpetur, nullus livor, nulla rubedo, nullus tumor in parte conſpiciatur! Vix nempe membrum contuſum fuiſſe crederes. Siqua ergo *laná* Pedes obvolvendi neceſsitas urget, curandum eſt, illud ut cautè fiat, inque illis caſibus, ubi vel hærentis morbi ferocia, vel abacti jam, & in alia loca profecti infauſtus reditus metuēda eſſe videantur.

XXI.

XXI. Dum nudi, & calentes per totam noctem ſub ſtragulis detinentur pedes, & manè tibialibus panno vel goſsipio elaboratis conſarcinantur; non ſemel *ædemate eriſipelatoſo* corripiuntur: Precipuè ſi cubiculi aere nimis humido primùm maduerint, atque delicatulorum ea hominum tenellis tibiis obtenduntur. Inde eſt, ut laudabili more non antea hyemis tempore manè pedibus tibialia indantur, quàm ad ignem ſiccata, & omni nocturna humiditate privata fuerint. Quod præprimis illis ſequioris ſexus uſuvenire invenio, quæ ut a natura mollem labilemque conſtitutionem ſortitæ ſunt, ita fluxam quoque, & delitioſam vitam degunt. Hiſce etiam Feminis tibias in ædematoſum tumorem aſſurrexiſſe cum leviſsimo cutis pruritu conjunctum non ſemel memini, quoties incautæ tibialia nocturno, & humido frigore madida imprudenter ſibi induerent. In hanc rem conferri meretur, quod *Vvanſuieten* (*a*) in delicatulis puellis, & teneræ idioſyncraſiæ Viris aliquoties obſervavit, quòd ſi manè e lecto ſurgentes aperta tantùm feneſtra manus & faciem libero aeri exponebant, illicò hæc in bullas prurientiſsimas attollerentur. Enim verò quoniam totum corpus in ſua ſuperficie externa, vel interna perſpirabile eſſe novimus quàm certiſsimé, & per minimas nempe fiſtulas arterioſas extrorſum patentes, omni momento vitæ ſanæ tenuiſsimum expelli halitum: Si jam ab aliqua cauſa retardetur hujuſmodi ſalutaris excretio, lympha in habitu cutis Tibiarum pedumque congeri, & in ſuo regreſſu adeo impediri poteſt, ut pars in tumorem faſtigietur. Profectò in noſtro caſu ad formationem edematoſi tumoris concurrere poſſunt multa; ex parte enim Subjecti naturalis mollities & laxitas, quæ dat fibras debiles, atque (*b*) ad ſubactionem expulſionemque liquidiſsimi vaporis ſatis ineptas; Potiſsimùm ſi conſideretur a corde remotus pedum ſitus, cujus ope fluida nimis tardigrada ad congeſtionem prona ſunt, & in quibus frequentiùs occurrunt *Tumores* edematoſi. (*c*) Jam verò ſi ex parte cauſæ cujuſdam externæ hæc omnia augentur,

(a) *Tom.* II. *de Cognoſcend. &c.* §. 723. *p. m.* 398. (b) *Boerhav. aphor.* 37. (c) *Fizes de Edemat. Cap.* V. §. C1. *num.* 7

gentur, tantò faciliùs inducetur *adema*; quod ſanè heic abſque prævio fluidorum vitio, ſed ſola humidi frigidique præſentia excitatum eſt, quá textus partis jam natura debilitatus, emollitus eſt, & vaſcula tibiarum pedumque cutanea perſpirabile retinuerunt, quod dein in (*a*) ſenſibles guttas faceſſens, & canaliculos ſuos diſtendens, edematoſum quem vidimus tumorem produxerit. Sicubi verò in ſuperficie *edematis* tibiarum *eriſipelas* aliquando apparuerit, id factum fuerit ab accumulato & ſtagnante tranſpirabili acri, & oleoſo, vel ab inopinato frigore udorum tibialium cutim urente; vel ab effluviis, acutiſque pilis *lanæ*, pannorumve noctu maceratorum, qui pili, dum tibialia induuntur, & tenerrimæ cuti aptantur, ſuis neſcio quibus ſpiculis, ſeu pungentibus apicibus, *vide ſupra cap.* II. §. VI. VII., minima vaſcula irritando lædunt; hinc per illos canaliculos externo hocce aculeo conſtrictos humores ſolita libertate cùm tranſire nequeant, *pruritum*, vel ruborem pruriginoſum producent. Non abſimili ratione, qua dum Illuſtriſsimus *Reaumeur* (*b*) erucarum nidos tractabat, ſibi manus pruritu moleſto affici mirabatur, invenitque pilorum fragmenta ex erucarum relictis exuviis evibrata, cuti affixa, & inſtar ſpinularum cutem vellicare, eamque roſea rubedine inficere.

XXII. Accidit ſæpiſsimè, non in Septētrionalibus tantū mundi Plagis, ſed etiam ubique, dum penetrabile ſæviſsimæ hyemis frigus adurit, maximé extrema corporis frigore ingenti rigeſcere fermè, & tantùm non ſenſum vitamque amittere. Per frigus enim ſolidæ partes corporis in omni dimenſione minuuntur, & arctantur earumdem cava, ſimulque ſanguinis ceterorumque liquidorum molleculæ adunantur; & utroque hoc effectu obſtructio & inflammatio oriri poſſunt. Cùm autem in extremis corporis noſtri locis, ut ſunt Pedum digiti, celeritas cruoris vaſa præterlabentis minuatur quàm maximè in illa maxima a corde diſtantia; ideò frigoris aeris ambientis effectus pravi, ut in manibus, naſi apice, auriculis, ita

(a) *Confer. Gorterum ibid. Cap.* XII. §. xxxv. (b). *Memoires de l'accademie &c. annèe* 1744. *hyſtoire p. m.* 19. *ſequent.*

ita in pedum extremitate præcipué notantur. Hoc autem eo hìc conſilio commemoro, propterea quód cùm in meipſo, tum maximè in aliis expertus ſum applicatæ *lanæ* noxam non levem, dum ad avertendam frigoris vim pedes *lana* obligarentur, & congelati artus pannis aſperrimis calidiſque ad ruborem uſque perfricarentur. Non intelligunt enim quàm damnoſa ſit ea *lanæ* admotio; præcipué ſi ultimas Pedum phalanges gelu prehenſos ſcalpendi deſiderium, puncturæ ſenſus ingens divexare, & intenſa rubedo afficere ceperit; Tunc enim verò cavendum magnopere, ne caloris propter pannorum frictionem communicati ubertate atque fervore pars putreſcat, & imminentem gangrenam ominetur. An ergo frigida hìc præſtarent? Ita ſané. (*a*) Quòd ſi frigidorum in hac re uſus te terreat, vel temerarius tibi videatur, ſaltem meminiſſe juvat, ſubitam ex frigore in intemperatum calorem, qualem ſibi concitant qui talia agere ſolent, mutationem ſemper dubii, incerti eſſe eventus.

XXIII. Atque hæc de ſingularibus *lanæ*, ſingulis corporis locis admotæ noxis comperta indicataque ſufficiant. Pauca delibare reſtat, quæ ex noſtris ſuperioribus ſponté fluunt: hæc verò, tum loca tum tempora *lanæ* gerendæ apta, modumque rite utendi reſpiciunt. Qui ergo ob ſanitatem conſequendam, morbos pellendos, comparandumque optimum corporis habitum adhibere *lanam*, ſimileque operimentum cupiunt, id ſibi datum putent, caveantque, ne a finitimo & circumambiente aere, cœlique tractu ulla labes emanet, quæ fluidum illud in loculis poriſque indumenti preſſum inficiens, mox corpora induta ſpongiæ inſtar quidvis recipientia corrumpat. Similiter evitent, neceſſe eſt, loca paludoſa, ſtagna, ſpecus, lacus; eligantque cœlum ſudum atque ſerenum, ne aer ab illis effluviis depravatus, & uberiùs intra *lanæ* accũbentis interſtitia congeſtus irretituſque corporibus damnum afferat, eorumque meatus facilé ſubeuns, tetramque auram ſecum invehat, eoque corpus ſegne animumque grave reddat obtundatque; quod in ſereno numquam animadvertitur; quin

(a) *Confer Boerhav. aphor.* 427. *num.* 6. *&* *aphor.* 454. 455.

potiùs illud vegetabilia juxta ac animalia vivido elatere confirmet, ſpiritumque ſummoperè erigat; Cùmque, ut ſcripſit *Ariſtoteles*, (*a*) ſudor corpore nudo currenti prodiens utilior ſit, quàm qui ſub veſte ſe promat, quòd ultimo modo ſudantes decoloratiores ſint, ſimulque cutis tranſpiratio undè gratus color emanare conſuevit, (*b*) a veſtimentis inhibeatur; proclive eſt intelligere, exercitandorum corpora iis indumentis contegenda, quæ & leviori textura laboraturos reficiant, & a ventis, ſiqui erunt, vel a frigore tueantur; aut etiam ſi æſtus urgeat, fervorem nullo pacto augere, ſive fovere queant, cujuſmodi ſunt linei amictus; vel, ſi conſuetudo viget, *lanei*, ſed levidentes, molliores, tenuioreſque eligendi erunt; curandumque ut, peracta exercitatione, ſudore ſi madeant, protinus exuantur, & ſicci reſumantur: ſi etenim ita humecti extimam cutem attingant, facilè ſuppoſiti inhalantes tubuli vitiatum illum ſudorem haurient, *vide ſupra cap.* IX. §. IV. *ſequent.* ſicque denuò externi meatus infarcientur. Ut taceã panni madidi ita mox frigefacti illata corpori eó obducto damna, ut horrores, fœtores, & alias moleſtias; de quibus ſuperiori loco *cap.* VI. VII. abundé diſputatum eſt.

CAPUT

(a) *Problem. ſection.* II. *num.* 30. (b) *Mercurial. de art. &c. lib.* IV. *cap.* XIII.

CAPUT XI.

QUID, ET QUANTUM IN PESTIS

Contagio, Lanuginoſæ Veſtes, Merceſque Poſſint, Inquirere.

I. TEterrima, & omnium periculoſiſſima, & ab omnibus Populis, ignominia notata morbi ſpecies, quæ ubicumque mortales prehendit.

Senſim graſſata diu, quoſcumque receſſus
Corripuit, Populumque imum ſummumque Senatum
Vulneribus cæcis, æquali ſtrage peremit
Non illa ordinibus Sacris, clauſtriſque Piorum
Non fera, Virginibus, Puero, Senique pepercit;
Defecit propior Medicus, dum conſidet ægro
Concidit, & præbens cæleſtia liba Sacerdos.....
Non ars ulla levat, quovis medicamine morbus
Paſcitur, & major collectis viribus urit,
Deſtituit prolem infectam pia cura parentum,
Vix trepidante manu protenſa decempeda victum
Porrigit, & chari refugit mala flamina vultus
Ipſa viri conjux metuit tetigiſſe cadaver
Tormenti genus, extincto ne dum oſcula figat,

Et trahit ingenti, mixtis ululatibus unco
Innocuos artus labentem ad fluminis undam &c. (a)

Peſtis, inquam, quæ nulli ſive ætati ſive ſexui parcere ſolet, ſi cauſam proximam inquiras, nullam adhuc veroſimiliorem ſtiterunt Scriptores; ſi remotas inſpectes, multæ ſunt, quas ejuſdem dirissimæ propagationi favere docuit infauſta ſæculorum experientia. Nam ut de aeris in eo morbo temperie ediſſeram, lubet cum Clarisſimo *Sydenhamo* ſuſpicari, eam ſuſcitandæ *Peſti* per ſe imparem: *Aliàs enim non aſſequor*, inquit, (*b*) *qui fiat, ut in eodem cæli tractu, dum unum aliquod Oppidum* Peſte *graviſſimè affligitur, aliud non longè diſſitum omnem commercii neceſſitudinem cum loco contagioſò cautè inhibendo, prorſus immune ſe præſtiterit*; hactenus ille. Putridam dein aeris conſtitutionem, quamquam latè illa longèque ſpatietur, & ex graveolentia aliiſque indiciis magna eſſe deprehenditur; plerumque tamen ſine Peſtilentia evenire animadvertimus; ut rectè notat *Maſſarias*, (*c*) qui præterea aliam non contemnendam rationem ſubjungens: *Rursùs*, inquit, *nulla putrida, nulla intemperata aeris conſtitutio poteſt in valde multas Regiones vagari: at Peſtilentia tam latè, ac immaniter interdum ſævit, ut univerſum penè orbem occupet*. Quamobrem, ut verbis Clarisſimi *Portii* (*d*) rem illuſtrem: Peſtis devaſtantis non quidem cauſam, ut multi falsò opinantur, cœlitùs demiſſam aeri, quo utimur eſſe commixtam, (cenſendum eſt) & perdurare *Peſtem*, donec pesſima illa aeris conſtitutio ceſſaverit. Nam cùm non liceat vita ſuperſtite aeris beneficio nos eſſe deſtitutos, quis potuiſſet, quæſo, ſe ab immani eo morbo præſervare? Quique potuiſſet umquam, vel impoſterum eſſe poſſet hominum, aut Principum prudentia, quæ induſtria, quæve diligentia vel ut avertatur, vel ut citiùs deſinat, vel ne latiùs diffundatur *Peſtis* malum?

II. Quamvis autem aer prima cauſa efficiens Peſtis minimè ſit,

---

(a) *Philomat: Muſæ de Ital. peſte* XII. *p. m.* 19. *anno* 1630. (b) *Tom.* 1. *Conſtitut. ann.* 1666. *p. m. Cap.* 11. 65. (c) *de Peſte p. m.* 13. *l. c.* (d) *in Præfation. tom. II. p. m.* 4.

ſit, hujuſce tamen fluidi pravam atque deleteriam labem propagationi & extinctioni virus peſtilentialis parem eſſe exiſtimamus: Tum quód ſedes *Peſtis* propria Regiones torridæ ſint, vel quæcumque Sole nimio fervent; quód terræmotus, criptæque & cavernæ dehiſcente ſolo recèns apertæ, propter malignæ & venenatæ auræ eruptionem, Peſtilentiis non rarò initia dederint; (*a*) quòd interdum in diverſis, & a ſe quam longiſsimè remotis Regionum tractibus cruda lues nihilo ſeciùs graſſetur; quòd diuturnæ aeris ſiccitates crebra atque nocturna fulgura, noctu ſereno cœlo micantia, a nitroſis ſulphureiſque aeris particulis in ſe invicem colliſis producta certiores plerumque fuerint *Peſtis* prænuncii; quòd funera funeribus cumulata, incondita cadaverum in plateis, horumque putreſcentium moles, & horrendus fœtor inſignem in fluido aereo corpora circũalluente malignitatẽ prodant; quód Auſtrinis, humidis, calidiſque ventis diu ſpirantibus, vel noxiis paludum effluviis aeri referto Peſtilentium omne genus non raró natales debere comperiatur. Sic *Livius*, & *Valeriola* maximam *Peſtem* Romæ ab exceſſu Tiberis memorant: Sic *Ronſincius Peſtem* in Italia ab inundationibus horrendam invaluiſſe ſcribit: *Pomarius* Hyemem anno 1421. humidam & tepidam fuiſſe tradit; Æſtatem verò proximè ſequutam eſſe *Peſtem* infamem: Sic & alii ſimilia ſcripſerunt, ut ex *Peſtium* annalibus conſtat. (*b*)

III. Enim verò ab exhalationibus e terra aſcendentibus, putridis ab aquis, a cadaveribus inſepultis, ab Auſtro calorem lethiferum perflante corpora lædi poſſunt. Ex horum halitu, & contactu aer circumfluus corrumpitur, multiſque rebus quoddam afflat venenum, quod iiſdem occultari, ſervarique diu, experientia teſte, ſæpiùs comprobatum habemus. Neque ulla *Peſtis* ab aere umquam incepit: vitium enim ille ex ſe non contrahit, ſed fœtus putridis aquarum vaporibus, aut peſsimis cadaverum inhumatorum aggeſtorumque aſpiratio-

(a) *vide Arbutnot Eſſay de l'air &c. chapitre* VII. §. VI. *p. m.* 233. (b) *Confer Cantvvel an aer ab inundation. &c. quæſtion. Pariſ. anno &c. num.* V.

tionibus onuſtus Peſtiferam vim, naturamque prorſus deleteriam induit. Niſi velimus dicere, per *aerem* intelligi quoque tenuiſsimum quemdam vaporem, aut ſpiritum e corporibus malè affectis emanantem: Tunc enim veró, ne voces confundantur, communi vocabulo acceptus aer morbi inducendi, vel fovendi fons eſſe poterit, ut nihil inde intereſſe videatur, ſpiritum ne, an craſſum & vulgarem aerem dicamus, dum de lue iſta agitur.

IV. Neque firmo ſatis talo ſtare eorum ſententiam crediderim, qui putredinem peſtilentium febrium, ipſiuſque *Peſtis* quaſi eſſentiam proclamant. Veriùs dicam cum Clariſsimo *Geoffroy*, (*a*) præcipuum morbi ſymptoma. *Peſte* enim affectis prima mali labes ab aura venenata intus ſuſcepta proficiſcitur; ſanguinis, ceterorumque liquidorum latices *Peſtis* vitio nonniſi ſecundariò fœdati videntur: Cùm nempe ex fibrarum *erethiſmo* vaſorum extrema in viſceribus aut glandulis coarctata ſanguinis fluxum morantur, aut prorſus ſiſtunt, & humorum ſecretionibus obſtant; vel etiam cúm venenata miaſmata in ſanguinem aut ceteros humores irrepunt, eorumque ſuccos omninò, vel partim coegerint, qui creſcente canalium anguſtia magis in dies aggeſti concreſcent, vitium facillimé capient, putreſcent, ſuppurabunt, & nonnunquam partes mortiferè afficient.

V. Huc pertinet examinanda *Verminatio*, quam vulgò pro potiſsima *Peſtis* cauſa adducunt. Simptoma enim eſt, non cauſa; effectus humorum putredinis eſt, non autem origo: ut cùm minutiſsima ovula ſanguineis particulis involuta in libertatem vindicantur, aut ab externo aere ſuggeruntur. Verùm quamquam vermes in educto cruore conſpicerentur, attamen in dubium adhuc veniret, an inſecta illa conſideranda eſſent tamquam malorum principium, an ſecùs, quod probabilius putaverimus cum *Lanciſio*, (*b*) tamquam effecta diſſolutæ fluidorum compagis. Peſtilentes enim morbi oriuntur vel vigent a Principio communi, ſcilicet vel ab aere, vel cibis, vel

(a) *Quæſtion. præfix. tom.* 1. *mater. medic. num.* 11. (b) *lib.* 1. *par.* 1. *cap.* XIX. §. III.

vel potibus, vel ſimulque ab omnibus ad perniciem vitiatis, quæ deinde per varia itinera interſperſa Inſectorum primordia in corpus animatum, hujuſque diſpoſitione evolvenda intrudere valent. Certè in illa *Boum* peſtilenti conſtitutione, de qua idem *Lanciſius*, (*a*) Inſecta morbi cauſa non fuerunt, ſed putrefactionis effecta. Ita profectò probabiliſsimum ducimus, peſtilentes morbos, qui peculiaribus unius Provinciæ locis propter univerſalem ibi cauſam, atque inquinatum, & certa tactum labe aera epidemicè graſſari ſolent; non Vermibus, qui intra ſanguinem nidos ſibi parent, ſed noxiis halitibus, & inorganicis effluviis occaſionem omnem ortumque debere. Etſi autem Animalculorum ſemina in aere fluctuantia cuti perviæ applicata, poris recepta, humoribus nutrita, calefacta tandem fœcundentur, & ſui generis partus enitantur; hujuſmodi tamen minuta animalcula cauſam *Peſtis* non eſſe præcipuam, ſed præviam liquidorum diſpoſitionem, & illis traditum de foris venenum in eorumdem Inſectorum pabulum cedere, vel inde ulteriùs patere poteſt, quòd in *Bovilla Peſte*, quæ in Delphinatu debaccharetur anno 1745. nullum inſectum in cadaveribus repertum fuiſſe ſcripſerit *Sauvages*; (*b*) non raró tamen *verminatio* ipſam *Peſtem* concomitatur, ut ex illo exemplo ab eodem Monſpellienſi Profeſſore allato conſtat; (*c*) ubi *Peſte* ſuſpectis, dum ad prophilaxim *emeticum* propinabatur, innumeros vermes per vomitũ ejicerent.

VI. *Peſtis* autem reproductio, mira multiplicatio, & ejuſdem virus corporibus adhæſio diutina *Verminationis hypotheſi* non patrocinatur. Equidem licèt vermium proles continua regeneratione repullulet, ſi eodem tempore pabulum deficiat, emori eoſdem neceſſum eſt; non ergo ſola animalia de novo producuntur, ſed ipſamet inanimata eſculenta ſemel iterumque adeſſe oportet, quibus regenerati ſemper vermes veſci alique poſsint. Inanimata deinde corpuſcula licèt vita careant, & uncinatis vermiculorum machinulis orbentur, ſpongioſis

---

(a) *lib.* 11. *ibid. p. m.* 46. (b) *Memoire ſur la maladie des Boeufs p. m.* 19. (c) *Ibid.*

gioſis tamen in corporibus firmam, vel per annos ſibi figere poterunt ſedem. Exemplum præbent odorum atomi pannis inhærentes diu. Ceterùm, ne ultra, ac ſupra quàm æquum ſit in hiſce moram faciam, meminiſſe juvat, vermes ubique in corpore humano reperiri, quám primùm putredinis ſeſe ſtiterint indicia; ut non immeritò *Job* Sapientiſsimus & Patientiſsimus carnem ſuam undique verminoſam eſſe dixerit. (*a*) Sic in variolarum puſtulis inventi ſunt vermes: ſic in abſceſsibus paſsim proſtant: (*b*) ſic *ſcabioſi* vermiculi adſunt. ſic *celtici* vermes Patronos habent quamplurimos: (*c*) Sic ſimplex putredo vermiculorum generationi confert: *Conſule cap. ſupra* VIII. *per totum &c.* Sic in memorata (v.) *Peſtilentia*, ob ingentem animalium liquidorum fœtorem ipſe narium mucus vermibus ſcatebat. (*d*) Quid plura? vermiculorum aculei vivos nos torquent, mortuoſque conſumunt agmina. Ut adeo *verminationem* in malo *Peſtilentiali* ſatis familiarem non primævam eſſe morbi originem, ſed ſimptoma meritò ſuſpicari poſſe (*e*) videamur.

VII. Cauſis *Peſtis* conjunctis accenſendam declaramus miram illam, quam ad coagulum habent vitiata liquida corporis humani, promptitudinem. Ex ſpiſsitudine quidem cruoris, & ſumma qua pollet admiſsi jam lethalis fermenti acredine oriuntur obvia Peſtiferorum *Phenomena*, & inflammationes *gangrenodeæ*, & *Bubones*, & *Parotides*, & maculæ diverſæ, & omnia quæ *Peſte* laborantes mala exercent. Verùm facilè poteſt intelligi quantúm a recto veritatis tramite devient ii utcumque perilluſtres Medici, inter quos recenſetur *l'Abbadie* (*f*) qui nimio ſimplicitatis amore ducti, per impeditam ſolummodò aut diverſimodè perturbatam ſanguinis circulationem cunctorum in hiſce ægritudinibus apparentium phenomenorum ethiologiam expedire nituntur; Tamquam characteres varii, motuſque diverſi, vel diſcrepans in eodem

(a) *cap.* VII. *verſ.* 5. (b) *Andry des Verſ. tom.* 1. *p. m.* 123. (c) *Bianchi de natural. in human. &c. diſſert.* II. *p. m.* 382. (d) *Sauvages ibid. p. m.* x. (e) *Andry ibid. p. m.* 342. *ſequent.* (f) *des Fievres Peſtilentiel. cap.* III.

eodem miaſmate ingenium repetitis non confirmarentur periculis. Quis enim neſcit, haſce inter atroces Peſtilenteſque particulas, quæ ſolidis fluidiſque æquè infenſæ exitioſæ, ac perniciosę ſunt, quæque *gangrenosā* labem longé lateque ſpargere animadvertuntur, quaſdam eſſe, quarum natura in tenuiſsima celerrimaque putredine diſſolvente verſatur; quaſdam verò quæ figendi coagulandique liquida gaudent virtute?

VIII. Hiſce ergo & aliis argumentorum præſidiis muniti, cenſemus *lanea*, vel ſimili materia conſtructis veſtimentis, mercibuſque quamlibet lanuginem excipientibus Peſtilens virus proprio tamquam domicilio innidulari, propagari, & reconditum ſervari, vel in annos, poſſe. Contagioſam aeris craſim, vel putrefactionem liquidorum, vel *verminationem*, fluidive vitalis lethalem concretionem, cauſam hujuſce mali cōtinentem credat quiſque velit, per me licet: *Confer. hic* §. I. *ad* VII. Dummodo non abnuerit ſeminium peſtiferum velaminibus, operimentis, ſtragulis, & ſi quæ ſint alia ſupellectilia *lanea* xilinave infecta, vel texta impingi, implicarique, ita ut occaſio præcipua ampliandæ *Peſtis* non temere illa haberi poſſe videantur. Abditiſsimas, ut cæterarum rerū, ſic & *Peſtis* cauſas introſpiciant, indeque corpori noſtro applicent quicumque altiora ſapientes occultiſsimas adorandi Conditoris leges penetrare geſtiunt: Nos verò ingenuè potiùs noſtræ ignorationis confeſsione contenti, candidè, ut ſinceros decet, fatemur, eſſentias, *quidditates* ut loquitur *Sidenhamus* (*a*) ac differentias conſtitutivas morborum precipuè Popularium, altiſsimis tenebris obvelatas eſſe. Verùm in eo laborandum eſt, & quantum potero, experientia multorum ſæculorum præſcriptione tuta contendam; *Peſtis* cauſam partim in aere, partim in humoribus ægrotantis, partim in mercibus infectis quærendam eſſe; at aerem ſine mercium infectione nequaquam inquinari: per merces dein, dum *Peſtis* traducitur, materiam contagii, quæ eſt ſubſtantia activa, fortè ſalina, ex corporis animalis corruptela fota, in poroſis mollibuſque corporibus facilé recipi, ibidemque hoſpitari poſſe

Dd per-

(a) *ibid. tom.* I. *p. m.* 66.

perſuaſum habemus; atque in compactis compreſsiſque *laneis* mercibus, quàm diutiſsimè retineri, indeque *merces* eodem *Peſtis* fomite imbutas, & ad exteras Regiones delatas, ſi relaxentur, aerique libero exponantur, conceptum peſtilentiale ſeminium e ſuis vinculis extricare, & ſanis communicare hominibus.

IX. Hìc autem non loquor de prima ignis Peſtilentialis ſcintillula, ùt neque de primo fermento, deque primo *Peſtis* exortu: ſed quodcumque fuerit dico, quòd ſi commercia tollas integrorum, & *Peſte* laborantium hominum, *Peſtis* non ſecus extinguitur ac ignis non adjectis lignis; cujus quod ſupereſt, cinis habetur inutilis ad novum ignem ſuſcitandum. Atque ut ignis & ſimilia certam quamdam habent *atmoſphæram*, qua ſeſe in vicinia diffundunt, ita pariter circa corpora, quæ *Peſte* tenentur, vel Peſtilentia enecta fuere, adeſt aer, cujus auxilio in ſanorum corpora immitti *Peſtis* poſsit, & ſæpenumerò tranſit. Ita etiam in Pannis, aliiſque ſimilibus textilibus halitus quidam ſervantur, virus Peſtilentiale qui valeant ſeminare. Quò dſi inclemens iſta corporum *Atmoſphęra* caveatur, pannorum, eorumque omnium, quæ intra eandem aliquo tempore immorata ſunt, & eorum omnium, quæ aliquo modo *Peſte* affectis fuere conſueta, uſus prohibeatur; vel ſaltem non niſi poſt longum tempus, & poſtquam puro aeri diu expoſita, atque ſic perpurgata admittantur: utique *Peſtis* (*a*) non ſerpet, neque pervagabitur furens.

X. Quam facilé *lana*, *Goſſipium*, *Pelles*, & ſimilia corpora venenatos vapores combibant, & diutiùs conſervent, triſtis ſępe docuit experientia. Imò ſi funeſtam *Peſtilentiæ* cujuſque hiſtoriam repetęre, & conſiderare velimus, facilè conſtabit, ubique tamdiu, & tantum hæc mala ſęviiſſe, quamdiu, & quantum commercio, & contagio locus permiſſus eſt. Sic *Venetiis Peſtis* principio mala non modò fuere valde remiſſa, verùm etiam interdum & aliquamdiù prorſus extincta, donec externarum mercium contaminatione, uſque adeo Civitas vexari, & affligi cœpit, ut poſtremò ſuccumbe-
re

(a) *Portius in pręfat. tom.* 11. *p. m.* 5. 6.

re illi neceſſe fuerit. (*a*) *Peſtis* deinde quæ circa annum 1626. Italiam devaſtata eſt, veſtium quarumdam *lanearum*, linearumque, Vicentiam adſportationi ortum unicè debuit. (*b*) *Graſſante Peſtilentia*, ſic ſcribit *Fallopius*: *biennium*, inquit, *apotheca quædam ſtetit clauſa, unde factum eſt, ut merces, quæ inibi erant multæ, putruerint; tandem reſerata apothecá, ingreſſi ſunt duo Bajuli, ut merces adsportarent, & vix ingreſſi ceciderunt, & mortui ſunt, nam ex mercibus putrefactis corruptus fuerat apothecæ aer, qui attractus a miſeris illis, infecit eorum ſanguinem, & ſpiritum, & denique totus Provinciæ aer eſt corruptus, & maxima peſtilentia excitata*. [*c*] *Portius* poſtquam *Peſtis*, quæ anno 1656. *Neapolim* penè delevit, Monialium nonnullarumque familiarum, per cōmercium cum infectis ablatum, ſervatarum meminit; pannos, & cetera infectorum ſupellectilia, tamquam lethale virus repoſitorium meritò inculpat. (*d*) *Peſtis* quæ anno 1720. *Maſſiliæ Populoſiſſimam* Urbem aggreſſa eſt, quid eam putas pro prima infauſta ſcintilla habuiſſe. Merces *laneas*, ex Orientalibus Turcarumque plagis evectas, atque in urbem, quantacumque adhiberetur cura, tacitè illapſas: Adeo verum eſt, traductum illud quaſi per manus fuiſſe *Maſſilienſis Peſtis* contagium, ut temerarium eſſe arbitrer, vel tantillum hac de re dubitationis ſcrupulum. [*e*] Quid plura? Truculentiſsimam noſtra memoriâ *Peſtem*, quæ anno 1743. *Meſſanam* infinita hominum clade afflixit, navis ex Oriente profecta, *laneis* aliiſque mercibus pollutis onuſta in urbem certiſsima omnium Medicorum fide intulit. [*f*] Veſtes, quibus *Boetikerus* per ſex menſes *Peſte* laborantes viſitaverat, fomite Peſtifero ſcatentes filiolam ſuam unicam infecerunt, at ipſo narrante, [*g*] quarto die

 vitam

(a) *Maſſarias ibid. lib.* I. *p. m.* 24. *in an.* 1576. [b] *Id. ibid. lib.* I. *ſub init. p. m.* I. [c]. *Idem de Bubon. Peſtilent. cap.* XI. *p. m.* 61. [d] *tom.* II. *ibid. p. m.* 4. 5. [e] *Relation hiſtoriques chapitre* XXIII. *p. m.* 363. [f] *Memoria Iſtorica del Contaggio &c. da Orazio Turriano cap.* III. *p. m.* 9. [g] *apud Manget Biblioth. Scriptor. p. m.* 342.

vitam cum morte commutaverit; quas tamen ipſe tamdiu innoxiè geſtarat. Quamdiu ergo deliteſcere in *lanoſis* rebus *Peſtis* labes poteſt! Inde factum eſſe opinor, ut non ſine ratione a Principum aulis atque perſona arceri Practici illos Medicos jubeant, qui curationem morborum malignorum, & contagioſorum tractant, & inter ægrotos ſæpiùs verſantur; cum veſtimento enim, aut capillitio contagium quidem afferre [*a*] ſolent. Inde numquam ſatis laudabilem eſſe patet, Senatus, & qui Urbium gubernationi, Reipublicæque adminiſtrationi præſunt, conſuetudinem, qui charitatis veré chriſtianæ ſingulari erga Concives vel ſubditos ſtudio permoti, veſtimentis, ceteriſque textilibus ex *lana*, goſsipio &c. conſtantibus dies nocteſque mundandis inſumant, ſuffiendiſque ſimilibus mercibus maxima ſedulitate incumbant; Nedum quadragenarium dierum terminum in *Lazaretis*, ut ajunt, *Peſte* ſuſpectis præfigunt; quique debacchante *epidemica* lue vias ſepere milite, loca Urbium opportuna munire, excubias diſponere, homines præficere omni ope allaborent, ne quid volatiliſsimorum Miaſmatum Incautos adoriatur, & funeſtiſsimæ propagationis horrendam ſtragem ominetur. Inde tandem minùs tutam intelliges, imò periculi plenam Eorum ſententiam, qui non modò quadraginta dies ut longum nimis tempus rejiciunt, [*b*] verùm etiam omnem ſupellectilem ab omni virulentiæ ſuſpicione liberam eſſe contendunt; [*c*] & quod inde ſequitur, ſuffitionem pannorum, & cubiculorum tamquam inane hìc pavidæ mentis terriculamentum abjiciunt. Ubi enim de hominis vita agitur, nullum periculum vanum & ſuperfluum cenſendum eſt. Certé *Peſtis*, quæ anno 1675. Melitam noſtram obſidebat, Inſulæ vaſtitatem adtuliſſet, niſi deſtruendo, vel reprimendo contagio, ſuffumigiorum cautela adhibita [*d*] fuiſſet.

XI.

---

[a] *Frideric. Hofmann. tom.* II. §. IV. *ſect.* I. *cap.* XI. *p. m.* 93. [b] *Zacchias titul.* V. *lib.* IX. *p. m.* 749. [c] *vide Maſſariam ibid. p. m.* 3. *Item Diemerbroekium l. c. Item Arbutnot Eſſays &c.* §. IX. *p. m.* 243. [d] *Muratori del Governo della Peſte lib.* I. *cap.* IX.

XI. Fruſtra verò objiceretur a *Dimerbroekio*, *Peſtem* concipi ſine prævia ulla labe in mercimoniis Peſtiferorum: fruſtra teſtimonia ab Auctoribus fide dignis conſcripta, & contagioſas merces oſtendentia refellere niteretur; *Quia illi hæc*, inquit, [a] *non de ſua propria experientia proponũt, ſed tantum ex relatu proletariorum quorumdam de viliſſimę plebis fece Hominum* [*quì non tantum mendaces verùm etiam valde rudes, & creduli ſunt, atque imaginationes facilè aliis tamquam veriſſima oracula proponunt, vel ut nimis credulos irrideant*] *non videntur tanti certè momenti, quæ noſtram experientiam multijuga obſervatione, atque etiam ratione confirmatam evertere queant.* Hactenus ille: qui fruſtra, ut dictum eſt, laborat in rejiciendo omni viru contagioſo a *Peſtiferorum laneis* utenſilibus. Quandoquidem periculis ab eodem inſtitutis opponere liceat, quæ non minus veritatis ſigillo munita proſtant, & de quibus mox actum eſt; [X] quęque *Maſſiliam*, *Meſſanam* Teſtes oculatiſsimos, & luculentiſſimos habuerunt, ut proinde nefas ſit, illudque valde periculoſum, *Peſte* tactorum ſupellectilia ab omni lue vindicare. Demus interea tamen rem in illis *Peſtibus*, quibus *Diemerbroekius* interfuit, ita ſe habuiſſe, ut ab ipſo proditum eſt, quod ſanè nimium eſſet, quid tum? *Peſtis* venenum aliquando forſan poſſe contrahi ſine prænuncio veſtium fomite? Eſtò. Meminimus enim legiſſe, *Peſtem* Civitatem *Atrebati* bis invaſiſſe, nulla prægreſſa cum Orientalibus Populis per mercaturam communicatione: [*b*] Sed ſimul ultrò confitendum eſt, illud, ſi verum ſit, tam raro utique uſu venire, ut vix inter mille *Peſtium* ſpecimina unam reperire liceat, quæ per ſaltum infecerit, quæque per traducem non fuerit communicata. Ergo ne una aut altera obſervatio dubia, & fallax, quæ ſi vera, at ſaltem rariſsima eſt, in normam ſtatim ducetur? Neutiquam ſanè: Perinde ac Medicus hodiernis obſervationibus optimè inſtructus, ex eo quòd unum vel alterum periculum de contracta lue venerea abſque contagio offendat;

[a] *p. m.* 92. *de Peſte* [b] *Relation. de la Peſte de Marſeille ibid. p. m.* 370.

dat; [*a*] malè concluderet, luem veneream abſque præcedẽte labe in ſanos quoſque derivari.

XII. Neque ulteriùs urgeant quamplures, vigente adhuc epidemica *Peſte*, culcitras *Peſtiferorum*, ſtragula lecti, ipſaque etiam decumbentium corpora tetigiſſe, cum ipſis ægrotis intimè verſatos, quin de ullo concepto viru conqueſti fuerint, *licet nullus fomitis locus intactus relinqueretur*. [*b*] In ultima quippe *Peſte Maſſilienſi*, fatali heu nimis experiẽtia conſtitit, omnes damnatos, qui è Triremibus Ducis juſſu centeni quotidie ad humanda cadavera efferebantur; omnes inquam, eodem afflatos *Peſtifero* halitu, *libitinæ* ceſsiſſe. Quid quod in *Bovilla Peſte*, de qua ſupra, *hìc ad* §. v. & quæ peculiaris illi animalium ſpeciei videbatur, nihilo ſecius viſi ſint, qui Bobus propiùs adſtantes, contagioſo afflatu in vomitum, *diarrheam*, & abdominis diriſsimam *tenſionem*, peſsimè inciderint: [*c*] quemadmodum ergo ſcabioſus unus, pauciſsimo ichore, qui a cute manat, pluribus hominibus venenum affricat, qui ſinguli cum aliis totidem poſſunt idem communicare: Quemadmodum confirmatiorum *Phtiſicorum* ſputa adeò interdum venenata ſunt, ut Medicus illa olfaciens factus indé ſit *Phtiſicus*; [*d*] quemadmodum exhalantia e *Diſſenterici* cujuſdam fecibus corpuſcula inſpectantem Chirurgum *Monſpellienſem* eadem labe infecere, ut ſanctè aſſerere poſſum. Ita *Peſte* correptus unus obviis plurimis morbum infert halitu, vel effluviis, quorum unuſquiſque ſimili via, *Peſte* eadem totidem alios fœdare ſolet. Ita ſanè eadem experientia compertum eſt, diro vitio labefactari cõtaminarique poſſe *lanam*, & quodcumque ſpongioſum textile, ut aliis animatis, vel inanimatis corporibus illud infundant; qua exploratum habetur, odoramenta, per longam ãnorum ſeriem ſuam retinere vim, & pelles, pennaſque animalium, necnon Bombicem, *lanamque* ſimili vitio imbuere.

XIII.

[a] *de Vaux traitè des maladies genitales &c. article* v. *ſection.* I. [b] *Diemerbroek. ibid. l. c.* [c] *Sauvages ibid. p. m. 6.* [d] *Schenchius apud Frid. Hofmann. tom.* III. *chap.* XI. §. XVIII. *p. m.* 287.

XIII. Sed nec *Diemerbroekius* hac de re diſſentire ullo pacto videtur, ut qui contra expreſſè teſtetur, perniciem fœtidorum vaporum causã eſſe febrium *Peſtilentium*, diluatque e cõtrario adductas difficultates; ut qui experientia didicerit, *tempore Peſtis*, (ſine Lanciſio) locũ hunc mutuo ab Doctiſs. *Lanciſio*, [a] *in illis ædibus, in quibus nulla lues adhuc erat, ſi linteamina ſordida aqua & ſapone lavarentur, ea ipſa die, vel interdum poſtridie, duos treſve ſimul Peſte correptos fuiſſe; ipſoſque ægros teſtatos, fœtorem aquæ ſaponatæ illis primam, & maximam alterationem attuliſſe*: Hactenus *Diemerbroekius*, qui inſuper addit, particulas jam ante per aerẽ diſperſas, ſed nondũ aptam indolẽ ad lędendum adeptas additione effluviorum aquæ ſaponatæ deleterias evaſiſse. Quæ omnia, ut fictam & commentitiam de inſonte *lana* in *Peſte* communicanda fabulam funditùs convellunt; ita cauſam nobis adjudicant apertiſsimè, ut a quo argumenta adverſus noſtram *hypotheſim*, tamquam hac in re judice idoneo propoſita ſunt, illemet non levia ſuo Teſtimonio nobis rationum pręſidia ſuggeſſerit, quibus abſque ulla impoſterum trepidatione aſſeveremus, in linteaminibus ex lino, maximè autem ex *lana* derivatis contagium hærere poſſe; Præſertim ſi multiplici cœno referta, ex adventitia ſorde computreſcant, quæque proindé viſu gravia & odoratu fętida, nocentiſsima, & verè *Peſtilentia* evaſerint; quęque ubi incaluerint virus conceptum exsuſcitare, & externis primùm accolarum partibus bello indicto, univerſę dein hominis machinę vim atque ruinam intentare valebunt. Videantur, & cõferantur illa, quę in ſuperioribus noſtris, de fętido odore cõmentati ſumus, quem *ſupra cap.* VII. §. XV. & *cap.* VIII. §. IV. *paſſim*, opera ſerica diverſimodé condita halare ſolẽt in hominum perniciem.

XIV. Facilè autem condono, ut de hujus contagii in *laneis* villis, & omnibus *lanigeris* mercibus reſidentis veritate ambigatur, ſi *Peſtis* jam declinare cępit, vel in totum fugata eſt; ſi virus corporibus ceteroquin ſanis inductum fuerit; ſi aer *Peſti-*

[a] *lib.* I. *part.* I. *de noxiis &c.* §. VIII. *cap.* IV. *p. m.* 140.

Peſtilentiali *diatheſi* carens in nervum erumpere prohibeatur; hiſce enim, & quamplurimis de cauſis futurum arbitror, ut venenum v. g. a *lana*, vel ſimilibus ſupellectilibus exſuctum, & alioquin ibidem nidulans, tacitum equidem, & ſine ulla noxa ſileat, donec ſuccuſsione, quaſſatione, vel alio adhibito ſarcinarum motu, caput efferat, aut in Peſtilentem auram pronos jam impetat; vel vigente *Peſte*, activum magis redditum, incubatione velut, potentiùs exacuatur; vel favente tabida ambientis conſtitutione, mirum in modum ſerpat, inque longinqua arrogantiùs ſeſe diffundat. Inde habes quid de illa Nonnullorum difficultate dicendum ſit: nimirum ſi virus Peſtilens in ſupellectilibus (ajunt) panniſque cubaret, fore ut Regio ſemel infecta numquam a malo eſſet immunis; neque tanti eſſe roboris ſuffumigationem, quæ fit ad Civitatis purgationem, Civiumque tutelam, ut non majori adhuc venenati ſpiritus portione contaminata manſerint omnia, quæcumque demùm prudens ſolerſque in extirpatione ſeminii peſtilentialis adhibeatur diligentia. (*a*) Irreſolubile quippe foret propoſitum dubium, quodque noſtram opinionem penitùs everteret, ſi dum ſarcinarum veſtiumque *lanearum* efficaciam ad propagandum ferale virus inter *Peſtis* cauſas recenſemus; iſtud Contagii iter velut unicam & potiſsimam hujuſce ſæviſsimi mali originem admitteremus, vel ſolis viribus foveri, diſſeminarique *Peſtem* contenderemus. At enim verò præter hanc gravem Peſtiferamque lanuginis aſpirationem cauſam aliam epidemicam aſſumimus, & ſive commune quoddam aeris, ſive aſpirationum vitium ad ſeminium Peſtilentiale, e ſuis velut carceribus excitandum, requiri ſemper exiſtimamus: imò præter ea, quæ ab exterioribus pravè conſtitutis, aut uſurpatis ad Peſtilentiam ingenerandam, & propagandam repetenda eſſe, ſupponendaque opinamur; ſubjectorum quoque paraturam, ſeu diſpoſitionem internam, ad funeſtas *Peſtis* impreſsiones ſuſcipiendas abſolutè neceſſariam ſemper judicamus, ut cuilibet attendenti patere poteſt.

XV. Verùm inſuper addamus, quòd quantumcumque in aere

[a] *Arbutnot ibid.* §. IX. *p. m.* 243.

aere præexiſtens deleteria conſtitutio augendo viru opportuna ſupponatur; quantacumque in hominibus ſumatur aptitudo, quæ occurrentibus *Peſtis* corpuſculis ultrò patens eadem incredibili celeritate alat, inque alios traducat: Hæc tamen minimè ſufficient, niſi virus Peſtilentiale antea in corporibus inorganicis diu latens atque ſopitum, inde quaſi e fatali pyxide erutum explicatumque prorumpat, obvios quoſque promiſcuè invadat, paratos furiosè depaſcatur, domos veneni mobilitate ſubitò enecet, familias, civitateſque integras mira promptitudine, rapti e ſublimi torrentis ad inſtar, corripiat, devaſtetur, & funerum cumulo impleat. Certè nobis minimè dubium, imò potiùs altiſsimè perſuaſum eſt, inter vulgatas cauſas peſtiferum miaſma longé latèque intendentes & diſſeminantes potentiſsimas eſſe, quas *lanea* ſupellectilia, vel ſimiles materiæ ſuppeditant. Hæc enim ſunt, quæ luctuoſi hujuſce virus genio præprimis convenire videntur; quæ Peſtilentiam carceribus velut terminatam incluſamve aſſervant perdiu; quæ levi de cauſa tabificos halitus emittunt, ſaniſque corporibus tradunt; quorum proinde energiam funeſtam, & agendi motum hìc paucis juvat expendere.

XVI. Cui tamen conſiderationi (xv.) priuſquam nos accingamus, animadverſione non levi dignum arbitramur, *Contagium* non aliud eſſe, quàm *miaſma aliquod ab ejuſdem ſpeciei corporibus in alia vicina transfuſum*: Neque jam referre juvat, utrum aeris, an lymphæ fluidum, an verò ſolidum aliquid ſibi aſſumat vehiculum. *Contagium* ergo erit, quod ab infecta corruptaque jam corporis morbiferi *atmoſphæra* in aliam per traducem tranſit, & a ſimili corpore receptum proprios effectus edit. Ut autem diverſis illis effluviis natura diverſa ineſt, qua ſingula ſingulos morbos inferre valeant, quales advocare ſolent; ita novimus in tam affini hominum animantiumque conſtitutione uni tantùm ſpeciei ſic alligari ſævam luem, ut non temeré in aliam immigret. Beſtiarum *Suum*, pecudumque *Contagium* nihil habet cum hominibus commune: Quin *Peſtes* adfuiſſe, quæ bubulo generi bellum ad internecionem uſque indixerint, ceteris ruminantibus, & cornigeris illæſis, memoriæ prodidit

Ramazinus. (*a*) Sic apud Hipocratem (*b*) curioſa habetur morboſæ cujuſdam conſtitutionis, velut *epidemiæ*, quæ tantùm fullones ſuſtulit. Item ex *Plinii* teſtimonio, (*c*) aliquando Proceres tentari morbis, aliquando ſervos, obſervatum eſt. Ad hæc in quadam Populari ægritudine Viri potiùs afficiebantur, quàm mulieres; (*d*) & inter has graviùs ægrotabant famulæ.

XVII. Quando autem ea eſt contaminati aeris aut putoris vehementia, ut ſine ullo admodum temperamentorum delectu cuncta indiſcriminatim ejuſdem ſpeciei corpora diro tactu corrumpat, nec complexionum varietate frangatur, eludaturve: enim verò tum *Peſtis* nomen affectio meretur: quę a morbo *Epidemico* in eo differt, quòd ſpecie ſubtilis fluidi a pollutis jam venenatiſque corporibus (XIV.) intercedente aere, latice quodam, aut ſolido corpore (XVI.) in alia corpora expeditiſsimè transferatur, orbis urbiumque vaſtatrix. Hujus quidem ſingulare ingenium & proprietatem proximum eſt ut eruamus. Itaque.

1. In primis virus Peſtilentiale partibus corporis quaſcumque afficit, inflammationem, *gangrenoideam* inducit. Quæ quidem *phlogoſis* in lethalem gangrenam terminanda nedum ex ſumma, quæ in ſanguine tetra contagione affecto viget, ad concreſcendum promptitudine deducitur, ut ſupra dictum eſt, (VII) verùm etiam ex trium corporis animati Regionum affectibus, quæ coagulis purpureis infarctæ feré ſemper conſpiciuntur, eruitur, prout demonſtravit Illuſtriſsimus *Chycoeneau*. (*e*)

2. Præterea Virus peſtilentiale ſibi permiſſum, partes quas impetit rodit, atque exulcerat; acrimoniæ enim gradu ceteras contagii, & malignitatis ſpecies magno intervallo poſt ſe relinquit: inde vaſorum ruptio, effuſio liquidorum, *puſtulæ*, *exanthemata*, vel malignæ *petechiæ* variæ toto corpore

(a) *Conſtitution. Epidem. tom.* I. *p. m.* 85. (b) 7. *Epidem. num.* 39. (c) *Hiſtor. natural. l.* 7. *cap.* V. (d) *Hypocrat* 6. *Epidem. ſection.* VII. (e) *de Febrib. malign. Monſpell. anno* 1727. *p. m.* 9. *ſequent.*

pore ſparſæ: inde dolores punctorii deurentes, & alia ingentem Peſtiferi fermenti acutiem innuentia. Virus ergo hoc ita comparatum eſt, ut partibus ſuis, expoſita partium ſtamina, quæ ſtrinxit, criſpavit, inflammavit, tandem diſcindat, diſrumpat, diſſolvat, unde vaſculorum eroſio, & horrenda *gangrena*.

3. Ad hæc *Peſtis* ſeminium ſanguini ceteriſque liquidis inſtillatum ea in putrilaginem mirè convertit. Teſtantur infauſtæ *Peſte* laborantium *hemoragiæ*. Teſtantur hominum *Peſte* correptorum cadavera, quæ illico mirum in modum fœtent, intumeſcunt, & citiſsima putrefactione tabeſcentia, incredibilem *mephitim* exhalant. (*a*) Quamvis enim ſtimulo, & partium *erethiſmo*, quem primò creat, infeſta hæcce lues videatur congeſtioni humorum favere, mox tamen longiùs provecta, & ſuccorum vitalium texturam altiùs ſubeuns hanc perturbat, diſcerpitque ita, ut in tabum fluere cogat.

4. Demùm virus prædictum in diſtans operari natum eſt. Siquidem exiliſsimum eſt, quód in *Peſte* aer corporibus impertit nullo quidem ſenſu, ſed ſolo effectu percipiendum. Subtiliſsimus iſte venenatus ſpiritus, & agiliſsimæ naturæ materia mira volubilitate curſus, per univerſum, quà laté patet, corpus ſeſe diffundit: Sæpiùs enim in fumigatas ædes per ſpiſſa fumorum nubila penetravit fœda lues. Itaque *Peſtis* malum ingenti virulentiæ pernicitate ſtipatum eſt, quòd *contagio* eodem incredibili celeritate debaccetur, juvante ſcilicet quó, velut curru, vehitur aere.

XVIII. Ex hiſce planum eſt colligere, 1. indolem veneni Peſtilentialis duplicem eſſe, unam *acrem & inflammantem*, quæ ut aura venenata e corporibus infectis emergens, & ſuccis animatis indita fibrarum nervoſarum *erethiſmum*, & ſpaſmodicam ſtricturam univerſalem creat, irritat, ſtamina convellit criſpatque; Alteram *cauſticam*, & *putrefacientem*, quæ motu ſubtiliori atque inteſtino craſim, & unionem componentium deſtruit.

(a) *Frider. Hofmann. tom* II. §. IX. *p. m.* 95.

2. Venenorum claſſes tres admitti poſſe videri; *corroſivam* & *acrem*, *obſtruentem*, & tandem *narcoticam*: ſed *Peſtis* venenum acre nimiùm eſſe, quod ancipiti ſpiculorum acie ita dixerim, pungat, fodicet, irritet, ſecet, corrodat, lancinetque vaſcula, eadem inflammans, & exulcerans, patet ſatis; & quod inde ſequitur, (*a*) luem Peſtilentialem numquam ex ſe Mortales invadere ſpontaneo vitio, ſed ſemper ſoboleſcere traductione veneni cujuſdam, vel ſeminii inſititii, quod tragœdiam ducat, atque primitivam labem ceteris humoribus ſanis inurat.

3. Verùm *Peſtis* virulentiam ſanis hominibus inflictam (XVIII. num. 2.) pro novo humore, ſeu liquido tenuiſsimo habendam eſſe intra corpus admiſſo, ceteris naturalibus liquidis ſuperinducto, iiſque tabem inferente: atque in hoc ceteris fomitum venenatorum generibus infectione, & communicatione corpuſculorum quorumdam vitalia penetrantibus convenire, ut in *Rabie canina*, *Variolis*, *Morbillis*, *viperæ morſu*, & *Tarantulæ* viru cernere eſt; in quibus omnibus vitioſa humorum dyſcraſia, ſeu degener eorumdem compoſitio, ſuſcepti intra præcordia fermenti inqinantis effectus eſſe animadvertitur.

4. Materiem *Peſtis* non unica ſalivæ deglutitæ via ſanguini commiſceri, ut putavit *Muratorius*; (*b*) verùm etiam ejuſdem miaſmatis ingreſſui innumera cutis immiſſaria patere, ſive infundibula, quibus motu contrario introeunt, quæ foris influunt, ut ex utilitate tum Topicorum, tum maximé Balneorum aquæ tepidæ, manifeſtum eſt. *Confer tractat. de Balneis*, *animadverſ. noſtra* VIII. *paſſim.* Itaque noſtrum corpus tam per cutem, quám per pulmones, & hiantia oris vaſcula, & ventriculi vias tenuiſsimos cujuſcumque ſpeciei liquores imbibere aptum eſt.

5. Quin auſim aſſerere, illud contagionis iter, quod per ſeminii Peſtilentialis in cutis vaſcula introductionem habetur, omnium promptiſsimum, facillimum, atque adeo communiſſimum eſſe. Quia veneni tranſmiſsio certa, velox, copioſa futu-

(a) *Linden. de venen. l. c.* (b) *Governo &c. ibid. l. c.*

futura eſt. Contagem verò Peſtilentialem per ſalivam, ceteroſque intermedios liquores ſanguini affuſam, difficillimam, tardiſsimam, rariſsimam ratione contraria, quia traductio veneni incerta inde, lenta, pauca eſt. Infans e *Peſte* languentis matris papillis expreſſo nutritus lacte nihil omnino accepit incommodi. Quod ſemel atque iterum experientia comprobavit. (*a*) Venenum viperæ deglutitum vim omnem amittit, Docet *Redius*: (*b*) quid quod in poſtrema *Maſſiliæ Peſte* canes, ſueſque viſi ſunt Peſtiferorum emplaſtra ſanguinemque lambere, imò extirpatas Ægris inguinales glandulas tabidas (ſeminio *Peſtis*, ſi ullæ certè hæ corporis partes aſſervando perquám aptæ ſunt) avidè devorare, quin ulla *Peſte* corriperentur; Cúm econtra bilis Peſtilenti perfuſa halitu, & venis ſanorum animalium injecta (*c*) præſentiſsimum *Peſtis* fatum attulerit.

6. Minimè conſtare, quam ſpeciem diſſolutionis in liquidorum noſtrorum oceano illapſa inchoet adverſa infeſtaque lues. Diverſa quippe in hominibus deprehenditur putredo a *Contagio* inducta: Alia enim cernitur in *diſſenteria*, quæ & ipſa aliquando contagioſa eſt; (XII.) alia in *lue venerea*; alia in *Scorbuto*; alia in *Ulceribus*; alia in *Sphacelo*; alia in *febribus malignis*, in *Variolis*, & *Morbillis*; alia denique in *Peſte* obſervatur. Satis erit Medico, ſanguinem halitu peſtifero tactum non certò & ubique coagulari; quód plerumque in eo peſsimo malo tenuiores obſerventur humores, quám in ſanitate: *Papulæ* dein nigræ non tam coagulationẽ cruoris, quám ejuſdem corruptelam patefacere (*d*) videntur. Quamvis ex allata partibus abnormi contractione, neſcio quid fingentis etiam potentiæ, ſanguini ingeneretur; ſed quòd ab eadem (*confer ſupra* VII. *&* XI.) putrefactionis ſcaturigine proficiſci certum eſt.

7. Proinde ab advenientibus extus, ut cum *Sanctorio* proferam, *Peſtis radiis* humores omnes animalis vitium contrahere

(a) *Stalpartius l. c. obſerv.* XCIX. (b) *Eſperienze &c. l. c.* (c) *Relation &c. ibid. lib. cap. p. m.* 378. (d) *Gorter. de inſenſib. tranſpirat. in Aphor. Sanctor.* CXXXVIII.

trahere nedum poſſe, ſed re ipſa vitiari ſemper: cùm liqueat, luem Peſtilentialem concipi per res externas; communicari per aerem ut vehiculum: XVII. *num.* 4. traduci in alios per contactum corporum mutuum; recipi per inſpiratum a cute aerem Peſtiferum: XVIII. *num.* 4. E converſo eamdem frænari per ſeparationem ſanorum; cohiberi per ventilationem ambientis fluidi; impediri per combuſtionem ſupellectilium; abigi tandem per fugam, juxta illud:

Hæc tria tabificam tollunt adverbia Peſtem:
Mox, Longè, Tardè; cede, recede, redi.

Nonne enim quænam venena reperire eſt, quæ ſævitia uſque adeo inſigni pollent, ut, quamvis corpus non attingant, eminùs humoribus inſidientur, atque tetram fundant luem? (*a*) Nonne experientia conſtitit, in illa *Peſtilentia* a *Maſſaria* deſcripta, *ſupra* §. x. levi admodum brevique exiguæ veſtis contactu homines ut miſerrimè, ita facillimé in peſsimum morbum incidiſſe? (*b*) Neque alia ſubeſt ratio, quare induſia aceto imbuta ad *Peſtis* venenum avertendum adeo expertæ virtutis a *Diemerbroekio* cenſeatur, qui unica vice oblitus aceti, *Peſte* correptus eſt, ut ipſe narrat. (*c*)

8. Nihilominus tamen (quod Rei noſtræ præcipuum caput eſt) *lanam*, & quæcumque ex texto vellere, vel ſimili materia in uſus hominum confecta cedunt huic virulentiæ, quàm maximè obnoxia eſſe, peculiari quadam affinitate, qua *lana*, tabum, & omnia Lanuginoſa iſtiuſmodi & faciliùs contrahant, & altiùs imbibant. Sanè clarum eſt experientiâ, *Peſtis* illud toxicum, *lanarum* chartarumque ſuperficiei aſperæ inſperſum, in remotas terras deferri, & appropinquanti *atmoſphæræ* exitiale fermentum, nocentiſsimamque auram injicere. Poſſe tamen ex mercibus *Péſte* vitiatis ſurgere miaſma aliquod fluidiſsimum, mobiliſsimum, & *æthereæ* indolis, quod vicina corpora polluat, & rudiorum pannorum villos interpoſitum transferri aliorſum queat, gratus ille licèt, viroſus tamen odor, quem Miſerorum corpora ſpirant, ædibus,

(a) *Conf. Haller: in Boerhav. in tom.* VI. *p. m.* 374. 375.
(b) *Idem ib. lib.* II. *p. m.* 36. (c) *Apud Haller ib. p. m.* 386.

bus, ædiumque parietibus affixus [*a*] ſignificare videtur: cum illo enim fermenti Peſtilentialis idea in aerem, ex aere dein in adſita, & diſpoſita jam corpora repit, & *contagii* noxam infundit. Cújus rei ulterior ratio inde repetenda videtur, quòd poroſa cùm ſint corpora, quæ *lanata* ſunt, venenum faciliùs abſorbeant, quemadmodum rarum habentes *pulmonem*, ſeminio *Peſtis* præceteris obnoxii eſſe videntur; [*b*] quòd tenuiſsimum cùm ſit, & tranſpirabile peſtilentiale venenum, *lanoſas*, & ſimilis fabricæ res eligere videatur, in quibus, pręſertim ſi *lana* ſuccida ſit, tenaci quaſi involucro adhæreſcit uſque adeo, ut nullis contrariis ventis, aut mutata aeris temperaturâ deſtrui, obruive poſsit, ſed quietum inter villos ſilens, taceat virulentiam ſuam, donec arrepta occaſione, magna obvios quoſque clade afficiat; quòd madidis in aceto *Pannis* veneni illius portentoſum robur hebeſcat, (XVIII. *num.* 7.) utpote naturæ cauſticæ, & *alcalinæ*; [*c*] quòd tandem exempla non deſint venenati halitus, qui ſingulari & imperſcrutabili cognatione corporibus quibuſdam præceteris conferatur. Sic fermentum *varioloſum* optimè traducitur per *Inoculationem*, ſi guttulæ aliquot puris goſsipio, linamento, *lanave* exceptæ ſanguini affundantur: ſic *leproſum* virus veſtis *lanea* avidiſsimè exſugit, & ſanis partibus communicat; quæ proinde comburenda ad morbi ſanationem meritò jubetur. [*d*] Quidni ergo *Peſtis* fomes poterit quoque per traducem ex pannis *laneis*, ubi ſedem habet, pari ratione optimè valenti corpori immitti? Quidni peſtilentia *Contagii* ſoboles per contagem quoque vitalium ſuccorum fluento noxam ſimilem inferre? Præcipuè cùm videmus corpora quæcumque ſubſtantia ſolidiore & denſiore conſtantia, adeoque omnem aerem reſpuentia, nullam [*e*] contagioſam affectionem contrahere. Non ergo mirum, ſi *laneos* loculos, ubi meliùs recondatur, peſtilens aura præ reliquis corporibus affectet, ſibique

(a) *Relation. de &c. ibid. p. m.* 454. [b] *Sanctor. Aphor.* CXXXV. [c] *Confer James dictionaire &c. tom.* V. *p. m.* 473. 474. [d] *Vide Leviticum ex Gloſ. tom.* I. *p. m.* 238. [e] *Maſſarias ibid. lib.* I. *p. m.* 15.

bique eligat: & ſi antiquitùs abraſa, ab Athletarum corporibus ſtrigmenta ſanis fœta ſpiritibus in uſus Medicos aſſervabant, ut plurimi venirent: (*a*) quantò truculentius futurum eſt virus, quod fumanti e cute morbida aſſurgens, in *laneos* molles villos ad contactum poſitos hæreat oportet, inibique ſileat, dum in obvios incolumes ſimili hoſce virulentia veluti ſuis e latibulis excitatum, & calore excuſſum invigoratumque, afficiat.

9. Cauſas communes nonnaturales, imprimis aerem, non ſibi innato inſitoque pridem veneno, ſed accepto & adventitio vitiari; tum quòd a finibus cujuſdam civitatis v. g. prohibita *lanâ*, aliiſque utenſilibus, nulla tabe, nullave *Peſte* corripiantur homines; tum quòd priuſquam (*ſupra hìc* §. III.) occultatum in ſupellectilibus *Contagium* Urbium veſtibula penetret, nemo *Peſte* affici ſoleat; afficiatur tamen eo ipso ſanè temporis articulo, ubi in eodem loco, non autem alibi; incendium de foris adveniens exardere incipit; tum quòd eumdem aerem animalia hauriant, quin Peſtilentiam concipiant; tum quòd aer flante vento mutatus in Urbibus jam infectis ſecum duceret omne inquinamentum, *Peſtemque* deleret, quæ tamen in illis locis perdurat donec extinguatur utenſilium ceterarumque rerum commeatus, per quas aer oberrans corrumpitur. Sic ergo cum *Sanctorio* tenendum eſt: *Res Peſte infectas*, ait, (*b*) *inficere .... noſque infici halitu ſupellectilium*. Quis enim ignorat, ut modó oſtenſum eſt, *Coroll.* 8. §. XVIII. ſævíſsimam hance homines depopulantem luem ad remotiſsimas non raró Plagas devectam fuiſſe, miſeri cujuſpiam non ſolùm ejuſmodi tabo putreſcentis appulſu, ſed brutorum etiam, veſtium, utenſilium, chartarum, & ſimilium commercio, in quibus venefica aura concluderetur? Nonne, ut brutorum peſtem prodam, bubulcus ille, qui morboſo armento poſtquam operam dediſſet ſuam, præſepe aliud ingreſſus, ubi optimè valentes boves ſtabulabantur, [*c*] om-

---

(a) *Mercurial. ibid. lib.* I. *cap.* IX. *p. m.* 13. [b] *Aphor. ibid.* 126. 127. 128. [*c*] *Confer Lanciſ. de Bovilla &c.* §. XII. *part.* III. *p. m.* 50.

omnes eos *Peſte*, quæ veſtibus ipſius adhæſerant, corrupit? *Confer ſupra hìc* §. x. *Quòd ſi quis aliorum teſtimoniis adhibere nolit fidem*, inquit Maſſarias, [*a*] *adhibeat experientiæ, quæ utinam magno cum noſtro malo non confirmaret, quamplurimos commercio eorum, qui* Peſte *laborant, ſæpenumerò facilè contaminari. An Peſtilentias noſtrorum temporum ab antiquioribus diverſas eſſe credimus? An magis graviſſimos, & ſolertiſſimos homines tam ſtupidos & bardos fuiſſe exiſtimemus, ut rem illi non animadverterint, vel aliis demonſtrantibus, vel ſenſu ipſo unicuique patentem, & maniſeſtiſſimam? Id quidem tam abeſt ab omni tum veritate, tum veriſimilitudine, quàm quod maximè*. Hactenus ille.

10. Minimé mirum eſſe, de fallitate *Contagii* opinionem plures habuiſſe Sectatores, atque de timore, & terrore ingenti, velut *Peſtis* cauſa primaria, in Scholis ſententiam viguiſſe, quam in Oratione ſolemni in Monſpellienſi *Fano* olim habita Illuſtriſsimus *Chicoyneau* ſi non primus tenuit, [*b*] at ſaltem primus omnium evulgavit, & omnibus dicendi præſtigiis, lenociniiſque tueri ſtuduit. Non mirum, inquam, videri in illis præſertim Urbibus peſtilentiali jam incendio flagrantibus, in quibus Spectrorum ad inſtar, Medici roſtro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo, veſteque talari deformes, dum nimirum ſibi proſpiciunt, pluribus exitio ſunt, ipſiſque bona valetudine fruentibus [*c*] non modò formidinem, ſed & mortem ipſam conſciſcere ſolent. Neque mirum præterea in talibus hominibus, in quibus ſingulari quadam corporis *idioſincraſia* pavor ad eundem gradum aſſurgeret, ad quem Peſtilentialem malignitatem evehi poſſe, credibile eſt. Notum enim eſt, terrorem non modò eſſe morborum cauſam, (*d*) verùm etiam ſimptomata *Peſtis* cum effectibus terroris mœroriſque, qui immediatè & primariò nervos impetunt, convenire; atque inde tenuem, & ſtupendæ exilitatis vaporem Peſtilentialem in nervos incitatum omnia mœſtitiæ mala inducere.

 11. At

[a] *Ib. p.m.* 10. [b] *Conf. Peklin. obſerv.* 21. *l.* 11. & *obſ. de* Peſte *l. c.* [c] *Geoffry ib. n.* v. *p.m.* 196. (d) *Peklin. ib. obſerv.* 23.

11. At verò certis adeò, firmiſque argumentis *Contagium* hodierno tempore fultum eſſe, ut conſpiciendum ſe cuilibet vel reluctanti ultrò ingerat, ipſaque *Contagii* migratio tranſ-fuſioque apertiſsimè, & invictiſsimè tam oculorum, quàm mentis acie conſpiciatur. Amplectatur quicumque velit opinionem contrariam, §. XVIII. *num.* 10. ſibique de ſuavi hocce invento, ſeu potiùs gratiſsimo mentis errore congratuletur, modò ſequentes nobis rationes evolvat. Quî fit nempe, ut Hypocondriaci diutiſsimè a morbis immunes perſtent, quos diutiſsimé timuerunt, ſi terrori tantum inſit virium, ut morbos, qui vividè formidantur, creare valeat? Qua ratione contumax *Lues* in conſtantiſsmos *Senecæ* Sectatores, Sapientiſsimoſque Viros altiſsima mentis tanquillitate fruentes graſſetur nihilo ſeciùs, omnemque firmi paratique animi vim, & lætitiæ omne robur eludat? Cur in Bovillo genere, a quo omnis prudens cautio, omneque conſervandæ vitæ ſtudium abeſt, neque adeſſe tantus pavor poſsit, infanda *Epidemia* tantam ſtragem edidit, quæ poſtea cuncta propemodum Armenta delevit? *Confer hìc* §. XVIII. *Coroll.* 9. Unde nam remotæ adhuc ab hominibus *Peſtis*, neque imaginatione adumbrati mali, in omnium tamen primo correpto homine flagelli timor, & infauſtum omen exortum eſt? Aliam ergo comminiſci cauſam *Peſtis* oportet, vel naturalia phenomena, ſed intricatiſsima noſtro ingenio metiri, atque eruere; quod negant tamen eſſe Sapientis.

12. Quòd cùm certa & indubitata experientia innoteſcat, præfatum *contagium* de *lana*, lanuginoſa quacumque ſupellectili in Sanos tranſmitti; pervincatque notiſsima rei veritas, *Peſtem* nulla ratione, quàm per traducem, diſſeminari, propagarique, inde clarum eſſe, communicationem iſtam trifariam contingere poſſe, & debere: 1. *In diſtans*: interventu ſcilicet aeris, in quem morbida corpuſcula vibrentur, etſi nullis ſenſibus obvia. Sic magnes odorem nullum præbet, copioſa tamen emittit effluvia, quibus ferrum attrahitur: Sic *Amuletorum*, in eo de quo loquimur morbo, virtutes fida experientiâ conſtiterunt, non alia quàm halituum emanantium præſtantiâ explicandæ: Sic concluſus ſtragulis,

veſti-

veſtimentis, aliiſque rebus, vel locis, aer peſtilens apertis hiſce, corpuſcula peſtifera & contagioſa ſanorum corporibus ingerit. *Confer* §. x. 2. Per *fomitem*: jacendo ſcilicet in iiſdem linteis *Peſte* decumbentium, induendo eaſdem veſtes: Sic Boves paſcendo herbas corrumpunt: ſic animalia odorando infectas faces, eandem labem concipiunt: Sic tactu mercium morbidarum homines, velut fulmine tacti, illico concidunt. 3. *Contactu immediato*; in quo liberrima, promptiſſima, incoercibilis, & ſummè exitialis eſt veneni peſtilentialis emiſsio atque traductio. Sic præpoſtera ulcerum, bubonumque peſtilentialium contrectatione Chirurgi, *Peſte* laborantibus obſtetricantes, luctuoſa experientia ſæpiſsimé cecidere: Sic immunes aliàs, iſtiuſmodi maligna aura Conjuges imprudenti coitu ſæva *Lues* jugulavit.

XIX. *Contagii* in *laneo* corpore præſentiam, ejuſdemque eruptionem, & in Sanorum corpora tranſitum veriſsimis rationum præſidiis comprobatum dedimus; ejuſdem propagationis modos pro virili perluſtravimus, evicimus. Præterea *Peſtiferi* ſeminii naturam, qualitatem, agendique rationem, quantum nobis per phenomena licuit, poſt experientiam indagavimus, eruimus, dilucidavimus. Demum enucleavimus, quibus viis virus illud e *lana*, ceteriſque affinibus rebus profectum in ſanguinem commeare poſsit. Reſtat modò detegere, quo pacto *Peſtis*, ejuſque fermentum tam diu aliquando latere intra Mercium, *lanearumque* ſarcinarum infectarum interſtitia ſine noxa poſsit.

XX. Jam dudum experientiâ compertum exploratumque eſt, & triſtiſsimis exemplis comprobatum, virus *Peſtilentiale* corporibus coercitum clam interdum ſilere ad multos annos, eaque ratione ad longè diſsita loca, Mercaturæ ope, transferri. Præterea ubi primùm ſopita *Peſtis* credebatur, vel nulla adeſſe ſuſpicaretur, *Hydræ* inſtar ſponte repullulaſſe, & giganteo paſſu, incredibilique celeritate propagata legitur, viresque ſumpſiſſe eundo: neque hac de re pericula deſiderantur. Sic *varioloſum fermentum* in ſeram ætatem differtur, atque abditum, & texturæ fortè corruptarum rerum infixum, diutiſsimé abſconditur, in tempore emerſurum, & lethali

 ſuo

ſuo robore innocua mortalium corpora invaſurum: Sic virus *hydrophobicum* nedum per multos a morſu dies, verùm etiam aliquando per plures annos ſopitum manet in corpore, priuſquam vires exerat. Mira ſanè obſervatio [ut obiter dicam] hac de re extat, quam mihi in familiari quadã epiſtola gallicè tranſmiſit Vir humaniſsimus, mei amantiſsimus, Univerſitatis *Monſpellienſis* Medicinæ Doctor, & Medicus Avenionenſis, nomine *Gautier* filius, quæ latinè verſa ſic ſe habet:

Anno 1754. *Menſe Januario, Lutetiæ Pariſiorum - Cùm Trichlinarches Principis Rhotomagenſis diu petitam Parentibus Virginem in uxorem duxiſſet, celebratis nuptiis, Sponſam in cubiculum ducit. At vix ingreſſus Ille puellam ſubpalpaturus, cùm, lætitiâ in rabiem verſa, & ex blanditiis in furorem abreptus, Sponſam devorat. Fremit, ſtridetque Miſella, & horrendo ejulatu ædes complet. Dum autem accurrunt trepidantes Servorum greges, & in thalamum ultrò penetrant,* [mirum dictu] *non Sponſæ humanam effigiem, ſed ſpectrum informe uncinis veluti laceratum, vultum partim voratum, partim cruenta & miſeranda clade exeſum confectumque, non ſine lacrymis, ſtupent. Cùm autem Princeps Obſonatorem illicò morti dari juberet, tunc opportunè mentem ſubiit, illum jam pridem a cane rabido morſum fuiſſe.*

Itaque virus jam a longo tempore occultatum, æſtro venereo exaltatum, vimque ſuam exerens, luctuoſi ſpectaculi cauſa fuiſſe videtur.

XXI. Fuerunt qui innoxiam noſtri veneni aſſervationem in *lanea* ſuperficie negare auſi ſunt, putaverintque, *Peſtem* limitato plurium annorum decurſu, ita tamen ut 25. vel 30. annos raro excedat, reverti, & denuò abſque contagio veſtium, aliorumque inanimatorum corporum commercio graſſari: Id quod motui telluris in vortice Solari quoad poros declinanti adſcribunt. [*a*] Sed futiliſsimam, & ſtultiſsimam hance ſententiam dies clarior abunde delevit. Verùm non poſſumus, quin indignabundi in illos invehamur, qui bilem ani-

[a] *Ap. Manget. Biblioth. ſcriptor. l.* x. *tom.* 2. *p. m.* 62.

animalium ſanguini affuſam *Peſtem* primariò communicare, volunt oſtendere. (*a*) Hiſce enim difficillimum foret explicare permanens & ſtabile in illo liquore peſtiferi tabi ſilentium; ut quod e ſanguine derivatum, & in ipſum denuò repens, & naturali jugique circulationis orbita quaſſatum agitatumque, ſuſdeque motum, inverſum loculamenta nulla habere, vel ſervare queat invia inacceſſa, quibus veluti totidem pyxidibus partes fermenti *Peſtilentialis* incarcerentur retineanturque, ne exhalent in auras, aut ne aliarum mollecularum vinculo [*confer ſupra* XVIII. *num*: 4.] tandem immutentur.

XXII. Sed quid opus eſt figmentis, quorſum abditiorem hujuſce effectus originem inquirere ſatagimus, cùm ex certiſsimis feralis iſtiuſmodi miaſmatis notis quæſtio dilucidari, ſolvique poſſe, videatur? Putamus equidem, diverſas eſſe rationes, quare ſopitum diu obdormiſcat innocuum in *lana* virus; diverſas quoque cauſas, quarum auxilio ex inſidiis tandem erumpat, magnam hominum ſtragem editurum.

XXIII. Forſan ex parte virus, quod latere in ſupellectilibus ſupponitur, neceſſarium illud videtur, ut ſit nimia quantitate collectum. Virus enim tantò fortiùs & efficaciùs aget ceteris paribus, quantò magis abundaverit. Hinc quò plures ſarcinulæ, merciumque *lanearum* faſciculi eadem infectione correpta fuerint; quò plura hominum corpora iiſdem venenatis partibus afflata, eò terribilior inſurget cædes; neque aliam excogitari poſſe rationem ſentio, cur in Populoſiſsimis civitatibus *Peſtilentia* crudeliſsimè debacchari ſoleat, corpora depaſcendo, dum de domo in aliam, ex iis in vicos, ex vicis compita, plateaſque proſerpens, rapidiſsimam ſtruit perniciem: Major enim hominum infectorum, ſtragulorum, aliarumque rerum, quibus inſedit virus, pars & numerus pro *Peſtis pabulo*, eoque in dies ampliato, meritò habenda ſunt.

XXIV. Fortè ex parte ejuſdem veneni requiritur, ut ſi non ſit multum, at ſaltem nimis acre, & ſummè exitiale. Nam-

(a) *Deidier apud Relation. &c. ſupra.*

Namque virus eò magis efficax, & actuoſum futurum eſt ceteris paribus, quò tenuius, acrius, ſubtiliuſque erit. Quod ipſum ex triplici fonte repetendum cenſemus. 1. Ex nativa temperie aeris: Sic in Regionibus ferventiſsimo Soli expoſitis contagioſa *lues* ſemel concepta nimio loci calore ita adtenuatur, ut ſalubritatem loci perpetuò infamet, fiatque ex *epidemico* morbus ferè *Endemicus: confer hìc ſupra* §. 11. proindeque Mercium ope importatum malum hiſce cognatione quadam adfigitur, atque ita implicari conſuevit, ut perdiu cum ſua, quam primitùs contraxit, malitia in *lanæ*, lanearumque rerum poris occultetur. 2. Efferatur reconditum virus ex diuturnitate elapſi temporis, ex quo utenſilibus inhæret; quemadmodum in illis mercibus videre eſt ſupellectilibuſque, ubi jamdudum exhalantes pernicioſi & contagioſi halitus ſomno velut ſoporantur. Sic ſuperiùs vidimus in illa officina, de qua *Falloppius*, (§. x.) diutiſsimé *laneas* telas, cúm clauſæ fuiſſent, eâdem patefacta aerem infeciſſe, & obvios quoſque extemplò corrupiſſe: Sic Peſtiferorum conditoria calce obruta, & cementis obfirmata, cautè cuſtodiuntur in ſæcula, ac capitis pœnâ prohibetur, ne umquam illa pandi reſerarique valeant. 3. Invaleſcit virus ex mercibus agitatione qualibet inducta; quo fit, ut obdormiſcens, ſparſaque inter pannorum *lanarumque* ſpatiola villoſa fermenti malitia excitetur, & collectis viribus truculentiùs Mortales inſiliat. Sic in *Chemia* ſales non pauci disjuncti, nullo nocumento, conjuncti verò maximo ſunt: Sic in *Peſte Bovilla*, contagium a bove *Pannonico* contractum non antea in vicinia *Peſtem* inter *Armenta* diſſeminavit, quàm ubi incommoda navigatione, pravoque beſtiæ halitu auctus collectuſque fomes ſufficientem veneni illuviem congeſſerit. (*a*) Sic cadaverum *Peſte* denatorum emanationes frigidæ cùm ſint, nullove calore motæ, non adeo periculoſæ (*b*) cenſentur.

XXV. Forté ex parte aeris non quælibet conſtitutio deleteria

(a) *Lanciſius ibid.* §. XII. *p. m.* 50. (b) *Arbutnot ibid.* §. VIII. *p. m.* 242.

teria extricandæ *Peſti*, & venenatis particulis e lanuginis compage evocandis foras idonea eſt. Conſtat quippe, dum ab ægro in ſanum corpus derivantur morbi, profluere ex illo, influere verò in iſtud quidpiam ſubtilis, agilis, penetrantiſq. aut ipſius cauſę mortiferę Peſtilẽtis, quod portio ſit, aut ſaltem cum iſta cognitionem habeat, & eamdem agendi rationem poſsideat. Hos verò horrendos ſpiritus facilè dabis, in aera præſens, & corporibus superincumbens continuò educi, in ipſo oberrare, & cum eodem, qua data porta in ſubjecta diſpoſita, *ſupra* §. XIV. XV. ingreſſum contendere. Cuncta enim corpora ejaculantur effluvia quædam nunc longiùs, nunc propiùs, nunc largiùs, nunc remiſsiùs; quorum alia in fluido aereo facilè diſsipantur nullius futura virtutis; alia verò principio lentiore, & glutine quaſi quodam conſtricta, hærent inviſcata, naturam tamen ſuam malignam uſque tuentur, nec facilè evaneſcunt; Imó etiam poſtquam in medium idoneum ſe inſeruere, cum eo in longinquos terrarum tractus deferuntur diutiſsimè ſuperſtites. Notum ergo eſſe debet, fluidum aliquod aut fluidi receptaculum inveniatur oportet, quod miaſma *Peſtiferum* in aliorum corpora transfundat, quocum in remotas Oras diffundatur. Itaque aer, quamvis proxima *Peſtis* ſcaturigo minimè ſit, §. I. certiſsimum tamen medium fluidum habetur, ope cujus exitium corporibus pollutis exemptum expeditumque longiùs viciniùſve convehatur, & ubique commigret; cujus etiam adminiculo ferale miaſma, antea deſide & otioſum, vel altè ſepultum quaſi e totidem vaginulis promatur, & ſcenas agat plerũque funeſtiſsimas. Nempe

I. Si conſtitutio calida, & humida, & veré Auſtrina terris antea incubuerit, quæ ſive *verminationi*, ſive exacerbationi veneni mirum quantùm apta eſt. *ſupra* §. II. V. VI. Sic Illuſtrium Authorum, qui de *Peſte* ſcripſerunt, crebriori praxi abundè patet: *Frigente cœlo Peſtilentiam vel penitùs deleri, vel fugam meditari; quamvis enim tam hyeme, quàm æſtate, tam ſicco, quàm pluvio, tam temperato, quàm inæquali cœlo graſſari ſolet; æſtu immoderato tamen*, (a) *atque æſtate affligit magis*.

(a) *Maſſarius ibid. l.* I. *p. m.* 12.

2. Si uberiorem influxuum, tabidorum copiam aer ſecum vehat, tantò efficaciùs corpori animato ingerendam, quantò plures patent *contagio* viæ. Sic expuitio continua ſalivæ laudatur, ut *prophilacticum Peſtis*: Sic orti derepente proſperi ventorum flatus, aerem auferendo vel purgando, quãtitatem corpuſculorum Peſtilentialium imminuerunt, vel fregerunt, non raro feliciter.

3. Si ceteris paribus parcam, exhalationum veneficarum vim intra ſe fovens aera aliqua de cauſa incaleſcat ea ratione, qua ad exacuendam virulentiam opus eſt. Sic in præcitata *Maſſiliæ Peſte* utenſilium combuſtio, ignis accenſio, ſulphuris, arſenici, & ſimilium fumus tantùm abfuit ut loca tabe infecta mundaverint, ut, potiùs oleum velut camino adjicientia, furentem jam Peſtilentiam in evidentiorem lucem protraxerint.

4. Si *atmoſphæricus* aer pacatiſsimè quieſcat, neque ullis ventis perflatus ſit: Sic enim futurum eſt, ut magis ac magis in dies aſpirationibus infinitorum cadaverum morbidis affluat, atque ulteriorem putrefactionem intendat: ſic ſi putrefactis alia addantur putreſcibilia, & ipſa quoque cúm in aerem evaſerint, totam aeream maſſam in corruptelam convertunt: Sic multùm in *Peſte* juvat, contaminatum aera removeri, vel hominem a vitiato aere fugere: Sic ruri, quàm in Urbe meliùs commorantur: ſic tandem nihil magis putredinem tollit, quám larga ventilatio; (*a*) quod tam in corporum, quám in aeris [*b*] inquinamento clarum eſt.

5. Si putridis inflammabilibus, oleoſiſque moleculis ipſa aeris maſſa referta ſit: Sic prægreſſæ cœli, nocturno præſertim tempore, coruſcationes, & diu durantes omen imminentis *Peſtis* non ſemel dedere: *ſupra* §. 11. Sic in Fodinarum altiſsimarum cuniculis commodiùs interdum reſpiratur, dum aer ibi certo ſalium exoticorum agmine coagmentatus pravas in alio externo exhalationes morari aptus eſt: Sic imbutum aceto, ſale tartari, & alio conſimili præſidio inſtructum

(a) *Sanctor. ibid. aphor.* cxx. [b] *Gorter. de inſenſib. p. m.* 171. 172. *ſequent.*

tum aera, vel veſtimentum quodcumque, dum de induſtria ori applicantur, ſalubriorem inſpirationem [*a*] efficiunt.

6. Si tandem (quanta emim Mediusfidius, & quàm diverſa in hanc rem poſſent adduci ſcitu neceſſaria!) viciniùs corpori animato ſugenti adſtet aer: Sic in Peſtilentia illa a *Thucidide* deſcripta notatum legimus, quamplures Medicos, cùm primùm ægros adibant, protinùs extinctos fuiſſe: [*b*] Sic qui eadem cum ægris domo continentur, vel effluviorum impetui magis patent, omnium primi noxam incurrunt: Sic ad arcendos lethales vapores *Peſtilentia* affectis, vel in *Lazaretis* commorantibus Sani, *confer. ſupra* §. XVIII. *num*, 7. eminùs alloqui ſolent.

XXVI. Neque minùs experientia clareſcit, ad ſuſcipiendam *Peſtem* corporis prædiſpoſitionem concurrere. *confer ſupra* §. XIV. Sic corpora, quæ ſpongioſioris, rari, & poroſioris ſunt habitus, longé citiùs & graviùs aliis hoc morbo decumbunt; [*c*] eadem prorſus qua diximus ratione, *ſupra* §. XVIII. *num.* 8. 9. *lanea* omnia, & villoſa corpora firmam Peſtilenti miaſmati præbere ſedem: Sic venefica ſtupendæ tenuitatis materia, quoniam primariò nervorum ſtructuram labefactat, primariò quoque timidos, pavidoſque præ aliis corripit, enecatque. (*d*) Requiritur ergo diſpoſitio ex parte Subjecti, qua deficiente, venenatæ molleculæ corpus incaſſum ſubeunt, vel in eodem inertes, & ſine ullo notabili robore jacent, quin aliquando abſque inſigni damno in auras perduntur, atque ſolvuntur. An non Fides adhibenda *Lanciſio* Viro tam eruditiſsimo, qui ſcriptum reliquit in *Boum Peſtilenti* morbo non ſenes, atque ſtrigoſos boves, ſed qui florida erant ætate, robuſtiores, & obeſos illa labe (*e*) de medio ſublatos? Rurſus cum inſpiratum miaſma, vel abſorptum a cute, utpote ethereæ, & ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ, poris omnibus ubique admittatur, inque liquidorum maſſam per-

[a] *Arbutnot ibid. p. m.* 135. [b] *Maſſarias ibid. l.* 1. *p. m.* 10. [c] *Fridericus Hofmann.* §. V. *tom.* II. *p. m.* 94. (d) *Geoffroy ibid. num.* 11. *p. m.* 170. 171. (e) *ibid.* §. XIII. *p. m.* 51.

tingat, patet ſeviùs, & truculentiùs illud in eos debacchatũ iri, quorum pellis meatibus actu hiantibus, & plurimum laxis pervia eſt, quàm in ceteris hominibus. Demum *Peſtilenti* Cœlo homines; qui chronicé laborant, iique languidi, optimè habent, & hydropici ferè ſanantur, ſola pulcherrima Pubes (*a*) perit, & plethorici homines. Itaque major, vel minor infectionis vis paraturam ſubjectorum ſupponit, atque temperiem.

XXVII. Si ut communis, & plurimis nota obſervatio eſt, acceſſerit in homine meticuloſa *Peſtis* idea, & conceptus inde animi conſternati mœror ad tranſpirandum virus proclivior evadit. Hiſce ſiquidem conditionibus vagum in toto aere Peſtilentiale virus corporibus ita affectis captatum imbibitumque, ob nimiam vim motus ſpirituoſi laticis metu jam, atque pavore languentis aditum facillimè inveniet *contagium*; vel jam ſemel intra corpus admiſſum, ob labaſcentem ſpirituum animalium lentiſsimè fluentium irradiationem difficillimè e corpore ejicitur. Notatum id jam olim eſt in *Peſte Neapolitana*, qua magnus ille vir *Marcus Aurelius Severinus* interiiſſe quoque dicitur. Animadverſum etiam in *Peſte Lipſienſi* quantum poſsit ſæviente *Peſte* incuſſus mortalibus timor, atque præſentiſsimi lethi triſtis imago. (*b*) Et verò planè affinia ſunt quæ *Diemerbroekius* (*c*) obſervavit, quæque poſt illum non infimæ notæ Viri excogitarunt, *ſupra* §. XVIII. *num.* 9. 10. formidinem nempe in *Peſte* venenoſum miaſma velut combibere, ejuſque incubationi excluſionique aptiſsimam eſſe: quamquam, ut diximus, ſola mœſtitiæ idea generando viru impar ſit, niſi de foris illud advenerit, externumque traductionis fomitem habuerit; quem in ſupellectilibus, maximè autem in laneis, iiſque infectis, jurementò repoſuimus.

XXVIII. Ex hactenus dictis, ne longiùs excurrat oratio, & ad majorem de *lana*, & de rebus *laneis* ad contagii Peſtilentialis admiſsionem, præ ceteris textilium generibus maxi-

(a) *Haller in Boerhav.* §. 886. (b) *Conf. Peklin. obſervat.* XXI. *lib.* III. *p. m.* 445. 446. (c) *Ibid. l. c.*

maximè diſpoſitis confirmationem, colliges facilè ad ſequentia dubia reſponſum, ſcilicet:

1. Cur *Contagia* Animantium ab hominum *ſphæra* repellantur; atque Hominum *Peſtis* Brutorum corpora intacta dimittat.

2. Cur *Peſtis* ejuſdem complexionis homines, aut contubernii Hoſpites plerumque celeriùs invadat perimatque.

3. Cur infinitis propemodum modis & homines poſsint & bruta, quin & venti peſtilentes radios convehere, illoſque longiùs conſerere.

4. Quare aliquando *Peſtilentia* clam inſidietur, quouſque aperta invaſione certiſsimam perniciem Animalibus afferat.

5. Quid eſt, quod Quidam impuné inter morbidos commorentur; alii vix dum illic ſe conferunt, tabe ita ſubitò afficiantur, quaſi non illam illinc accepiſſe, ſed ſecum ipſi tuliſſe videantur.

6. Quare homines læta & integra ſanitate potitos, necnon a Peſtiferorum cętu longè degentes, *Peſtis* nihilominus corripere, & occidere ſoleat.

7. Cur non ita ſemper exundant Peſtifera in aere miaſmata, ut totam ejuſdem ſubſtantiam peſſundent.

8. Quamobrem nonnunquam interjecto quodam intervallo, Peſtilens illud tabum in utenſilibus aere, ſanguineve reconditum ſtatim & improvisò ſe prodat, vireſque ſuas in nervos primùm, mox in ſanguinem exſerens, *Peſtem* demum manifeſtet.

9. Quorſum poroſa corpora, non indiſcriminatim cuncta, atomos peſtilentiales ſugant, & attrahant; verùm requiratur ad illam abſorptionem, neſcio qui neceſſarius ſit affinitatis conſenſus.

10. Quid eſt cauſæ, cur non minùs intimiori contactu, quàm halitu *Peſtis* inficiat, & diu perdurare ſopita valeat.

11. Quid eſt, quod res *Peſte* cõtemeratæ corrũpant vicinas, quouſque duraverint proximæ conditiones ad infectionem inducendam neceſſariæ.

12. Quid eſt, quare alii ſint, qui contagium Peſtilens facillimè, & nullo contagio inſpirent concipiantque, dum e contra

tra alii idem contagium longiùs a ſe propulſent, difficiliuſque luem concipiant, licèt in præſentiſsmum diſcrimen ſæpiſsimè ſeſe conjecerint, ut cadaverum Proſectores.

13. Quid eſt, quamobrem quibus diu innocua una cum Inquinatis converſatio fuit, nonnulli morbum celeriter admittant, ſi cum aliis Infectis leviùs miſceantur.

14. Cur quidam perdiu cum *Peſte* pollutis converſantes ſine noxa, poſtea tamen abſque ulla novi virus acceſsione ab iiſdem ægrotantibus aliquando inquinantur.

15. An *Peſte* correptus iterum *Peſte* infici queat, ut in varioloſo morbo?

16. An *lanea* omnia concluſa, complicata, convoluta, & quoquo modo in ſe coacta virus coerceant, foveant, & quamdiu?

Hæc & alia problemata ex præcedentibus liquent, neque illis immorabimur, cúm ſatis ſuperque de *Peſte*, quatenus in quibuſdam corporibus, maximè autem in *lanis*, fovetur, nutritur, adoleſcit, & inde in alios traducitur, dictum putavimus. Cujus quidem *Lanuginis* ope ſi quis repentinum aliquando *Peſtis* exortum, ſi feſtinantis morbi inde extricationem rabiemque, ſi materiæ incubantis virus, etſi parviſsimæ, ſufficientiam conſiderat, haud facilè ullum legerit funeſtius venenum, ullamve corporum reperiet fabricam, quæ, præter omnia *lanea*, celeriùs, vaſtiùs, truculentiúſque clauſam diu luem eniti, ſpargere, & inaudita populatione in Sanorum corpora evibrare poſsit.

CAPUT

CAPUT XII.

DE PRUDENTI, ET MULTIPLICI

Lanæ in Praxi Medica uſu.

I. IN illa demum incidimus, quæ propoſitum Nobis argumentum quám proximé attingunt, in quibus præcipua dicendorum materies continetur; quorum pertractatione in indicandis veſtium *lanearum* uſibus navigationis curſus nobis tenendus eſt, quaſi per mare Pacificum procellis omnibus immune, omnibuſque naufragiis tutum. Hactenus enim tempeſtoſum, & multis infortuniis obnoxium navigavimus: dum in anteactis Capitibus cautelas exhibuimus, quibus in adhibenda prudenter *lana* procedendum ſit; ſcopulos indigitavimus, quantum fieri potuit diligenter, in quos vel propria culpa, vel Medicorum incuria allidere ſolent, qui *lanas* intempeſtivè, vel præcipitanter nimis uſurpant; morbos enumeravimus, quibus craſsiorem Pannorum ſubſtantiam, horumque diuturnam, eamque immediatam corpori vivo applicationem ex cauſa, non verò ex conjectura moderaretur Medicus pro ægrotantium viribus, ætate, conſtitutione; pro morbi gradu & vehementia; pro ſimptomatum ingruentium ratione &c. leges tandem & canones quoſdam tacitè innuimus, quibus Artis Peritus funeſtis ſimptomatibus, ſiquæ obveni-

venirent, vel minùs proſperis curationis ſucceſsibus, ſiqui acciderent, providere, futuris occurrere, vel mederi præſentibus poſſet. In ſumma, præſentia pericula, vel graviorum malorum impendentium metum ſollicitè incuſsimus, quibus damnoſa eſſe ſolent Utentibus lanigera corporis operimenta, eorumdemque cita abjectio, & mutatio ſuaderi debeat.

II. Ex multiplici ægritudinum genere, quibus confliɛtantur homines, paucæ ſanè proſtant, quibus reſtituta inſenſibilis perſpiratio non faveat, cujus commoda & bonos effectus proſequutus eſt *Pitcarnius*. (*a*) Nam morbi *acuti*, & *febriles* quamvis iſtiuſmodi remedium dehortari videantur, nec niſi cum cautelis ſupra memoratis *lanarum* uſum coindicent; *ſupr. cap.* IX. *&* X. *& paſſim.* conſtat tamen, febrium ultimum & certiſsimum auxilium a *Diaphoreticis*, declinante morbo, præſcribendis petendum eſſe. (*b*) De morbis autem *Chronicis* quid dicam? quorum fundamentum variæ lymphaticæ obſtructiones, atque humorum ſtaſes ſunt; (*c*) an ulla illis tutior Medicina adhiberi poſsit, quàm quæ ab inſtaurata ejuſmodi cutanea excretione dependet? (*d*) Quot dein ſunt longi, & morboſi affectus, qui depravatam, & rebellem viſcerum labem non agnoſcant? Quot, quos peculiaris, & proteiformis ſanguinis inquinatio non foveat? Quot ſecretionum & excretionum exuberans copia, vel perverſus modus non alat? Quot tandem, qui ab impedita laticum ad cutim derivatione, vel craſsiori lymphatico rore, vel *Sanctoriano* vapore notabiliter imminuto non ſoboleſcant? Una, eaque ſimplici, cutanea evacuatione reſtituta, multiplex, & infinita illa morborum cohors abjicitur, propulſatur, penitùſque deletur. Nam ſive morborum *chronicorum* materia alicui viſceri inſederit, ſive ab impura ſanguinis craſi, & liquidorum inde abſcedentium vitio quolibet ſcaturiat, ſive demum in ultimis cutaneis emiſſariis quaque ratione ſubſtiterit, vel ad cutem

(a) *Diſſertat. de curation. febrium &c. l. c.* (b) *Conf. Cantvuel diſſert. de febrib. articul.* 4. §. III. *in fine.* (c) *Frider. Hofmann. tom.* I. *part.* I. *cap.* II. *p. m.* 164. *& p. m.* 158. (d) *Conf. Boerhav. Inſtitut.* 1192. *num.* 5.

cutem parciſsimè commovetur; perinde erit, atque adauctæ, vel promotæ huicce purgationi facili negotio cedet. Hæc enim celebris excretio ritè procedens, vel jam amiſſa, recuperata nunc materiam jam in prima coctione elaboratam, in ſecunda ſubactam, in tertia demum ad expulſionem paratam ſupponit: ſeu clariùs, ſalubris, & ſponte ſuccedens, vel arte concitatus vitalis cutaneuſque vapor concipi nequit, quin priùs concipiatur ſana viſcerum *chilopoieticorum*, *hematopoieticorumque* functio; neque haberi poteſt, quin priùs reliquæ ſecretiones ritè proceſſerint, & liquidorum maſſa ab *etherogeneis* partibus liberata, in naturalem circulum facilem æquabilemque redierit; verbo quin ſana ſint omnia. Adeò verum eſt, perſpirationem iſtam & venientis morbi, & receſſuri certiſsimum indicem eſſe; (*a*) tum quód cùm hæc actio ſit corporis ultima, & uná cum præcedentium vitio mutetur, ſi ſit cognita, ad prædicendum morbum futurum maximé juvet; tum quòd nullus videatur eſſe in corpore locus, nullumve exiliſsimum etiam vaſculum, per quod hæc non vadat materia, & cum ea ſimul non excludatur humor vitioſus vel quantitate uberior, vel conſiſtentia dilutior factus, atque ſubactus: proindeque ex hac ſola tranſpiratione corporis animati curari poſſunt infiniti morbi *chronici*, in quibus tractandis excellentiſsimi Practici nedum ceſpitant interdum, (*b*) verùm etiam cæcutiunt feré.

III. Cùm autem *Sudorifica*, vel *Diaphoretica* remedia humores noſtros vel validiùs moveant per totum corpus, vel interim ſimul imminuant reſiſtentiam in vaſis exhalantibus circa cutim; (*c*) priora verò remedia interna, poſteriora autem externa vulgò cenſeantur ab omnibus *Pathologis*: Ideo meritò inquirendum hìc eſt, utra methodus adjuvandæ, vel eliciendæ perſpirationis efficacior ſit, atque tutior. Et ſanè ſi experientiæ adſtipuletur ratio, non poſſumus quin *Diaphoreticis* externis primas laudes deferamus. Nam

1. Ut

(a) *Haller: tom.* III. *in Boerhav.* DCCCCXXIX. (b) *Gorter de inſenſib. Tranſpirat. cap.* I. §. V. VI. (c) *Boerhav. ibid.* 1188.

1. Ut ad experientiam provocemus. Sudoris initium cutis adauctus calor eſt; ſalubris perſpiratio moderato cutis calore cietur: & quemadmodum leviſsima etiam aura frigidiuſcula calenti corpori ingeſtâ illicò vapor cutaneus ſiſtitur, ita mitis calor accedens corpori abſque cunctatione perſpiratum promovet. Docet hoc ſtimulus ad urinam emittendam, dum manè experrecti, & lecti blandum fotum deſerentes, ambienti objicimur frigidiori. Docet e contra quotidiana Eorum praxis, qui perſpirationis gratia corpus cautè tegunt; illicò enim a promota iſtiuſmodi evaporatione levamen percipiunt.

2. Modò cetera ſana ſint, & corpus ritè ſe habens prudentia quadam operiatur, e centum ægrotantibus vix unum reperias, qui tegminum perſpirationi faventium ope meliùs non habeat, vel a morbis prædictis (II.) perfectè non convaleſcat, licèt non tam citò: Requiritur enim determinata mora, & tempus certum, quo pro ratione concoquendæ materiæ in morbis *chronicis*, qui perſæpè ſanari amant, externa hujuſmodi medicamenta vim ſuam exſerant: Quandoquidem plurimorum *Chronicorum* nullum obſervatur criſeos tempus, ſed citiùs, tardiùſve digeruntur, prout vires magis minuſve fuerint validæ.

3. Nullum forte remedium offendere eſt, quod inſenſibilem difflationem jucundiùs promoveat, cujus infortunium, ſiquod timendum eſſet, periculo vacaret omni; nam detractis illicò veſtibus, vel aliis externis topicis calefacientibus, ſi quid mali obvenerit, citò occurritur.

4. Dum iſthæc auxilia *diaphoretica* externa cuti admoventur, vaporem exhalantem coercent, meatus laxant, & ſi quod derivandum eſt, certiùs alliciant; ſi quid movendum in vicinia, efficaciùs urgeant; ſi quid per illud emunctorium eliminandum eſt, ut tacitè, & abſque ullo tumultu, ita quàm præſtantiſsimè evacuant. Sed de his iterum infra.

IV. E converſo, quotieſcumque adminiſtrantur interna *Diaphoretica*, toties incerta, lenta plerumque, quin aliquando periculoſa obtinetur medela. Etenim 1. cùm omnium ferè *Diaphoreticorum* (ſi aquea omninò excipias, quæ impropriè vocan-

vocantur *ſudorifera*) partes componentes figuratione ſpecifica acres aromaticæ *ſalinæ lixivioſæ* in liquida agant, & quidquid ſpiſſum, denſum, viſcidum cruori ineſt, fundant atque eliquent; certé utcumque omnia optimé & prudentiſsimé à perito, & talis methodi apprimè gnaro Medico gererentur, non raro accidit, ut cui deſtinantur promovendæ diaphoreſi, hanc nullo pacto eliciant; ſed loco ejus aliam evacuationem proritent. Norunt Practici. Quin ſæpè in orgaſmum inde ſpumeſcente liquidi purpurei mole, immaniter turgent grandiores, & ſanguivehi canales, qui minima adjacentia vaſcula, vel intertexta uſque ad occluſionem, & ſolitæ exhalationis omnimodam ſuppreſsionem claudent. Reflantes autem cutis meatus infinitæ parvitatis canaliculi ſunt, & ſi qui in corpore alii, omnium compreſsibiles. Docent Phiſiologi.

2. Demus autem, in exhibitione horum remediorum optatum ſemper finem obtineri advocandæ difflationis copioſioris; ſed quàm, bone Deus, ea *Therrapeja* diuturna, quàm rara, quàm longa eſt! Nimirum guttulis auxiliorum *diaphoreticorum* jam jam ſanguineæ maſſæ commixtis, longiſsimum iter peragrandum eſt, antequam, ut opus eſt, ad cutanea excretoria acceſſerint. Sed & ipſa *Diaphoreticorum* principia quoniam momento ſatis debili pelluntur, nequeunt ſæpé in vaſa, aut vaſorum glomeramina penetrare, quæ ſpiſſiore humore, nimiumque denſato oppleta ſunt, neque adeo hærentem ibi humorem, vel vitioſum ibidem congeſtum fomitem ullatenus corrigere: Hinc ergo evanida reddentur viribus effœta, ut quæ in primo occurrentia obſtacula impingentia omnem vim amiſerint, qua ad cutem locaque vicina deducta, vitio humorum hàc fluitantium, celeri ut opus eſt medela occurrere poſſent.

3. Acria *aromaticorum* calidorumque remediorum corpuſcula, eademque calorifica, non modò acrimoniam fluidis, & eroſionem ſolidis minantur, verùm etiam maſſam liquidorum majorem in æſtum concitant, & canalium parietes maximoperé dilatant: Hinc ergo multiplex mali labes: unde ſumma corporis emaciatio, extenuatio, conſumptio; unde pulmonum calor, exulceratio; unde jecinoris, ceterorum-

que viſcerum æſtus, *phlogoſis*, inflammatio; unde renum, & veſicæ *erethiſmus*, & *phlogoſis*; unde in feminis immoderata *catameniorum* eruptio; unde incommoda (*a*) & periculoſa curatio.

V. Methodus ergo curativa, quæ per *diaphoretica* internè ſumpta (IV.) adornatur, diuturnior, difficilior, magis laborioſa; quæ verò a *topicis* externis præſidiis deſumitur, omnium breviſsima, (III.) facillima, commodiſsima cenſenda eſt. *Quando ſudor*, (verba ſunt *Hallerii*,) *nullo modo cieri poteſt*, *corpus nudum ſolo pallio tectum oportet in vapore calidæ ponere*, *ita brevi totum diffluet ex ſola laxatione vaſorum cutis*: *neque majus* diaphoreticum *datur*, *quàm calidæ vapor*. (*b*) Tanti eſt ad *diaphoreſim*, cutem extimam adverſus aeris injurias munitam eſſe. Huc ſpectant ſtragula lecti, multiplex veſtium genus, varia corporis operimenta, diverſæ ſpeciei *pallia*, quibus ſanè corpus conveſtitum, & nudo contactu opertum ad perſpirationem egregiè diſponitur, ſed quàm impari exitu! Nam *lanea* vela, vel quæ goſſipio texto fiunt, ex multiplici capite præferenda cenſemus iis, quæ ex lino, canapeve tantùm confici ſolent; quo fit, ut cùm *lanei* veſtitus quicumque corpori appliciti tutiùs, efficaciùs, & certiùs curationem abſolvant; linei e contra nec ſatis tuta, neque ſatis efficacia, neque ſatis certa, & inſenſibilis tranſpirationis auxilia opportuné ſubminiſtrent. Illud autem quamvis ex noſtris experimentis (*ſupr. cap.* III. IV.) ultrò patere poſsit, exigit tamen ſuſcepti a nobis argumenti dignitas, ut comparatione inſtituta pauló altiùs rimemur. Quod quidem ſubſequentibus propoſitionibus commodè præſtandum tam ad faciliorem *Tyronum* captum, quàm ad clariorem morborum *therrapejam*, arbitramur.

VI. Propoſitio prima: *Corpus noſtrum ab operimentis* laneis *ad cutem proximiùs accumbentibus magis*, *&* *diutiùs*, *ab linteis verò*, *minùs* *&* *citiùs calet*.

Demonſtratur: Quoniam ſaniori *Phyſices* doctrina erudita ætas

---

(a) *Conf. Aſtruc. de morb. Vener. lib.* II. *cap.* XI. §. II. *p. m.* 219. (b) *Idem in Boerhav. in* §. MCXC. *p. m.* 407.

ætas noſtra, & multijuga experientia edocta advertit, proprietates frigoris cum notis ignis comparari ita poſſe, ut quemadmodum ignis novo igne creſcit & adaugetur; ſic glacies glaciem intendit & ampliat: ſeu clariùs; Ut ignis & calor non ſunt meræ frigoris privationes; ſic frigus non erit ſimpliciter caloris privatio, ſed potiùs *ens* phyſicum, diſtinctiſsimum ab omni alio. Ideo (*a*) ex alterutrius qualitatis indigata ratione ad eruendam alterius naturam manuducimur rectâ. Ne autem extra præfixos dicendi limites divagemur, conſtat, corpora dari *frigida actu*, quæ ſuſceptum, vel innatum frigus corpori noſtro communicant: alia verò actu minimè frigida ſunt, ſed quæ *potentia* frigus ingenerant, ut sũt omnia, quæ circulatorium liquidi purpurei motum, unde omnis calor noſter oritur, frangunt: alia tandem, quæ nec *actu*, *neque virtute* frigida exiſtunt, ſed quæ talia evadunt, quòd calorem præcipuè externum impediant. Notum quippè eſt, ventum non alia ratione frigus producere, quamquod calentem, & corpori, vel veſtibus adſtantem *atmoſpheram* continuò auferat. (*b*) Quæ quidem *topica frigefacientia* ad *ſenſum* nobis erunt dicenda; quandoquidem ante appulſum, qui in caſu noſtro flare conceditur, venti, omnia vaſcula immerſa in illo calido exhalante vapore, omneſque nervi ſummæ cutis oppoſitæ inſtructi ſunt talis adeo caloris ſenſu, ut ablata, vel diſcuſſa per ventilationem illa *atmosphærâ*, ceſſet illicò talis caloris ſenſatio. Hæc, quæ diximus poſtremo loco *frigefacientia*, nequaquam confundenda ſunt cum *actu* & *potentia* frigidis corporibus. Poteſt enim infringi vitalis humorum circulus a ſolis Ingeſtis omni frigoris ſuſpicione tutis; ſic aqua tepida hominem frigefacit. Poteſt ab *actu frigidis* ad profundiſsima uſque frigere corpus; ſic funeſtos, & heu quám ſæpè docuit experientia, *Pleuritidis* dolores ortos fuiſſe, poſt incautum Frigidorum uſum. Poteſt tandem inalgeſcere machina ad ſenſum, cùm de ſuo calido exhalante vapore demitur, abſque eo quod internus humorum motus

 ullo

(a) *Memoires de l'Accadem. &c. annèe* 1734. *p. m.* 228. *Confer Bartholi Ghiaccio l. c.* (b) *Boerhav. chem. tom.* I. *p. m.* 104.

ullo pacto langueat, vel deferveſcens, ullis frigoriferis ſpiculis referta eſſe videatur. Certè ventus ingens circa *Thermometrum* excitatus ita illud ferit, ut nulla ratione contentum liquorem immutet, vel ullatenùs deprimat, quod proprium frigoris eſt: Parum enim refert, an vento iſto circumalluens *thermometrum* aerea moles arceatur, vel ne; cum denſior tubi vitrei, & ſolidior fabrica quamvis caloris frigoriſque vices admittat, quibus pro re nata expandi, conſtringive poſſit, exhalationis tamen incapax prorſus habeatur.

Similiter *calida* a *calefacientibus* diſcriminantur, quamvis a multis in uſu Medico ad invicem miſceantur; illorum enim operationes, & effectus oppoſiti inter ſe habentur, cùm *calida* quaſdam *affectiones* curent, quæ a calefacientibus in deterius ruunt. (*a*) Quidquid autem ſit, tam calida *actu*, quàm calida *potentia* (ſit obſoletis venia verbis) internè ſumuntur, & externè uſurpari poſſunt, ſed diverſa eſt imprimis illorum indoles: Sic v. g. ſpiritus vini ad tactum frigidus, ſummum tamen calorem corpori imprimit: ſic quę liquidorum impetum adaugent, caloris generationi mirum quantum favent. Porrò ut de *frigefacientibus* dictum eſt, *calefacientia* reperire eſt, quæ nec ullum præſentem ignem poſſident, neque excitare poſſunt; at verò quæ corpori animalis approximata ſenſum caloris impertiunt, quatenus frigidi externi aditum intercipere nata ſunt. Hujuſce claſsis diverſa veſtium, palliorum, operimentorum, ſtragulorum &c. genera ſunt, quorum quidem omnium, ad *laneorum* linteorumque familiam commodè reductorum, non æqualem calefaciendi modum enucleare impræſentia animus eſt. Cùm verò compertum ſit, ſanum vivumque corpus ſtragulis opertum, aut pallio amictum magis incaleſcere, quàm nudo aeri patens; videndum quænam in iſto caloris augmento, velamina ceteris præſtant: & quidem nullus dubito quin in illo negotio *lanea* quæcumque linteis palmam præripiant, non quòd calorem actualem majorem habeant; eadem enim utrobique caloris ad ſenſum abſentia cernitur: Non quòd diverſa ſit utriſ-

(a) *Gorter tractat.* 85. §. 11.

utriſque inſita ad productionem caloris facultas; compar enim eſt, ſi ulla datur in ciendo calore præſtantia: Sed quòd permultæ & magni momẽti interſint differentiæ inter utramque textilium fabricam, quibus fit, ut *laneis* habitibus palliiſve, tam in ſuſcitando, & conſervando calore corporis noſtri, quàm in arcendo externo frigore, *lintea* longe multumque poſtponantur.

Nam 1. ſi verum eſt, oleum, quodcumque demum fuerit, in pabulum ignis cedere, eòque fortiùs, quo oleum tenacius fuerit, patet, aptitudinem igni alendo majorem eſſe in *lana*, quàm lino, ſeduló attendenti, detonsã recèns *lanam* ſuccidam, & quodam ſuperextenſo pingui inebriatam eſſe; *linum* autem, prævia & diuturna in aquis maceratione, eòuſque emolliri, ut non ſolúm humido ſucco a ſubjecta Tellure hauſto, ſed & illo, quo per præparationem ſcatet, humore inflammabilitatis parùm vel nihil retineat. Verùm, ut hæc luculentiùs pateant, non graveris, rogo, ad puerilem quamvis & ludicram, elegantem tamen & ad rem accommodatam periclitationem confugere. Ecce ſumo in manus faſciculum *lanæ*, linique, utriuſque ut pondus ſit æquale: utrumque ellicknyo incenſo admoveo: flammam concipit utrumque quidem, ſed linum ociſsimè deflagrat, *lana* autem ignem tardè alit. Sed & fumum a gemina illa materia, dum comburitur, inque ſublime actum aſpice: Ut enim *lana* plús fumat! Ut fumum copioſiorem magiſque atrum effundit! *Linum* autem vividiorem flammam emittit, minùs fumat, & albidiorem vaporem eructat. Jam verò ſi obverſo corpore denſo albo exhalans de utraque materia fumus recipiatur, ut fuliginis inſtar adhæreat, quàm hæc in difformi illa villorum textura varia animadvertitur! Cernitur, inquam, *lanei* villi combuſti fuligo & pinguior, & amarior, & nigrioris coloris, adeoque magis inflammabilis, quàm lini. Sed tandem carbonem poſt *lanæ* linique hujuſmodi deflagrationem relictum meditemur ſedulò: Videmus *uſtæ lanæ* carbonem denſum, opacum, piceum, ignem recipientem, ignem foventem quidem diu, atque conſervantem; aſt qui reſiduus eſt carbo ab lini incendio in cinerem niveum ferè vertitur totus, ac ſi aliqua

nigra

nigra puncta in eo animadvertuntur, quæ ignem nutrire poſſint, ea quidem hìc ſpecies ſcintillæ igneæ mira celeritate obambulat, conſumit aſsidua tranſmigratione omnes illas carbonis hujuſce plagas, in quibus aliquid nigri ſupereſt; & ita ignis pergit, donec cinis albidus leviſsimæ auræ obſecundans, concremato lino, remanſerit. Porrò ut ad rem deſcendamus, quid eſt, quod tardiús lino *lana* in flammam erumpat, niſi quia *lanea* fibrilla minus quidem olei tenuiſsimi ſubtiliſſimique gignit, ſed & illud, quod in ſe habet inflammabile, longè aptius ſemper evadit igni alendo, ſuſtinendoque? Quid dein fumus combuſtibilium indicat, niſi materiem combuſtioni peraptam, eamque valde agitatam, necdum coruſcantem, aut candeſcentem? Nam elata jam flammâ, fumus illicò minuitur evaneſcitque. Interea tamen compertum eſt, fumum aterrimum tunc, & denſiſsimum imprimis evadere, quando jam flamma viva oritura ſpectatur. (*a*) Ipſa dein nigredo copioſior ab fumigante *lana* exemplo ne, an argumento dicam eſt reperiri in hujuſmodi animalis villis carbonem volatilem abundantiorem, ſed maximè pinguem, adeoque ſiccatus ubi fuerit, maximè inflammabilem. Demum cum carbonis combuſtibilitas tota in ſolo tantùm oleo, quod in illo manſit ſuperſtes, unicè hæreat, reliquæ autem in illo partes a ſe ignem maximè recuſent, clarum eſt, ex denſiori nigriorique carbone, dum *lana* igne conſumpta eſt, reſidere in ea materiem tenacius firmiuſque ignis pabulum futurum: Proindeque vera & non fucata experientia conſtare debet, partes inflammabiles & calori gignendo pares, (quandoquidem calor & ignis arctiſsimo vinculo inter ſe connectuntur,) (*b*) uberiores, & compactiores eſſe in *lana*, vel in operibus *laneis*, quàm in lino, carbaſeiſque: iterum diſcimur, ignem affluentiùs, & diutiùs adhærere corpori *laneo*, præprimis ſi craſſiùs contextum fuerit: Tandem ignem ſolo oleo nutriri, & ejuſdem olei ubertate diutiùs retineri, quæ *lanæ*, præ lino, convenire magis vidimus univerſa.

2. Rur-

(a) *Confer Boerhav. tom. 1. Chem. p. m. 162.* (b) *Idem ibid. p. m. 71.*

2. Rurſus jam ſpeculemur, neque pigebit nos, *laneos* linteoſque corporis amictus non *chimico* igne, ſed calore corporis noſtri tractatos. Mihi equidem in hanc rem experimenta tentanti ſingulare ſemper viſum eſt, adeſſe in *lana* quod in primo incendii inſtanti quàm citiſsimè incaleſcit, dum texturæ interioris fila adhuc frigent: e converſo autem obſervavi, in linteis præcipué lecti ſtragulis, cúm *laneis* ejuſdem craſsitiei collatis, ſpectavi, inquam, productum vel ab igne elementali, vel ab vitali Animalis flamma calorē brevi in ſuperficiem igni proximam, ſimulque in textum, & eodem momento ferè in ſuperficiem aeri obverſam, ſi non ſumma celeritate, at ſaltem longè faciliùs quám in lino experimur propagatum. Quod ipſum ut nitidiùs intelligas, eidem igni ſegmenta bina committe ex gemina illa materia facta, *laneum* nempe unum, *linteum* alterum, quouſque caluerint, videbis certé, quód uberrimè, & celerrimé ex lintea aquoſus vapor egrediatur, inſtantis mox flammæ prænuncius, & caloris concepti certiſsimus index: ex illa dico parte, quam externum aera contingit; præterea jucundo ſpectaculo cernes, eamdem ſuperficiem ex dato tempore celeriùs intentiùſque caleſcere, quám *lanæ* externam regionem, faciemque aeri obtenſam, ex qua quidem fumus effertur, ſed tardus, minor, magiſque fuſcus. Dubitas? Utriuſque portionis, ſummæ, & externæ ſuperficiei *thermometri* ampullam admoveto; comperies ſanè rarefactiones liquoris intùs contenti, dum linteo Tubus adcumbit, citiores, minores, & brevi fugientes; dum autem *laneæ* ſectioni idem tubus adhæret, expanſionum orgaſmum videbis & majorem, & conſtantiorem, & diuturniorem. Hinc ergo videre eſt, in *lana* majorem ignis quantitatem colligi, & diutiùs quám in *lino* recondi poſſe: ſeu quod idem eſt, quó panni corpus noſtrum calorem jugem expirans tutantes, de *lanæ*, goſsipii, vel alterius conſimilis lanuginoſæ telæ participaverint, eò longiori tempore illos indigere, ut ab eodem igne æqualiter incaleſcant, quám alius generis textilia, utputa *linea*: & iterum eoſdem pannos tantò diuturniori mora egere, ut poſsint redire ad temperiem eandem cum linteis operimentis citiùs refrigerandis.

3. Ve-

3. Verùm ſenſu caloris ab Animali percepto omnia metiamur. Quandoquidem *lanas* inter calefacientia corpora jure *ſupra* §. IV. repoſuimus, quæ frigoris acceſſum reprimendo, corpus calefacerent; ut qui frigoris ideam tam in moto, quàm in aere quieſcente percipimus. Nam ut de poſteriori loquar, dum gelidiſsima bruma coacta aerea moles nobis incumbendo, ingratam frigoris ſenſationem ciet, ſi eo tempore aer quieverit, credibile eſt, corpuſcula frigorifera pondere tantùm, & ſpeciali partium configuratione corpus introire. Verùm ut ſuperficies panni *lanei* quà corpus nudo contactu circumamicitur, quamvis æquè citam, & æquabilem eodem tempore ac lintea, caloris vim imbibat; ſeram tamen & exiguiorem ad externa panni loca tranſmittit, ut modò oſtendimus *propoſitione prima num.* 2. Ita ſiqua frigoris elementa externo cum panno *laneo* irretiuntur, quæ ſuo momento, aliiſque qualitatibus ulteriorem ad internas partes penetrationem meditentur, operoſiùs, & longiori tempore ad interna loca evaſura ſunt. Caloris ergo *atmoſphæra* corpus *lanis* involutum protegens, intenſior vegetior futura eſt, neque adeo citò applicatu frigidi ſupervenientis inde tollitur, auferturque, ac cum *linteis* tantùm fumans cutis obtegitur. In ſumma ſi duæ veſtes corpori calenti inductæ ita calent, ut *lanea* ſit *lintea* calidior; tum exceſſu caloris amiſſo, accedente frigore, quo calidior *lanea* exuperabat *linteam* minùs calidam, erit *lanea* calidior, adhuc tam calida, quàm primo momento erat *lintea*, quæ minùs incaluerat; unde neceſſarium eſt longius intervallum, ad hoc ut corpus *lanâ* conveſtitum ad commune caloris temperamentum reducatur. An quòd *lanei* villi natura impliciti, & convoluti magis quàm *lintei* in frænandis tam caloris quàm frigoris atomis aptiores exiſtant? res eſt quæ inquiratur: at ſaltem illud ex noſtris experimentis demonſtratum manebit, Corpus Animalis per ſuperindutam *lanam* frigoris damna parciùs tardiùſque perferre, quàm ubi *linteo* contegitur.

4. Conſideremus modò frigoris ortam in nobis ideam aeris circumambientis motu excitatam, quo illud calidius undique hominem amplectens, ex ſumma cutis periphæria repellitur,

ejuſ-

ejuſque loco recens advenit priore frigidior: facilè intelligitur, quòd a veſtibus corpori adſtrictis, brevique eodem caloris gradu calentibus, frigidioris aeris commeatu aer omnibus momentis, qui calidior eſt, prohibeatur, ejuſque vicem ſuccedat frigidior, ideſt ſtatim naſci verum frigus ad cutem hominis: Non quòd aera agitatum revera frigidius fiat, (*a*) ſed quòd *reſpectivè*, ut ajunt, & quodam ad ſenſationem reſpectu minùs calens corporis animalis *atmoſphæra* ſenſum frigoris inducat. (*b*) Quò ergo ceteris paribus ventus velocior, quòque diuturnior, eò citiús, & pertinaciùs corpus, & unà cum ipſo corpore veſtes calidiori *atmoſphæra* privatę frigebunt. Sed & eodem exiſtente aeris abripientis averrentiſque calorem noſtrum momento, quo minor ignearum particularum copia intra datum tempus, vel quo eadem caloris quantitas intra longius intervallum aere externo ventis concuſſo auferenda ſupponitur expoſita, eò minor & debilior futura eſt frigoris energia, celeriúſque evaneſcet ejuſdem concepti ſenſatio. Compertum namque eſt, caloris vim eò intenſiorem futuram, quò plures intra brevius tempus partes igneæ, vel quò æqualis earumdem vis intra longius intervallum in aliquo corpore colligitur, & collecta ſervatur. Porró vidimus præcedenti numero (3) lanuginoſam molem, delibato exhauſtoque calore, ignis majorem copiam in ſe attrahere, tractamque cuſtodire; itaut cùm ignis ſe inſtar *atmoſphæræ* alicujus extendat ſua vi in ambitum, ceteris paribus, magis conſtipetur, cogaturque in *lanea* materia, ex qua dein difficulter egreditur, & parciùs quidem depromitur, quàm ex *linteis*, ex quibus promptiùs, & ſimili ferè, qua primo initio conciliatus fuit, quantitate, exire deprehenditur. Sit ergo vis aeris vento moti talis, quæ, dato temporis articulo, ex calente quoque amictu certam contigui calidique aeris copiam abliguriat. Intra ergo datum illud temporis ſpatium minorem copiam excitati caloris abripiet ventus ex ſubjecta extima ſuperficie *lanea*, vel æqualē

Ii par-

(a) *Confer Boerhav. ibid. p. m.* 103. (b) *Conf. de Martino tom.* I. *ſection.* IV. *cap.* I. *num.* 181.

particularum caloriferarum copiam longiori mométo everret, quám ex ſuperficie lintei veſtimenti calidi, corpuſque cingentis. Sit v. g. efficacia venti, calidum aera corpus & injecta tegmina fovens, auferentis = 2. ſit calor ad oppoſitam, averſamque cuti *lanæ* faciem hærens = 2. qui autem externo linteæ veſtis ſtrato ingeneratus eſt calor: ſit = 4: ſit deinde calor vaporoſus, corpore ita tecto emiſſus, & in ſectionem utriuſque habitus incurrens, quolibet ſcrupulo horæ unius = 6: erit ablatio caloris per vim vitæ producti, *lanæque* communicati duplo minor, quàm in *lintea* veſte: Nam: $\frac{1}{3}\;\frac{2}{3} - \frac{1}{2}$ & viceverſa, collectio partiū calorē producentium, & intra *lanæ* ſinulos hoſpitantium duplo major atque intenſior, quàm in fabrica linteorum futura eſt. *Lanæ* itaque corporis animati calori retinendo aptiores exiſtunt, quàm cannabinæ texturæ, ex eo quòd minus parciuſque naturalis caloris diſpendium patiantur, tardiùſque quem ſemel traxere ad externam ſuperficiem, frigidiori illabenti vento diſsipandum ignem diffundant.

5. Prẹtereà ſi molliorem, & facilé cedentem lanuginis naturā mentis acie perluſtremus, habebimus & aliud ad frigoris externi, maximè per ventum excitati (4) ſævitiem arcendam, illuſtrius in *lana* argumentum. Cùm enim villi laxiores & *lanæ* intertexta ubique ſtamina retundendo, & quaſi ſuffocando irruentis flatus momento magis idonea videantur, quàm primigeniæ cannabis, *linive* fibræ, quæ parùm prolixæ, vel magis inter ſe diſtantes, atque ſeparatæ aereæ irruptioni undique ſua reſiſtentia patent: obvium eſt eruere, aerem frigidiorem corpori circumfuſum fabricam *lanæ* ægriùs quàm *lini* pervadere; & ſi ventus ſolus ſenſationem frigoris producere in nobis ſupponatur, quamquam ille extimos, & ſuperficiei tantúm *lanæ* patentes villos tangat, calidaque *atmoſphæra* denudet; nihilominus tamen fervidam illam circumſtantem molem, quæ immediatè a prominenti *lanugine* externa contecta defenditur, vix ab illo venti motu lædi conſequens eſt; ſiquo tempore ventus *lanam* externam offendit, hæc vim impetentis ita declinet, atque auſcultantibus,

& un-

& undique ſupinatis tenerrimis villis irruentem impediat, ut minùs de prædicta *atmoſphæra* calidâ ſecedere, abripique de corpore poſsit.

6. Si caloris vires ex majori ejuſdem coacervatione, vel ſimili partium ignearum, & magis agitatarum quantitate deſumuntur; (*a*) liquet compreſſum, collectumque intra *lanea* interſtitia, minùſque diſsipatum ignis principium, adeòque ultra æquilibrium ſolitum cum aere externo intra *lanæ* ejuſdem utriculos reſidens magis condenſari, conculcari, concentrarique in *lana*, quàm in *linteo*. Proindeque expanſivum caloris motum magis perfectum iri, atque a *lanæ* partibus elaſticis repercuſſum, donec novo caloris additamento, & parciori ad ſuperficiem extremam aeri continuam ejuſdem ignis diſsipatione calidiſsima evaſerit *lana* eodem temporis momento, quo *linteum* calere cenſemus, eaque ratione corporis cuti calorem ingentem communicandum fore *laneo* veſtitu conſequitur. Multiplici ergo de capite, ſive ad imminutionem frigoris, ſive ad tuendum vitalem corporis calorem, omnia ex *lana* iis quæ ex *lino* fiunt præponenda eſſe, videntur.

VII. Ex hujuſmodi noſtra propoſitione (VI.) colliges, maximè intereſſe, qua quis *veſte* nudam carnem in quibuſdam morbis foveat, arctéque contineat; atque *laneas* interulas, & cuncta *lanuginoſa* pallia in genere præſtantiora eſſe, ubi expanſivus liquidorum frigidorum motus deſideratur; quandoquidem frigidi in arctum redigere, calidi verò rarefacere eſt: utiliora etiam, ubi derivanda aliqua morbi retropulſi ad cutis aream materia eſt; cùm laxatas calore partes animalis, velut commodiori facta via, dum liquida irruunt, faciliùs occupent; hinc in doloribus *cutaneis*, & adſitarum muſcularium partium, *tumoribus aquoſis frigidis* in materiæ intus revulſæ *metaſtaſi*, in debili remiſſoque externorum artuum calore, in cutis horrore, rigore, aſperitate, in *eſcharæ* lapſu, in morbis frigidis oſſium, nervorum, pudendorum, pectoris, capitis, in *menſium* a frigore ſuppreſſione; in congelatione

 illa

(a) *De Martino ibid. num.* 180.

illa membrorum corporis, quæ calore tamen vincitur; in hiſce omnibus, inquam, caſibus, affectis, locis, *lana* cum fructu adhiberi poterit. Utilis quoque habetur, ubi attractio ad cutis univerſale organum excretorium noxii cujusdam liquoris indicatur: ubi humorum quælibet ab internis ad externa corporis loca, tuta, efficax, jucunda, & abbreviata derivatio *critica* exoptatur, commendandæ *lanæ* ſunt, ſi optatam curationem aveas. Præter hæc cùm calor in omnibus morbis, ubi ſolidorum flacciditas, & fluidorum lenis fermentatio procuranda eſt, conveniat; veſtes *laneæ* in ſimilibus affectionibus cutaneis utiles & neceſſariæ meritò putantur. Rurſus, cùm ipſe calor vitæ inſitus plerumque non ſufficiat producendis effectibus, qui in ſanitate occurrunt, ut cui aeris ambientis frigus obſiſtat, effectumque ejus ſuperet; tunc enim veró inter externa, quæ impetum frigoris avertant, & applicatu externo calorem internum cuſtodiant, aut quoquomodo adaugeant, nullum veſtibus *laneis*, & denudatis lacertis obvolutis efficacius inveniri poteſt remedium.

VIII. In hisce (VII.) & aliis conſimilibus morbis, facile, & tutum in *laneis* munimentis præſidium eſt, ut quæ *linteis* veſtimentis firmiora, & denſiora exiſtant, quæque proinde dum caloris exhalantis effluvia ingrediuntur, earumdem *lanarum* elementa & fibras concutiunt, inque vibrationes majores, & conſtantiores agunt; quæ quamdiu perdurant, tam diu intus coercitum calorem exagitant, & effectus in corpore præſtantiſsimos edunt. Verùm aliam hìc variegatæ *lanæ* conſiderationem, & diverſam colorum imbuentium cauſam, ad caloris geneſim, & durationem advertendam patet *Boerhaviana* oracula contemplanti. Scire enim refert, ignem caloremque corporibus nigerrimis exceptum in iis hærere diutiùs: Talia longè citiùs calere ab eodem: Imò & fortiùs quoque incaleſcere per ignem: Breviſsimè, omnia nigra corpora multò faciliùs ab eodem igne incendi, inflammari, ardere, quàm alio colore prædita. Verùm reliqua corpora, quæ diſſimili colorum varietate fucantur, ſemper eò tardiùs calorē concipient, citiùſque refrigerabuntur, quò ad colorem albi-

dio-

diorem acceſſerint. (*a*) Quamobrem in praxi accuraté dijudicandum eſt, quinam colores inducendi ſint pannis *laneis*, ut ſciatur quis inde effectus futurus ſit, quoad vim calefaciendi corpora eorum, qui hiſce veſtibus utuntur: Dum enim per applicationem *Pannorum* leni, miti, & facilè deſinenti calore opus eſt, veſtis geſtanda candida niveaque, quæ immodici fervoris æſtum optimé temperet: Dum veró per calorem compacta, & affatim aggeſta liquidorum moles vegetiùs ſolvenda eſt, timeturque, ne levi de cauſa humores iterum cogantur, atro amictu corpus coercendum eſt, quòd & nimiam caloris potentiam incidentem combibat, eamque quám diutiſsimè fovens, torpenti intùs liquido per cutanea oſcilla diſpenſare valeat.

IX. Quamvis, ut verum fatear, nonnulli caſus in praxi occurrere ſolent, in quibus nec a pannorum *laneorum*, *linteorumve* denſitate, neque ex colorum numero metiri poſsit Medicus determinatam caloris externi efficaciam, quæ medendis calore morbis quibuſdam apta eſſe videatur. Appoſitè in rem noſtram inquit *Pecklinus*: *Et verò* (ſunt ejus verba) *in determinanda caloris ſpecie plurium quoque intereſt, qua quis utatur, deſignante imprimis experientia, quæ fomentum cutis humoreſque admittat. Vidimus enim, ubi omnium uſus fruſtra tentatus erat, in ſpecifica quadam materia, in chartæ duplicatæ, jam albæ & politæ, jam emporeticæ & bibulæ munimento juſtum illum caloris gradum repertum fuiſſe. Illa volucris* arcticæ *lanugo inſignes habet, & planè peculiares calefaciendi vires nunc ſalubres, nunc inſalubres; Utut enim inter plumarum ſpecies nullæ reperiantur calori ſervando augendoque magis idoneæ, quam hæ ipſæ, tamen cũ calor ille ſit vappidus nimium atque denſus, offendere ſolet* Diſpnoicos, *& vitiatam jam ante reſpirationem magis exaſperare. Quanta etiam cum ſolicitudine caloris ſpecies ſępè quęri, & diſtingui in morbis debeat, illa mutandi neceſſitas documento eſt: Quando enim omnia, vel exquiſitiſſima fruſtra ad-*

(a) *Boerhav. chem. tom.* I. *experiment.* XIII. XIV. *p. m.* 116. 117. *ſequent.*

admota ſunt aliquando in certa pellis ſuperficie reperias, quod verum ſpecificumque, & illi morbo profuturum calorem foveat. Notavimus ubi remedia ſpirituoſa, & emplaſtica defuere in certa Ferarum, & volucrum pelle reſediſſe medendi beneficium: Adeo paſſim Pilorum tricæ, & perplexa ſuperficies, texturæque genus caloris ingenium moderantur. (*a*) Hactenus *Pecklinus*.

X. Propoſitio ſecunda: *In frictionis negotio lanea corpora linteis, aliiſque præſtantiora, & efficaciora ſunt.*

Demonſtratur: Priuſquam ſpecialiorem hujus rei inquiſitionem ratione, & experientia comprobemus, atque meliorem eſſe *lanam* in fricandis corporis partibus oſtendamus; e re eſt de frictionis natura, ejuſque effectibus, noſtram, qualiſcumque fuerit, ſententiam deducere: maximè cùm inter Recentiores *Bellinus*, & *Gorterius* hac de re multa protulerint, quæ rationi non congruunt ſanæ; nonnulla quæ experientiæ contraria reperiuntur; alia autem *ſicco*, ut ajunt, *pede* pertranſierint, quæ neceſſaria ad fricationis Medicæ theoriam, & ſcitu maximè utilia viderentur. Itaque 1. vulgatum hodie eſt: Per frictiones fieri ſucceſsivam, & repetitam ſæpiùs vaſorum mollium compreſsionem, & relaxationem, ita ut frictio nonniſi alterna quaſi preſsio, & relaxatio partium corporis eſſe videatur. Ita ſentit *VVanſvieten*; (*b*) Ita *Gorterus* in *Sanctorium*, (*c*) quamvis in ſuo Compendio clariùs rem, ſed ſemper ad propoſitum argumentum paulò obſcuriùs explicet. (*d*) Ea de cauſa ſtatuendum eſt, non quamlibet alternatam conſtrictionem, & dilatationem vaſorum cutis ideam *frictionis* includere. Dum enim ſuper eminentes aliquas, per dorſum manus excurrentes, venulas digitum v. g., vel alteram manum alternis vicibus calcas, iterumque removes; certè alterna digiti manuſve ad illa vaſcula applicatione eorumdem cavitas per vices comprimitur, coarctatur, & dein rela-

(a) *lib.* III. *obſervat.* XXXIII. *p. m.* 493. *ſequent.* (b) *in* §. 28. *p. m.* 33. & §. 133. *num.* 3. *p. m.* 199. *tom.* I. (c) *Aphor.* CCCICIX. *p. m.* 264. (d) *Tractatu* 83. §. X. *tom.* II. *p. m.* 116.

relaxatur, dilataturque, quin ullus *frictionis* conceptus offerri menti videatur. Requiritur ergo, ut manus vel ipſa ſola, vel *pannorum* adjumento, per certum ſpatium ſupra determinata cutis fricandæ loca eat, redeatque viciſsim, modò per idem planum ſemper decurrens ad extremum unum accedat, momento mox recedat, & alterna preſsione in molles canaliculos gravitet, vel eoſdem ſtimulet. Sed interdum nequaquam occurrit itus ille, redituſque potentiæ *frictionem* exercentis, ut cùm *frictionis* iter ab eodem ſemper termino inchoet, atque versús eumdem locum eadem directione contendat. Exinde patent duo: primò nempe, errare illos, qui ex *Amontons* principiis (*a*) frictionum in corpore noſtro efficaciam ex pondere, & velocitate vis, quæ frictionem peragit, deducendam eſſe, opinantur. Siquidem parietes canaliculorum intùs levigati ſunt, nec ulla aſperitas in illis corporis animati reperta umquam eſt, quæ cum rigiditate corporum durorum & immotorum comparari mente valeat. Verùm, cùm in *frictionis* exercitio non adeo preſsio perpendicularis, quàm inſtrumenti fricantis preſsio per ſingularem partium ſuperficiem alternatim obambulans conſideranda ſit; rectiùs ſentiet ille, qui *frictiones* in corpore animali, non in ratione ponderum ſolùm, verùm imprimis in ratione ſuperficierum contemplatur. Secundò, erraſſe *Bellinum*, qui de frictione ediſſerens, (*b*) eam motui unius manus ſupra alterius dorſum validiùs appreſſæ, & mox ablatæ comparavit; indeque hujuſce motus, & ejus, qui in frictione adhibetur, æqualem effectum eſſe, voluit. Quippe ſi caro, cutiſve tempore frictionis ſedulò introſpiciatur, nudis oculis patebit, loca, aut vaſorum quæ fricantur plagas pertinaciter albeſcere, quin ullo rubro colore ſuffundantur; ut contingit in illo motu, de quo *Bellinus*. Verum quidem eſt, ceſſante *frictione*, candidos priùs artus, ab expreſſo purpureo liquido nunc rubeſcere per ſanguinem in ipſos confluentem. Verùm hujuſmodi apparitio minimè confundenda eſt cum ſignis frictionis, ſed cum effectibus; proin-

(a) *Memoires de l'Accademie &c. annèe* 1699. *p. m.* 257.
(b) *De urin.*, *& pulſib. p. m.* 86.

proindeque de eſſentia *fricationis* eſt, ut preſsionem majorem, vel minorem, æquè veró ac durat motus, diuturnam in partibus, quæ actu fricantur, producat.

2. Et profectò ſive per idem ſpatium, atque eadem loca per vices fiat corporis fricantis excurſio; ſive ad eumdem locum frictionis momentum totum dirigatur, perinde meo quidem videri eſſe debet; neque enim ulla vaſculorum *frictioni* patentium vera relaxatio concipi, dilucidarique inde poterit. Nam ponamus, alteram v. g. manum alterius dorſum fricare per eamdem directionis lineam, itaut actio excurſus ab digitorum baſi incipiens ſemper ſuperficiarias illac reptantes venulas cor versús, vel ſummitatem cubiti comprimat: tunc enim verò habebitur primum *frictionis* exemplum, ubi alternatim manus apprimit venas, & viciſsim ab illis ſeſe retrahit, quò *frictionis* motum ab eodem loco ordiatur. Neque negari poteſt, deſinente manus compreſsione, venenoſos ductus, qui priùs inaniti evanuerant, nunc verò aſſurgere, & tumere. Sed quo tempore relaxati cutis canales, & a preſsione liberi apparent, jam *frictionis* motus deſiit; quamobrem ritè diſtinguenda iſtiuſmodi *relaxatio* eſt, ut probè diſtingui debent effectus ab ipſo *frictionis* motu, ut cauſa ajunt *occaſionali*, oriundi. Rurſus ſi ſuper eadem manus convexitate gradientes canaliculos fricando, itu redituque perenni, & numquam interpolata actione eoſdem urgeas, atque nunc preſsionem versùs cor, nunc recedendo autem versùs digitorum baſium capitula concites: In ſimili quidem caſu partes illæ, quæ immediatè ab ſuperincumbente manu, digitove ſucceſsivé tanguntur, magis prementur iis, quas manus, vel digitus reliquiſſe ſupponitur; verúm poſteriores numquam flacceſcere conſpicies, ut ſpatium non dicam amplius, ſed ne quidem ſtrictius, ſatiſque preſſum adventuro liquido concedant. Quia nimirum per imminutam illam ſucceſsivé compreſsionem ſanguis in ea vaſcula irrumpere cernitur, ſed totus ille vaſorum tractus alterno itui & reditui objectus albeſcit, & finita imò frictione diutiùs alborem retinet. Cogita interim, digitum, vel manum fricantem ab digitorum baſibus versùs *carpum* moveri, oculoſque ad tale

expe-

experimentum converte; videbis ſanè, poſtquàm manus ad *carpum* peracto curſu ſubſtiterit, vaſa inter manum, & digitorum baſes ſita, complanata, diſtracta; cutem verò ſuperobductam candidam, quæ tamen manus contactum confirmationemque effugere univerſa: eamdem dein manum indidem retrogrado motu ad digitos, eodem perſeverante frictionis motu, ſi agas, liquidò cernes vaſcula extima *carpo* propiora, quæque jam fricans manus deſeruit, quamvis minùs calcata, nihilo tamen ſeciùs contracta, & albo velut circulo ſuperinſtructa, & eadem, quæ in altero caſu, ſimilia. Ut planè conſtet, vaſculorum partis, quæ eunti redeuntique gradariam actionem experitur, numquam ſufficientem dari relaxationem, qualis a Summis illis Viris perhibetur, (x. *num.* 1.) quæque tanta ſit, ut impedita priùs liquida, nunc verò liberiùs moveantur in ſpatia liberiora, & affluxui magis expoſita: Nam pergente frictione, ubicumque illorum locorum tam preſsio, quám contractio vaſorum perſeverat.

3. Demonſtrata continua illa canalium preſsione, in qua præſcribendæ *frictionis* Medicæ ratio tota conſiſtit, (x. *num.* 2.) certum eruitur quod inquit *Gorterus*: *Repetitas frictiones versùs eumdem locum promovere eò versùs directionem, & impetum liquoris.* (*a*) Sed non adeo comperta ſunt, quæ in eodem paragrapho præmiſit; nimirum: *Quòd ſi frictiones fiant itu, & reditu in vaſis valvulis carentibus, tantum impediant, quantum promovent fluxum; in vaſis verò valvulis inſtructis, fluxum promovent, ſecundùm ſitum valvularum.* (*ibid. num.* 4. 5.) Ut enim exemplo jam memorato, & capto jam, facilèque a quovis capiendo in venis (quæ ſunt vaſa valvuloſa) per dorſum manus tranſeuntibus, periculo (x. *num.* 2.) utar; quo tempore manus ambulatoria preſsione versùs *carpum* eaſdem perfricat venas, majorem liquidi copiam versùs loca ampliora quidem deducit, ſed versús loca valvulis interſepta, & valvularum laciniis impedita determinat: Inde copioſior liquidi moles, cùm non poſsit æqua velocitate ferri antrorſum, qua parte a manu urgetur, tantum

Kk

(a) *Tractat.* 83. §. XI. *num.* 6.

tum abeſt, ut integra ſua vi in anteriorem liquidi columnam impingat, eamdem promovendo, ut potiùs ad latera venarum reflexa, harum dilatationem immaniter augeat. Dum autem contrario ductu revertens manus venulas juxta aliam directionem, & ad earumdem principia premit, quoniam in eo caſu liquidi cylindrulum contra poſituram valvularum trudit, ejuſdem motum non adjuvat, imò impedit, & magis quàm in priori caſu: Quandoquidem arctatum ita a manus ſuperſtantis pondere liquidum neque contra ſuum curſum retrocedere per vaſa anguſtiora [qualia ſunt venarum principia] valens, tantò fortiùs laterales canalium vias quæſiturum eſt quibus effugium paret; ſeu, quod idem eſt, multò majori niſu vaſculorum continentium parietes dilataturum eſt: Hinc ocularis inſpectio eſt, pergente motu *frictionis*, quæ in converſa v. g. illius extremitatis parte fit, venarum, & cutanea propinqua loca versùs digitorum capitula magis, quàm in averſa ad *carpum* parte tumere inflarique. Si inſuper ſumamus canaliculorum valvulis carentium ſeriem, ſanè illi cylindricam, vel conicam divergentem, vel convergentem figuram adepti ſunt. Si *Cylindricam*, & ubique æqualem diametrum obtineant, certum eſt, accedente frictionis preſſione, poſticè accedens liquidum propter vas ſubſidens preſſumque non modò non promoveri, imò in motu cohiberi; ſed anteriorem liquidi undam a manu v. g. perfricante circumventam, atque in eandem ſibi æqualem canalis ſectionem uberiùs affluentem eó ægriùs tranſituram eſſe, quó remanente eadem diametro affatim, & majori cum impetu propulſa fuerit, perinde ac ſi eadem cavitas ſemper decreſcere, & fluxui liquoris reluctari ſupponeretur. Si *Conicam divergentem* diametrum admittas, eòque versùs per frictionis mechanicam liquidum adigi ſtatueris; certum quoque eſt, illud inde non æquali ac antea facilitate fluxurum: Hoc enim ipſo quòd canalis in latiorem aperturam dehiſcit, accidit, ut per *frictionem* pulſa liquida cylindrus, & ipſa minoris diametri in aliam, & anteriorem fluidi, cylindrum majoris baſeos ex ſuppoſitione illidat arietetque: Cùm verò cylindri ceteris paribus ſint ut baſes, magis reſiſtet antecedens

cylin-

cylindri fluidi columna major quàm ponè ſequens; ſeu clariùs; majorem hæc ad fluendum reſiſtentiam offendet. Si verò quod poſtremum erat *frictionis* ope liquidum conetur effluere ex ampliori loco in anguſtiorem, ſeù quod idem eſt, canales animalis, ubi inſtituitur defricatio, *conum convergẽtem* repręſentent; compertiſsimum ſimili in caſu erit, liquidi molleculas nedum ullam ad circulandum promptitudinem nanciſci, ſed per illam frictionem fortiùs inter ſe adhærere, compingi, & immeabiles reddi. Quandoquidem *cono convergente* difficultas ad motum non oritur ex eo, quód diminuta ſectione, plures quám antea globuli fluidi tangant latera illius canalis, ut hucuſque ab omnibus creditum eſt, & ab ipſo *Hallerio* prolatum. (*a*) Id enim impoſsibile videtur. Quo enim tempore fibra circularis in arctum coacta ducitur, circumferentiæ ambitus minor, loca peripheriæ a liquido tranſeunte facta pauciora evadunt; unde ſphęrulæ liquidi tranantis, & puncta canalis interna lambentes pauciores numero futuræ ſunt. Itaque ſtrictiori reddita diametro, ideo difficilior fit particularum fluidi excurſio, quòd globuli qui ponebantur in circulo maximo cavi coni liquidi non õnes adhęrere pergant in eodem circulo, ſed inde ad axim reflectantur, ad contiguos validiús premantur, cùm hiſce coaleſcant, molliter ſuffricentur, figuram mutent, & alia ſimilia efficiant, ex quibus compactio liquidi ſumma poſteriori columnæ reſiſtentia, & ingens particularum attritus oritura ſunt. Cùm autem in *Frictione*, de qua eſt ſermo, copioſior ſolitó moles ſuccorum vitalium, anguſtiorem *coni convergentis* locum invadat, paucifsimæ ſanè molleculæ latercula tangent; major autem pars globulorum ob loci ſtricturam, & ad cedendum impotentiam, in ſe ipſam preſſa redibit, magis conſtipabitur, & adveniente nova ſanguinis unda inſignorem affrictum patietur; unde ſummus adtritus, & pro hujus ratione increſcens ad motum difficultas. Quæ ergo ad naturam *Frictionis* indagandam, & effectus eruendos commentus eſt *Gorterus*, parum rationi congruere videntur;

 tur;

(a) *Boerhav. tom.* 11. §. ccxv. *p. m.* 259. *not.* 9.

tur; quibuſcumque demum; & cujuſcumque generis, & figuræ canalibus animatis applicari concipiatur actualis *frictionum efficacia*.

Quoniam ergo probatum eſt, [*supra* 2. 3.] partes quæ fricantur, quomodocumque fricentur, dum ſucceſsivè premuntur, numquam a preſsione immunes exiſtere; non poſſumus, quin meritò de veritate propoſitionis *Bellinianæ* addubitare, quà per frictionem adaugendam eſſe velocitatem ſanguinis tueri conatur, perinde ac a venæ ſectione eandem ingeminari compertum eſt. (*a*) Credit namque eximius ille Vir, dum *frictionis* tempore a compreſsis partibus in alias ſuccedentes inſtantaneus fit tranſitus, nonnullam comprimi; alias autem a preſsione levari; quod tamen falſum eſt. Cùm etſi in ſimili motu per inſtantaneos gradus fiat partium renixus a manu v. g.; loca, quæ potentia dimiſit, quæque primo inſtanti perfricuit, æquata, & depreſſa cernuntur; proindeque in illa utcumque ſubſidentia minori velocitate ſanguis devolvatur oportet, ut potiùs ejuſdem tranſcurſus elanguefcat, quám promoveatur. Non ſic autem in *Phlebotomia*, ubi in columna ſanguinis, qui aperta vena emittitur effugitque, nullus ponè ſequenti cruori obex occurrit: ut ſileam, ſolutos dilaniatoſque per lanceolam vaſculi parietes exilienti liquido ita obedire, ut nullius affrictus, nulliuſque coercentis potentiæ molem opponant.

5. Quibus præmonſtratis, & repudiata Recentiorum opinione de alterna vaſorum corporis in *frictione*, remiſsione, & contenſione, indeque profecta ſanguinis decurrentis celeritate: Opinamur ipſi, *frictionis* momento nihil aliud accidere, quàm ſucceſsivam parietum vaſorum, quibus imprimitur itus redituſque potentiæ prementis momentum, attritionem talem, ut continua fiat abraſio partium, ſive illarum, quæ frictionis efficaciæ ſubjacent proximiùs, ſive quæ remotæ ſunt; cum hoc diſcrimine, quòd actio abraſionis creſcat pro vicinitate partium in loco *frictionis*. Namque loca dum fricantur, eorum vaſa quaſi exinanita, lateribuſque ad ſeſe

(a) *Bellinus ibid. p. m.* 84.

ſeſe appreſsis evadunt, ut interim ſolita fluidi copiâ longé imminuantur. Jam verò eat redeatque manus, & frictionis reciprocum motum abſolvat. Quid inde futurum conjicies? Idem ſanè ac ſi *Lima* in inſenſibili motu ad ferri ſuperficiem ſucceſsiva & alterna tranſmigratione duceretur: Totus namque impetus, & momentum *limæ* in metalli proximam faciem inſumitur, quám illo mechaniſmo deradit deliminatque, quin interiores *ferri* objecti partes aliquid patiantur. Sic facta alternatim per quodcumque agens *frictionis* preſsione, villi parietes canalium componentes in ſuis elementis nullo non momento ſuccutiuntur, dimoventur, & denuò ad ſeſe redeunt cum partium tenuiſsimarum avolatione, cum hærentis ad fricatam ſuperficiem expulſione, & aliorum derivatione, quin interior canalis ſuperficies frictionis impetum perſentiat: Niſi ubi *frictionis* major vis & ad majorem altitudinem, & in vaſis altiùs ſub cute diſtributis increſcens preſſio impenditur: Tunc enim verò parietes vaſculorum quà internas partes reſpiciunt, hujuſmodi attritui ſubjacent, & moleſtis continuiſque ſuper ſe invicem diſtractiunculis deteruntur; & cùm appreſsi ſint cum oppoſitis, qui ſummam cutem ſpectant parietibus, ſi quid fortè glutinoſi inter hoſce terminos adhæreat, impetu illo frictionis pergente, avellent, in minima diſcerpent, & a cõtactu amotũ ad fluorẽ ita diſponent, ut quamprimùm exercitium hocce ceſſaverit, ab inſequentis liquidi columna ad anteriora expeditiùs moveri queat. Hæc ſanè in frictione fieri ad oculum oſtendit, canalium plerumque ſuccedens contuſio, ſolutio, & effuſio liquidi in ſubjectass partes. Quid autem *contuſio* a frictione, niſi quod per adfricationis motum molles canalium parietes, repetitis velociſsimè, & continuatis diutiſsimé diſtractionibus, & contractionibus, tandem deterantur, frangantur, dilacerenturque? Et quid hæc poſt perfricationem orta *Dilaceratio*, niſi accumulatio vulnuſculorum cum attritu ſolidorum, & vaſculorum, quæ fricantur? Et quid tandem hicce attritus, & perenne minutiſsimarum partium diſpendium, quám motus ipſe *frictionis*, ubi corpus ſuperincumbens movetur, (*a*) & con-

(a) *Confer Boerhav. aphor.* 327. *ſequent.*

tinua ſucceſsione tenerrima vaſcula premit?

6. Dum hæc (5) fiunt, conſurgit aliud indiviſibile, & eſſentiale *frictionis Medicæ* phenomenon. Compreſsis ſiquidem illuſtrioribus in cute perfricata vaſis, & impedito undecumque fluidi comeatu, in ipſa fieri vix poteſt, quin per totã peripheriam, perque integrum iter non fricatum adhuc craſſiores liquidi purpurei moleculæ intra vaſa aliena, & ſanguineis minora deflectant, atque obſtructionem *errore* loci producant. Premuntur enim ita ſanguinis difficulter tempore frictionis devoluti cylindruali, ut, qua data porta, quodcumque cavum oblatum ſubeant, cùmque autem earumdem tam ad anteriora, quàm canalium poſteriora, tempore fricationis tardus ſupponatur excurſus; idcirco ingredientur primò vaſcula ſanguineis magnitudine proxima, mox alios ductus minores lymphaticos, & non intermiſſo truſionis motu, alias & alias decreſcentium vaſculorum ſeries, quas immeabilium mollecularum moles infarciet. Quæ omnia patent ex rubore, calore, tumore, dolore illarum partium, quæ vicinæ ſunt locis, quæ actu fricantur. Primis enim momentis *fricationis*, per totum & immunem proximum cuti defricatæ ambitum, partes ibidem contentæ incipiunt rubeſcere, a particulis ſanguineis per vim preſsionis intra ſuos canales adauctis; *incaleſcere* autem a ſolutis ſanguinis partibus ſulphureis, & in libertatem aſſertis; *tumere* verò propter copioſiorem craſsiorum mollecularum flluidi in aliena vaſcula truſi quantitatem; *dolere* tandem a diſtractione fibrillarum nervearum parietibus canaliculorum intertextorum. Sed hæc omnia veram natam eſſe *phlegmonem* arguunt. An non inde liquet ratio, quare tam frequens in Valetudinariis ſequatur inflammatio, dum adaucto momento, & pauló longiori tempore eorumdem cutis imprudenter fricatur? Præterea in Debilibus vaſcula nonnulla inde rupta eſſe non rarò compertum eſt; unde inflammatio *frictionis ſoboles*, vel pediſſequa, in illis hominibus *echymoſis* poſt frictionem diutiùs manere ſolet. Dum Nautæ in navibus, ſubito vento inflatis velis, Rudentum celerrima per Ipſorum manus trajectione immanem adtritum experiuntur, tantus calor inde naſcitur, adeoque in-

gens

gens dolor, ut uno momento in gangrenoſas veſiculas attollatur epidermis. (*a*) Patet ergo, bina eſſentialiter includi in frictionis perfecta idea; ſcilicet *compreſſionem* vaſculorum, quæ in illo exercitio fricantur numquam intermiſſam; atque proximorum canaliculorum, qui extra ſphæram, ut ita dicam, ſtrigilis poſiti ſunt *obſtructionem inflammatoriam*: unde neceſſariò aliquando ſequitur *febris*, quæ & ipſa *inflammationis* individuus comes habetur.

7. Non omittendum tamen eſt, peracta frictione, & vindicatis a compreſsione canalibus in ſuperincumbentem cutem, & in eoſdem etiam ductus undecumque rubrum ſanguinem depluere. Quod ſanè argumento evidentiſsimo eſt, in frictione, dum celebratur, retardata eſſe liquida, ne per eadem vaſcula pergant. Ille autem affluxus humorum in canales a frictione nunc exemptos tantò uberior, & celerior eſt futurus, quantò ceteris paribus retracta, repulſaque ex frictionis loco liquida parciùs, & tardiùs in vaſcula non ſua perruperint. Quando verò per vim *frictionis* adauctam confertiores liquidi purpurei partes minorum ordinum vaſculorum oſcula ingreſſæ ſunt, ibique diutiùs ob continuatam frictionem morantur; tunc enim verò pars, poſt *frictionem*, candida ut priùs per longum tempus manet, & periculoſa *frictio* eſt. Augetur porrò frictionis diſcrimen, quoties moleſtus, & ſenſim increſcens dolor partes fricatas, vel hiſce adſitas diutiús vexaverint. In primis enim abſque apparente tumore indicare poteſt nerveorum ſtaminum per attritum diſtenſionem nimiam; in poſterioribus autem locis, quæ proximè locis fricatis adjacent, oſtendit minimorum vaſculorum obſtructionem dolorificam ſenſum effugientem, vel compreſſionem a vicinis dilatatis. Et profectò *lenem titillationem* tēpore frictionis ſequi ſolet *pruritus*, a pruritu moleſta ſenſatio, quæ, vigente frictione, in dolorem tranſire comperitur. Illud autem deſignat *frictionis* momento, ſi per gradus aſcendat, oppleri primò arterioſa, ſeroſa, flava, vaſcula ſanguinis e lateribus proximè oriunda: dein vaſcula *lymphatica* arte-

(a) *Vanſvieten. tom.* 1. *in Aphor.* 375. *p. m.* 637.

arterioſa ingurgitari quoque, & propriam ſibi inflammationem producere. Quibus alia inferioris claſsis vaſcula accedunt, quæ ob tenaciores intra ſe receptas aberrantis fluidi partes obſtruentur, & peculiarem inflammationem concitabunt; & ſimiliter de ceteris diſcurrendum eſt, donec eadem *mechanica* ad exiliſsimos canales, & nervorum æmulos propagetur *phlogoſis*. Ipſe autem color mutuatus noſtram opinionem confirmat: Nam primò, pars fricatæ cuti circumſita roſaceo colore ſuffunditur, dein *eriſipelate* afficitur; mox verò rubore profundiùs inficitur, quouſque e rubro in lividum atrumve degeneravit.

8. Dicta hactenus de præcipua *frictionum* in corpore noſtro agendi ratione, quatenus a nobis expoſita eſt, *Celſi* ſententiâ egregiè illuſtrantur, quem ex ſubſequenti verborum ordine in ea fuiſſe ſententia abundè clareſcet, ut *frictionem* de corpore *demere* tantùm opinaretur, videlicet per *frictionis* exercitium id nos aſſequi, ut diſtrictæ cutis minima tam ſolida, quám fluida velut limentur, deterantur, detritaque pereant. *Celſum* ideo audiamus, qui poſtquam *Hypocratis* dictum allegavit, frictionem nempe, ſi vehemens ſit, durari corpus, ſi lenis, molliri; ſi multa, minui; ſi modica, impleri; pergit idem Latinus *Hypocrates*: *Sequitur ergo*, inquit, *ut tum utendum ſit, cùm aut adſtringendum corpus ſit, quod fluens eſt; aut emolliendum quod induruit; aut digerendum quod in eo copiâ nocet; aut alendum id, quod tenue, & infirmum eſt: Quas tamen ſpecies ſi quis curioſiùs æſtimet, quod jam ad Medicum non pertinet, facilè intelliget, omnes ex una cauſa pendere, quæ* demit; *nam & adſtringitur aliquid ex dempto, quod interpoſitum, ut id laxaretur, effecerat; & mollitur eo detracto, quod duritiem creabat; & impletur non ipſa* frictione, *ſed eo cibo, qui poſtea ad cutem uſque digeſtione quadam relaxatam penetrat.* Hactenus Celſus. (*a*)

Sed tempus jam eſt, ut enunciata de frictione, ejuſque natura, & commodis, veſtimentis *laneis*, panniculiſve accommode-

(a) *lib.* II. *cap.* XIV. *de Frictione*.

modemus; quibus in praxi diſtingui, perfricarique ſolet cutis, quó inde propoſitionis noſtræ veritas luculentiùs pateat; atque unico quidem velut aſpectu intueri cunctis dabitur, quantum in frictionis actione *lanæ* alia quacumque materia, vel communi cannabina tela præſtent, ſi quidem utravis materia certam cutis partem perfricueris: Tunc enim ſi *lanea* lacinia, præprimis dura & aſperiori, membra ſtringuntur, calor, rubor, tumor, dolor, & omnia inflammationis (*num.* 6.) ſimptomata conſequuntur, ſed moleſtiora, citiora, diuturniora; quòd ſi ad hoc opus lintea textura eligatur, extima cutis calebit equidem, ſed mitiùs; rubebit, ſed dilutiús; tumebit, ſed modicè; dolebit, ſed remiſsiùs. Neque verò ratio ullo modo deſideratur, maximè ſi ad ea, quæ in prima noſtra Propoſitione demonſtrata ſunt, *hìc ſupr. Propoſ. prima*, §. VI. *num.* 3. 4. *&c.* attendamus. Ibi enim evictum eſt, profectum a lanis calorem diuturniorem eſſe, ſimulque fervidiorem, quàm qui ab tegmine linteo corpori conciliatur; inde ſæviora profluunt & longiora ſimptomata, quatenus calorem ſpectat; inde impenſiùs æſtuante liquido, tubuliſque lateralibus calore laxatis, facilior in minora vaſcula incurſus liquidorum, major ad ſtaſes promptitudo, citior partis in tumorem elevatio; inde ſolutis ob calorem globulis purpureis, & difficulter exotica vaſcula pertranſeuntibus, vividior emicat purpura; inde coacervatis ſenſim molleculis, pergente earumdem irruptione, denſior, & profundior idem color; inde tandem fervore concitato, ſtimulo adaucto, & tumore increſcente, magis acerba doloris ſenſatio futura eſt. Experiri enim quiſque poterit, ſenſum doloris, dum *lana* ſtrigilis munere fungitur, & poſtquam a frictione ceſſatum eſt, acutiorem eſſe, atque ardentis, urentiſque ignis ſpeciem præſeferre, quæ in frictione, quæ laciniâ lintea v. g. inſtituitur, non occurrunt. Verúm non ſolúm ex diſsimili calore in utroque *frictionis* genere producto, neque ex diverſa pulſionis vi, quæ in actu frictionis exſeritur; neque ex diſsimili, & inæquali ſpatio perfricato difformes illi effectus per *lanea* linteave ſegmenta fricantia contingunt. Poſſunt enim illa omnia eadem ratione utrobique apparere, ſive pan-

 nicu-

niculum *laneum*, ſive linteum uſurpes; verùm etiam effectuum *frictionem* excipientium diſcrepantia, quod præcipuum hìc eſt, tota pendere videtur ex majori ſtimulandi potentia, qua *lanarum* ſuperficies linteis ſemper aſperiores pollent, ut planè irritatis eodem tempore corporis animalis fibris, atque ab horridis *lanarum ſpiculis* perterebratis, major contractio oriatur, inſignior coarctatio vaſculorum, quæ potentiæ ſtrigillanti ſubjiciuntur, immanior æſtus; liquidi intùs coerciti turgeſcentia, inque laterales canaliculos deſcenſus violentus, & omnes *frictionis* pravi effectus. Hinc eſt, quòd lini fabrica, & inde contexta omnia, levia cùm ſint, & reſpectu *lanarum* magis polita, villis, & ſetis productis, acutiſque careant, illos bonos effectus creare minimé poſſunt, neque ulla ratione attritum, qualis a *frictione* proficiſcitur producere. Conſtat enim, partium labefactationem adtritumque, eò efficaciorem futurum, quò ceteris paribus obterenda corpora aſperiora fuerint; vel quò perfricanti potentiæ, obices inſtantanei eminentiarum, angulorum, & ſimilium magis obſtiterint. Cavet ab atritu Rotas, illita inunctaque oleo earumdē axis. Ingens e contra corporum concuſsio, atque fractura interdum ignivoma producitur, ſicubi corpora arida omni pingui oleoſo deſtituta ad ſeſe mutuo ingenti fragore eliduntur. Non ergo mirum, *confer ſupra experiment. noſtra cap.* v. §. vi. *num.* 2. 3. 4., ſi prȩter calorem, textile *laneū* compactum fricandas corporis animati partes, alia ſtimulandi, & irritandi dote, operibus linteis præpolleat; ut proinde in vulgatiſsima Praxi, ab omnibus Clinicis in frictionis negotio eligatur.

XI. Proclive eſt hinc elicere *lanam*, & contextos inde pāniculos, in illis morbis locum habere, quibus *Frictio* utilis futura eſt. Quotieſcumque ergo fricanda corporis pars eſt, indeque ab internis vaſculorum parietibus, ubicumque adglutinatum aliquid dimovendum eſt, dummodo *frictionis* detergentis viribus patuerit, pannis *laneis* ſemper fricato. In morbis præterea, quorum curatio frictionis attritum ſtimulantē exigit; *laneas* panniculas audacter adhibeto. Quotieſcumque vitalis humorum in circulum abeuns iter languet atque lenteſcit;

ſcit; ubi lentor pituitoſus exiles viſcerum alveos opplet, atque nervos mole ſua gravatos ad functiones naturaliter obeundas ineptos reddit, ad *frictionum* energiam confugito. Quotieſcumque hi tibi occurrerint homines, qui enormi ſanguinis ſinceri profluvio ita exhauſti ſunt, ut facie cadaveroſa referente, corpore collapſo, & lurido pallore fœdato, pulſuque vix ampliùs ſenſibili, mortis candidati ab omnibus habeantur, toties illis ſola *frictionum* auxilia ſuadeto, datis interea parciùs quæ intùs vacuata vaſa replere, & fugientem vitam revocare poſsint, nec omiſsis corporis exercitiis. Tædioſus fortè evaderem Lectori, ſi corporis frictiones varias, quibus in ſcriptis Veterum magna ad inſtaurandam ſanitatem vis tribuitur, meæ conſiderationi ſubjicerem. Id enim prudentum, eruditorumque Medicorum nemo inficiabitur, ſæpè morbos poſt diutinum egregiorum pharmacorum uſum, quæ recenti Ævo ſcrupuloſiùs Arti noſtræ adjecta ſunt, relictos incurabiles Antiquis commendata frictione, Recentioribus autem neglecta, expugnari ſanarique conſueſſe. In *animi* itaque *Deliquio*, *obſtructionibus Mezenterii*, *Omenti*, *Hepatis*, *Lienis*, *Hydrope*, *Ædemate*, *leugophlegmatia*, *Paralyſi*, *Perſpiratione prohibita*, *Tumoribus frigidis viſcidis*, *Inertia*, *Laxitate*, *&* *Humiditate Solidorum*, multis morbis *Chronicis*, *acida cruditate Humorum*, *Arthritide vaga*, *Morbis frigidis*, *Hydropis*, *Podagræ*, aliorumque morborum, *Prophilaxi*, *Pareſi*, *Scorbuto frigido*, *Ventris infarctu*, *Rachitide*, & infinitis aliis corporis (*a*) affectionibus, in frictione *lanea* præſidium eſto. In univerſum ex *Galeni* ſententia (*b*) ſucci crudi redundantia laborantes fricare præſtat, quàm evacuare, aut lavare, aut exercitio addicere; cùm *Frictionis* ſit proprium attenuare, atque diſcutere; aliarum autem evacuationum, eliquare, & crudos, indigeſtoſque humores citiùs quàm par eſt (*c*) diſtribuere.

XII. Quin in Pannis *laneis* rudioribus, & aſperioribus,

 con-

(a) *Conf. Gorter. tract.* 83. *p. m.* 117: (b) *l.* 4. *de Valetud. tuen. de ſimpl. c.* 6. *&* *l.* XII. *method. c.* 3. (c) *Franc. Valeſ. Controverſ. lib.* VIII. *cap.* VII. *p. m.* 376.

confertiſsimiſque ſetis refertis, ubi illis ad partes defricandas, defringendaſque utimur, latere aliquid ſuſpicor magnifaciendum remedium, quod eò tutiùs abſcondiſſe videtur natura, quòd nihil tale ſuſpicantibus omnium oculis expoſuerit. Illud autē per *frictionis* motū panditur, & ad paralyticos morbos ſanandos *Urticæ* jaculorum efficaciam, mea quidem ſententiâ, æmulari videtur. Quandoquidem non ſecùs ac in flagellatione per Urticarum faſciculos inſtituta, in pannorum rudiſsimo textu, dum partes animatæ divelluntur, atque teruntur, quædam corpuſcula in ſubjectam cutem velut ſpicula totidem evibrantur, ingentem infixa dolorem paritura. *Conf. ſup. cap. II.* §. VI. VII. *& cap.* X. Ad hæc obtuſa utrobique per longam partium attritionem fuſtigationemque, hebetataque hinc inde aculeorum acie, iners evadit remedium, atque ita, ut renovari debeat ſive *lana*, ſive *urtica*, quò inde continuus, & numquam deſinens partium dolor pruriens excitetur, & advocetur ſanguis, & ſpiritus animalis ad partem ſenſu motuque orbatam. At verò incumbendum eſt, ne *frictionis* moleſta ſenſatio noſtris ægrotantibus pernicioſa evadat; Neve, quod boni *frictio* præſtat, a ſubſequēte aliqua labe dematur. Sūmatim dicam: Curandū eſt, ut *frictio* dexterè prudenterque inſtituatur. Quandoquidem ſupra §. X. *num.* 5. 6. abundè conſtitit, vaſculorum contuſionem effractionemque inter vehementioris adfricationis effecta numerari. Elegans in hanc rem habetur locus apud *Nicolaum Valentinum*. *Animadvertendum tamen*, inquit, (*a*) *ne in frictionibus adaucto imprudenter motu tenerrima vaſcula rumpantur, ut accidit puellæ decem annorum circiter, quæ cùm parva viſcerum obſtructione laboraret, Ruſticus quidam ſolo frictionum uſu eam ſanaturum pollicitus eſt; ſed res ipſum fefellit: nam poſt frictiones, ruptis lymphaticis, Virgo ſtatim intumuit, & hydropica facta eſt.* Hoc autem infortunium urbanioribus hodierni temporis Medicis Chirurgiſve neutiquam pertimeſcendum eſt, ut qui delicatiùs Ruſticis molliùſque in adhibendis frictionibus, cutem leniter palpare edocti ſunt.

XIII.

(a) *de Arte Gymnaſt. cap.* VI. *part.* II. *p. m.* 102.

XIII. Propoſitio tertia: *In Frictione lanea, quæ adjuncto quocumque remedio peragitur, efficacior, tutior, jucundior, conſtantior medela obtinetur, quàm ſi idem remedium internè per os aſſumeretur; vel ſi exteriùs, ſimpliciter abſque affrictu applicaretur.*

Demonſtratur: Interdum in uſum adhibetur *lana* humido aliquo aromatico & odorato imbuta: Interdum aliqua eſſentia, tinctura oleis ſtillatitiis perfuſa: Interdum incenſo ſubtus aliquo thymiamate, vel ſimili gummi ſuffita. In hiſce & ſimilibus caſibus non opus eſt ut demonſtremus, interiorem horum remediorum uſum topico externo, & laneo cauſa ceſſurum eſſe; cùm ſola praxis ad illud evincendum ſufficeret. Sed & idipſum claritatis gratia multiplici lubet argumento adſtruere. Nempe:

1. Quòd remedia hujuſce generis particulis calidiſsimis, & ſummè inflammabilibus, quibus ſcatent, ventriculi tunicas, quas primó impetunt, pungant, irritent, laceſſant, atque adeo inflamment. Inde eſt, quòd viſcerum internorum a deglutito *alkoole*, & ſpirituoſis tincturis fatalis plerumque ſequatur phlogoſis: e converſo autem ab uſu eorumdem auxiliorum externo contrarium expectandum eſt, ut quæ nobilioribus & tenerioribus viſceribus intactis vaſcula ſanguinea penetrent, per cutem, quæ denſa, firma, & volatilium partium impetui ferendo comparata eſt.

2. Quòd res illæ, quibus imbuta *lana* externo uſui deſtinatur, in cutem agantur illo caloris momento, quod in cute reperitur, & quod leve eſt, atque ab incumbentis aeris externi frigiditate ſemper temperatum: *vide hìc* §. VI. *num.* 4. e contra verò, dum eadem pharmaca corpora internè ſubeunt, vitales ſuccos petunt, eoſdem invadunt toto eo velocitatis impetu, quem habent ab illo igne, qui in terraneis corporis major, atque intenſior deliteſcit; atque adeo periculum, quod eſt ex uſu remediorum externo, minus eſt periculo, quod ab interno uſu imminet.

3. Quòd ſupra in præſenti Capite jam ſatis probatum ſupponi debeat; quæcumque ſcilicet pharmacorum, præcipué calidiorum, principia intró ſumuntur, eadem parciſsima copiâ

in

in ſanguinem transfundi, & languidiùs ſanguinem corrigere, atque virus altiſsimè, & in ſumma præcipuè cute repoſitum debiliùs profligare: Quo circa non eſſe mirum, patet, ſi topicorum uſus internis remediis non ſemel præferatur, ceu certus, præſentaneus, ceu efficax, & ex ſe planè innocuus: Quandoquidem augeri, imminui, ſiſti remedii externè appoſiti virtus poteſt; adaucto imminuto ejuſdem robore, vel eodem ad libitum ſuppreſſo: Quod non contingit in medicatione interna, ubi, quod factum eſt, infectum eſſe nequit.

Verùm enim verò parùm tutum efficaxque applicatio *Topicorum* externa foret, niſi debita & apta materie eorumdem medicaminum ſubtiliores & odoratæ atomi aſſervarentur, atque adjuvante debito impetu, in cutem ſufficienti impulſionis momento, inſinuarentur. Primùm *lanea* ſuperficies præ linteis miré ſupplet, ut quæ caloris magis particeps ſit, plurimum liquidi abſorbeat, & calorem remedio conciliatum diutiùs foveat. Similiter faciunt aliæ materiæ, ut *Spongiæ*, *Stupæ*, *Xili*, *Bombyx*, & omnia *lanuginoſa* corpora; hinc ſi regio corporis *epithemate* fovenda tenerior eſt, & *epithema* non calefactum indicatur, aut conſervandi caloris non adeo urget neceſsitas, jubent Practici, ut (*a*) linteamina in uſum trahantur. Contrarium autem experimur, dum ſolum, & ſibi relictum remedium quacumque ſub forma vaporem emittit, qui ad medicandam cutem pertingere debeat: Nam inde ſive fotus uſurpetur, ſive ſuffumigatio inſtituatur, perinde eſt, ac ſi potiſsima remediorum pars, quam vapor elevat, vel fumus diſpergit, periret ſine fructu, in auras diſſiparetur, neque ullis partibus corporis noſtri exciperetur. Imò corporum principiis odoratis, penetrantiſsimis, acutiſſimis, ſubtiliſsimis intra contextum ſuum recipiendis, cohibendis, continendiſque longè parem eſſe lintea *laneam* fabricam vidimus, ubi de *Peſte* agebatur. *Conſule ſup. Cap.* XI. Ipſe Matronarum uſus, eorumque qui odoribus maximoperé delectantur, neutiquam reticenda hìc eſt conſuetudo, ut qui in Alabaſtris, & Pyxidiculis argenteis aureiſque lanuginẽ, goſſipium,

(a) *vide Gaubium de Formul. de Epithem. p. m.* 228.

ſipium, vel teneram ſpongiam ſupponunt, quò pretioſi immixti unguenti, odoriſve vaſtitas conſervari diutiùs valeat. Ergo in odorum vehiculo, vel alterius remedii recipiente materia, per longius tempus odoramenta morantur; & quod notandum hìc eſt, *lanæ* ad hocce opus ceteris quibuſcumque materiis palmam præripiunt; ut quarum ope, & contextus interventu immiſsi pharmaci virtus uberior, & conſtantior, diutiùſque remaneat; quæ proinde in bibulam cutem lanatam jam, vel lanuginoſa ſimili ſuperficie tectam, pedetentim, ſed jugiter, ſed abſque damno introducetur. In ſimplici autem halituoſa remedii applicatione, vel ſuffitu, abſque *lanæ* conſervantis adjumento, nulla ſpes ſupereſt de atomis vapore, fumove in ſublime actis, fore ut reſarciantur, vel iterum in affectam partem depluant, tacitéque inſinuentur. Præterea, dum corpus nudum alterna motitatione intra obvolventem *lanam* exercetur, mirum quàm bellè detergitur, & a contractis ſordibus mundari conſuevit; ſed dum ab erumpente undique ſuo halitu, eòque ab objecto panno repreſſo afficitur, næ ſingulis momentis verè lavari videatur, cuicumque clarum eſt. Antiquitùs cùm lineorum pannorum, qui corpora a ſtrigmentis tuentur, uſus nondum inventus, aut ſaltem infrequens eſſet, magnaque ex parte corpora nuda (*a*) ferrent, a pulvere, & omni alia illuvie conſpurcabantur. Itaque *laneum* veſtimentum, cujus beneficio cutis vapor evocatur, coercetur, atque ad inſtar euripi in illius emunctorii vaſcula influit, refluitque, *balnei* calentis vicem ſuſtinet; ſimulque *ſtrigilium* effectus æmulatur, qui plerumque (*b*) ſpongię erant, vel linei, quibus hominum cutis fricando detergeretur.

Secundum autem patet conſideranti, frictionis efficaciam, ad quam *lanas*, & ex iis emergentes veſtes eligendas eſſe, ſuperiori Propoſitione (*Propoſit. ſecunda*) probavimus. Inde enim futurum eſt, ut in vaporem ſoluti, vel igne accenſi pharmaci partes, quæ nullo coercente diſsipatæ fuiſſent, & nullo determinante in renitentem cutem ægriùs ſeſe intu-

liſſent;

(a) *Mercurial. de arte &c. l.* 1. *c.* x. *p. m.* 17. (b) *Ex laudato Viro cit. p. m.* 22.

liſſent; (*Propoſ. Tert. num.* 2. 3.) ſuperveniente nunc *frictionis* impetu, & *lanæ* diſtringentis preſsione, uberiùs, celeriùs, efficaciùs, jucundiùs ſubituræ fluida ſunt, atque pertinaciùs ibidem inſiſtent. *Uberiùs* quidem, quòd præcipuam, & *æthe̱ream* remedii virtutem coerceant, quæ in aera abſque commodo evaneſceret. *Celeriùs*, quód per frictionis alternatum motum corpuſculorum admiſsio, & in ſubjecta cuticularia vaſcula determinatio velocior ſit. *Efficaciùs*, quód actionis momentum ex majori quantitate, & celeriori motu liquidi componatur; quòdque ſuperficies hìc adſit corporis bibula undique; ignis vis viva corporum concretorum principia ſeparans, & mutans; ſenſiliſsima dein proſtent tenerrimæ cùtis nervea ſtamina, quæ *lanæ* diſtrahentis ſpinis prolixis fricanda, detergendaque objiciuntur. *Diuturniùs*, quòd jam exploratum ſit, pannos *laneos* præ linteis plus liquidi imbibere, & quo ſuffitu, vel vapore impregnati fuerint, diutiùs eumdem retinere. *Jucundiùs* demùm, quòd omne periculum abſit, quo interna applicatio medicamenti nocitura partibus eſſet, vel ſi aliquid timetur, facilè per *lanarum* retractionem præcaveatur. Sed heu quantùm exaravi chartæ in frictionis momento, indole, materie diſcutiendis, exarandiſque! Veritatem tamen quærenti condonandum, ſi paulò fuſiùs (utinam abeſſet error) ſcripſerim.

XIV. Prægreſſa Propoſitio maximi eſt in re Medica uſus. Liquet enim inde, optimam eſſe pannorum, laciniarumque, & ſimilium lanearum ſuperficierum electionem in ſuffumigatione, in *epithemate* ſicco, & in *epithemate*, vel *fotu* ſpirituoſo calido aromatico, ut cetera omittam, quæ huc referri poſſunt. Et quidem

1. Dum igne concremantur Corpora, quæ vel odore quem ſpirant, vel exotico fumo, quem exhalant, vel inviſibilibus inſenſibilibuſque qualitatibus, quæ hac methodo actuoſiores extricantur, medelam partibus allatura ſunt; commodiùs ſuperimponitur *lana*, vel aliud ſimile abſorbens, quo medicamenti ſicci, fumantiſque vapor per aeris molem diffuſus opportuniùs ad contactum corporis ægri externum pervenire, atque in hujuſce oſtiola conjici poſsit, quò inflammabilium, vola-

lati-

latiliumque corporum medicata aſpiratio inter ſetas, *lanæque* filamenta recipi, recondique quàm diutiſsimè in uſus medicos valeat. Huc ergo pertinent omnia ſuave-olentia, quæ ad delicias, vel fœtorem partium corporis corrigendum adhibentur, ut *Thus*, *Benzoen*, *Ambra &c.* Huc fœtida *hyſtericis* apta affectibus, ut *Caſtoreum*, *Galbanum &c.* Huc *Sulphur*, *Nitrum* adversùs putredinem inventa. Huc *Cinnabarina* veneris morbis localibus adverſa. Ex quibus omnibus per accenſionem ſemper excutitur fumus. Quandoque *Subuculæ*, *Cuculli*, *Sacculi*, *Pallia* fumigantur priùs, quám corpori adaptentur: alias & amictus *lanei*, quod uſitatius eſt, vapore illo ſicco ſalubri madidi, vel imbuti fovendis, aut fricandis partibus inſerviunt.

2. Quotieſcumque ergo roborare per partium ſuffitionem medicatam, & calefacere ſolida, humores verò diſcutere, ſiccare animus eſt; toties *lanea* texta ceteris præſtant. Quoties adeſt ſolidorum flacciditas, humorum viſciditas, motus tarditas, *Paralyſis*, & ſimilia, præſenſque adfuerit neceſsitas corpus ſuffiendum contegendi, toties *laneo* utendum eſt *Conopeo*, vel *laneis* ſtragulis, vel fornicata machina *lana* exteriùs conveſtita, ut qua & uberior, & efficacior aromaticus, vel alia ratione medicatus fumus ad affectam partem dirigi queat. Quoties tandem opus eſt morbum totis viribus aggredi, qui certis cutis locis ſub forma tumorum ulcerumve incubuerit; toties fricandæ partes *lana* ita ſuffita ſunt, ut quæ eo modo affecta, ad detergenda, exſiccanda, conglutinanda ulcera, ſive manantia, ſive puſtuloſa, multò majori vi gaudeat, quám alia materierum genera; ut quæ ita cum partibus attrita, & ſi opus fuerit, diuturniùs adhærens, præſtantiſsimam opem ferre comperta ſit, *tumoribus* per cutem ſparſis, vel oſsium compagem obtinentibus, vel alterius ſpeciei concretionibus, ut *gummatis*, *exoſtoſibus*, *gangliis*; (modò opportunæ ad ſuffumigationem eligantur ſpecies, quibus locales affectiones cedere exploratum ſit) ut quæ tandem frictionis motu adjuta, & apto calore munita medicata principia, quæ fervida exhalantur, cutaneis ulcuſculis vegetiùs allabi cogat, laticem, quo partes obſidentur, abripiat, mol-

liorem carnem, quæ cicatrici obeſt, adurat, vel erodat; ſicque *dyſepulotica* ulcera ad ſanationem perducat. Neque hìc timendus eſt *Frictionis* motus; ulcerum enim calloſam, & fungoſam ſubſtantiam fricantis *lanæ* momentum denſiſsimis velut morſiunculis impetit, dilacerat; præterea aculeata villorum *laneorum* faſtigia eamdem irritant, torquentque, afficiunt demum particulæ ſpecierum, quæ in ſuffimenta adduntur, ita ut, dum proſerpente accenſione in fumos dilabuntur, virtute detergente *ſarcotica*, vel *epulotica*, quà valent, ulcerorum cavum emendent, expurgent, & a calli ſarcina liberent, quaſi lanceolæ munus obirent.

3. In uſurpatione *epithematis* ſicci, ubi pulvis medicatus, conſuto plerumque Panno incluſus, externæ corporis cuti vario Medici ſcopo apponitur; quantum *Goſſipium*, vel *lana* animalis ceteris præeminet vehiculis, non eſt quod multis dicam. Sacculi enim Pulverem, & Species contritas & medicatas recepturi, *lanei* ſi fuerint, & ex recentiſsimo vellere confecti, meliores erunt: Utique ſi requiratur in hocce remedii genere vel ejuſdem particularum diuturna ſacculo excipienti adhæſio, vel minor, & lentior de continente panno excuitio, & evaporatio. Nam ob denſiorem ſui texturam *lana* & minorem, & tardiorem diſsipationem remedii intùs concluſi efficit; ſeu, quod idem eſt, diutiùs & efficaciùs in corpore operatur, maximè ſi liquidum ſpirituoſum præſtò ſit, quo *epithema* ſiccum humectetur, & maceretur; & ſi hiſce omnibus vaporoſus ignis, vel vividus prunarum accenſarum & fumantium calor acceſſerit; quibus tantò potior futurus eſt *lanæ* uſus uſu *linteorum*, quantó magis tam humido trahendo, quám ſuffitui abſorbendo prius panni genus poſteriori idoneum cenſemus. Sic *Cucufa* illa confortans, quæ a *Gaucibio* deſcribitur, (*a*) quæque capiti debili, frigidis catharris obnoxio proficua ab ipſo perhibetur; Cucufa, inquam, illa goſsipium recipit, quo exceptæ ſpecies includantur duplicaturæ cuculli, & punctim interſuantur; atque cucullo hoc fumo aromatico fumigato manè, & veſperi tegatur caput. Idem eſt de *cucufa* ad aeris injuriam arcen-

---

(a) *Vid. p. m.* 239.

dam in auditus vitiis expertæ virtutis, ex *Friderico Hoſmanno*. (*a*)

4. Liquet etiam, quare in *epithemate* humido, præſertim in illo, qui ad cordis languorem paratur, & in quo pulveres miſcendorum ſpiritu aromatico oleoſo penetrantiſsimoque divites decoquuntur, adeo frequenti in uſu ſint pannorum laneæ rubræ laciniæ; excipitur enim, abſorbeturque ſemper decoctum a pannis *laneis*, tamquam vehiculo magis bibulo, & *linteis* aptiori; aſſervatur ibidem tamquam in proprio receptaculo, quòd utpote craſsiori, vel firmiùs contexta *lanarum* fabricâ emergens, coercendis principiis medicati fotus volatilibus, & tenuiſsimis aptiſsimum cenſetur; præterea illud decoctum, dum *lana* utuntur, ab hiſce ſugitur ita, ut calor, quem habet, diutiùs ibidem moretur, & neſcio quanam cognatione ſpirituoſa, & aromatica odoramenta fluido calenti diluta, appropriatum magis idoneumque in *lanis* domicilium inveniant. Quamobrem ſi mitis in talibus caſibus acceſſerit *frictio*, calidum illud *epithema* nedùm cutis externæ plagas, quas propiùs tangit, necnon nuda, & ad ſimplicem contactum poſita vaſcula utiliter mutat; verùm etiam ad profundiſsima uſque corporis viſcera penetrat, iiſque beneficam virtutem largitur. Porrò in hunc finem plurima præſcribi a Practicis ſolent. Textum nempe *ſericum*, *Stupæ*, *Panni*, & *lanatæ ſectiones variegatæ*. Verùm non immeritò in praxi Medica rubri panni commendantur; ſicut non temerè ſericum in illis caſibus non crudum a *Galenicis*, ſed grano tinctorio infectum, proponitur. Nam quemadmodum *Cocci Baphici* rubedo non eſt quid vanum, & viribus penè effetum, verùm a vermiculo agili intùs coercito quoad maximam partem proficiſcens, ſpiritus vitales reficit, & cordis affectibus ſuccurrit. (*b*) Ita ubi coloratæ *Cocci* partes decocto ſolutæ pannos *laneos* eodem colore affectos intrant, virtus cardiaca unita exurget fortior, quàm ſi iidem, alio tamen quovis colore inſtructi, admitterentur. Itaque Clinicis panniculas *Kermeſini* coloris, eaſque *laneas*, in uſum

 advo-

(a) *Tom.* 111.*p.m.* 242. (b) *Gervaſ. Rediv. p.m.*29. *&* *p.m.* 395.

advocare viſum eſt ad fovendam externam cordis regionem: Ea quippe ratione non *lanam* modò cuicumque alteri textili anteponunt; verùm etiam in deligendo colore ceteris ſapientiores eſſe videntur, qui panniculos undique ſine delectu colorum uſurpare in iſthoc *epithemate* conſueverunt. Purpureæ enim molleculæ, quemadmodum a *grano* in ebulliens liquidum exeunt, eique communicantur; Sic a *laneo* amiciente velamine, & abliguriente exſuctæ, altiùſque exauſtæ, pervio noſtro cario, faciliùs, & fortiùs traduntur. Qua de re conſulantur ſuperiora. *ſup. cap.* VII. & VIII.

5. Quoties ergo *epithematum liquidorum* in genere uſus indicatus videtur, toties in ſubſidium vocanda *lana* eſt, modò materies arte ſeligatur, & tempeſtiva fiat applicatio remedii; modò abuſus Artis-Peritus facilè vitaverit; modò imprægnati *lanei* panni, volatili remedio, diutiùs admoti partibus ſinantur, & idemtidem renoventur pro prudentia Medici. Sic igitur in *Acutis*, *chronicis* externis, interniſve morbis in affectionibus viſcerum; Præterea in indicationibus emolliendi, roborandi, repellendi, adtrahendi, calefaciendi, diluendi, reſolvendi &c. ſolidis fluidiſque animalis præſtantem opem pollicetur iſtiuſmodi *epithema*, pãnorũ laneorũ intervẽtu, externis corporis partibus appoſitum. De corde autem tralatitium eſt, ipſius ſcrobiculo ſpecierum aromaticarum decocto madentes *pannos laneos* quàm efficaciſsimé adjici, in *ſyncopis* apparatu a quacumque cauſa, in affectibus ipſius cordis frigidis, & in omnibus illis caſibus, ubi morbi capitis, nervorum, *ſpinalis medullæ*, ſtomachi, & cordis, ab humorum ſpiſsitudine, nervorum *atonia*, & muſculoſarum partium imbecillitate ſuſtentantur; item in ſtomachi vitiis, quæ eadem fibrarum morboſa flacciditas genuit; tandem in quibuſdam humidis, & morbidis anni conſtitutionibus, in quibus blandus nervis ſtimulus imprimendus, & facilior liquidorum curſus ciendus eſt; atque ne longus ſim, in *Apoplexia*, *Paralyſi*, ſtupore ſenſuum, memoriæ debilitate, auditus difficultate, virium lapſu, viſcerum inflatione *colica frigida*, *Diarrhea*, vomitione in ſenibus, pueris, in tuſsi humida, *Ædemate*, *Corizza*, *Rheu-*

matiſ-

matiſmo a cauſa, ut loquuntur, frigida orto &c. (*a*) In hiſce enim caſibus fragranti ſubtiliſsimo oleoſo ſuo principio cardiaca hæc vel roborantia topica per madefactam priùs *lanam*, & parti ægræ accommodatam, intra vaſa, viſcera, nervos, horumque omnium liquida eunt, ipſiſque motum blandum imprimunt, & labefactatas partium functiones in priſtinum ordinem reducunt. Itaque memoriæ prodidit *Turnerus*, (*b*) validum vomendi conatum fruſtra quamplurimis cardiacis, & ſtomachicis internis nihilo ſeciùs perveniſſe, quouſque *laneæ* laciniæ molles abſinthii, mentæ, & aliquot aromatum decocto madidæ, & præcordia externè tangentes noxam illam quàm feliciſsimè ſuſtulerint. Alterum caſum refert idem (*c*) de homine *Iſchuria* laborante, quæ *Diureticorum*, & *Aperientium* quotquot præſcribebantur, vim omnem eluſerat, & parùm omninò ſemicupio ex herbis emollientibus unà incoctis e veſtigio parato levari viſa, poſt ingreſſum catheterem iterum recrudeſcens; aſt illicò ad pubem peculiari oleo, deſuperque dato *laneo* tegillo, dicto citiùs fugata memoratur. Et profectò topicorum, & externorum halituosæ remediorum atomi ſubcutaneos inhalantes canaliculos perrumpentes, validas in liquidis noſtris mutationes excitare poſſe, is facilè judicabit, qui animadverterit, formidabilium penitiores malorum cauſas, ut *Apoplexiæ*, *Epilexiæ*, *epidemiarum &c.* in ſubtiliſsima quadam aura conſiſtere, quæ de foris accedens, per dehiſcentes cutis animatæ tubulos means latices vitales, qua data via, aggreditur, quorum craſim, naturalemque indolem peſſumdat, evertit, atque corrumpit. Sed de hiſce fuſiùs, ubi de *laneis* effluviis actum eſt, *ſup. cap.* II.

6. Quandoquidem de coloratorum corpuſculorum intra corpus ingreſſu per ſudoris vehiculum, ſuperiùs dictum eſt; *cap.* VII. §. IV. V. VI. eò ratio agendi tincturæ hujuſmodi purpureæ, qua in *Epithemate humido* (5.) utimur, redire videtur, ut ingreſſu ſuo color ille ab ope calentis liquidi in vaſis efficiat illud, quod efficeret ipſum ſubtile aroma corpori

(*a*) *Vide Hofmann. tom.* I. *p. m.* 444. *ſequen.* (*b*) *Maladies de lapeau tom.* II. *p. m.* 318. (*c*) *Ibid. diſſert. p. m.* 325.

ri ingeſtum, hujuſque nervos excitans. Quamobrem colliges, turpiter errare illos, qui colorum, qui pannis adveniunt diſcrimina in re medica minimi faciunt; aberrare quoque illos, qui de *Pannorum* coloribus nimis ſuperſtitiosé judicant: Sapere autem, & rectiùs ſentire eos, qui mediâ incedentes autumant, pannos, quo tempore corpori ad nudum contactum hærent, colorem, quo inficiuntur, cuti ſubtus calenti, humidæ, atque apertæ immittere ita poſſe, ut in quo conſiſtit tincturæ efficacia multiplex, multiplici illud ſub larva, fluidis animalis intrcurrentibus, affatim impertiant.

7. Hinc ergo (6.) malé ſentit *Peklinus*, dum hiſce verbis teſtatur: *In pannorum* (ſunt ejus verba) *deligenda ſpecie non minor eſt hìc curioſitas, aut ſuperſtitio: Cùm enim ad fovendum cordis calorem magna ſit panni rubri, cùm præprimis Kermeſini commendatio; ad oculorum corroborandum tonum, ſeu calorem*, ſerici *viridis, namque aſperior, laniosiorque ſuperficies tum viſui, tum oculorum ſubtilitati officere ſolet, ſingularis eſt uſus; Quid verò hoc ſit, quod in ſanandis coli doloribus, panno ceruleo ineſſe aliqui volunt, quo perſuaſi experimento non intelligo; ſive enim a* Glaſto, *ſeu* Anil *Indorum tinctura inducta ſit, non video aliud, quàm certum texturæ genus, quod calorem adeo utilem in hoc morbo pertinaciùs foveat, temperetque, quàm aliud quidquam externum. Ideoque ſcio, eſſe qui panni cerulei laciniam ventri immediatè ſub Interula admovent, ſeque hoc beneficio a* coli *doloribus immunes prædicant*. Hactenùs ille, (*a*) qui tamen non ſatis animum ad quotidianam praxim attendiſſe videtur, qua compertum eſt, non ſine ratione coccineum ſerici colorem ſpecies *epithematis cardiaci* componere: *vide hìc* XIV. *num.* 4. Qua exploratum eſt, non quemcumque colorem inflammatis oculis gratum, atque amicum eſſe, ſed nigrum radios coercentem, vel viridem leniſſimé reflectentem inter ceteros colores eſſe beneficum: Qua ſupra demonſtratum eſt, poſſe coloratas molleculas intra corpus devehi, & bonos, vel pravos effectus edere. *cap.* VI. §. XVI.

(a) *Obſervat.* XXXIII. *lib.* III. *p. m.* 495.

XVI. *num.* 4. *item cap.* VII. §. V. Quod ſubolfeciſſe video *Amatum Luſitanum*, alioſque a *Primeroſio* citatos, (*a*) qui monent, ne panni immediatè corpori injiciantur, quia ex tinctura, & aluminis mixtione aliquam habent adſtringendi vim. Sanè *Anil Indorum*, de quo hìc ſermo eſt, vires nonnullas habet, adeout plantam in *cucuſas* non infructuosè ab illa Gente adhiberi legamus. (*b*) Ad hæc ſi lacinia panni cerulei ore diutiùs detineatur, dum emollitur, atque liqueſcit, priſtinum colorem exuit, & ſenſum adſtrictionis papillis nerveis imprimit.

8. Verùm ridiculam, & verè anilem credulitatem in electione pannorum non poſſum non improbare. Exemplum habes curioſum in eruptione Variolarum, ad quam promovendam corpus olim pannorum rubicundorũ pondere operiebant, affinitate ſiquidem coloris (*c*) ſanguinem allicere credebatur. Inſignis hac de re extat locus apud *Freind.* (*d*) de *Joanne de Gaddeſden*: *Quem*, inquit Freindius, *in aulam receptum video*, *Regiſque filium curaſſe* (Eduardi I. credo, vel II.) *variolis laborantem*; *atque hìc quidem præſtigias omnes adhibens*, *quo meliùs morbos ex inflammatione ortos ſe intelligere oſtendat*, *poſt idoneas rei gerendæ formulas*, *vultu in gravitatem compoſito*, *Ægrum panno* coccineo *involvi jubet*: *omniaque quoque circa lectum rubra eſſe debebant*, *ac Tapetia ſine dubio per cubiculum omne ejuſdem erant coloris*. Erat nimirum *Joannes* hic, ut opinor, de eo genere hominum, qui Sciolorum incredulitatem in ſua ſemper commoda convertunt. Sed de hiſce ineptiis ſatis.

XV. Propoſitio IV. *Indumenta lanea omnium*, *maximè quę ex lino parantur*, *humidum exſiccare nata ſunt*.

Demonſtratur: Liquidi purpurei aquea moles ubi plùs nimio in corpore decreſcit, exſiccatio quædam exoritur. Cujus quidem cauſas multiplices ideo ſiſtemus, ut id, quo *laneæ* texturæ linteis in ſiccando præſtent, probè dignoſci queat, ut inde ad experimenti, hac de re a nobis capti, rationem indagandam, eruendamque deveniamus. Itaque

---

(a) *de error. vulgi lib.* III. *cap.* XX. (b) *Lemer. traittè des drogues verbo* Aril. (c) *Primeroſius ibid. p. m.* 294. *ſeq.* (d) *Hiſtor. Medic. in ann.* 1320.

1. Exſiccantur fluida noſtra, quoties liquidum illis non ſuppeditatur, vel inopia potus, vel viarum obturatione, per quas diluens liquor in ſanguinem permeare debeat. Ea ratione non exſiccant lanoſa veſtimenta, nec quæcumque alia.

2. Areſcit liquidorum moles, quoties, licèt fluidum humectans præſens ſit, ſuis tamen molleculis non ſeſe intimé, ut decet, immiſcet liquidis; unde ſtatim ac liquor intra ſanguinem admittitur, illicò inde dilabitur purus interdum, & nitidus: Ea ratione ſanguis craſſus, gummoſus, reſinoſus, therebintinaceus, in *Maniacis*, *Melancholicis*, Mulieribuſque *hyſtericis* continuò ſicceſcit; nec ullo hìc modo referri corporis operimenta debent.

3. Siccior evadit ſanguinis *diatheſis*, quoties, licèt fluidum admiſerit, & intra ſe ſervaverit, nihilominus tamen nonnullorum corporum miſcelâ particulæ fluentes in corpus ſolidum abeunt, ſine amiſſa, expulſave earumdem parte tenuiore: ea ratione ſpirituoſi latices, in *Alkool* redacti, funeſtam ariditatem liquoribus corporis animati inducunt: Ea ratione, de modo, quo habitus *lanei* corpus animalis exſiccant, nullus inſtitui poteſt ſermo.

4. Liquidorum vitalium maſſa areſcit quoque, quoties talia eidem adduntur, quæ humidum aquoſum inde avocant ita, atque abliguriunt, ut a liquore recepto in ſuis ſpatiolis pondere augeantur, abſque ullo voluminis augmento: ea ratione, omnia corpora, quæ tenuiorem fluidi portionem ad ſeſe alliciunt, illamque a reliqua liquidi mole ſecernunt, quacum unà concreſcunt, appellantur *abſorbentia*: ea ratione omnia *adſtringentia*, *abſorbentia* quoque ſunt, notante *Petito*. (a) ut, quæ carnis V. G. humiditatem haurientia, eamdem, pondere imminutam reddere ſoleant: ea ratione hujuſmodi remedia *exiccantia* dicentur, quæ humidum auferendo, hoc ſibi aſſociant, & reliquum ſiccant, ut in laudato *carnis* exemplo videre eſt: ea tandem ratione futurum eſt, ut quæ ſub ſpecie palliorum aliorumque id genus operimentorum corpori apprimuntur, *exiccantium* tale nomen neutiquam mereantur;

(a) *Memoires de l'Accademie annèe* 1732. *p. m.* 43. *ſequent.*

tur; licét enim humidũ exinaniãt, ſugãtque, indeque põdere creſcant, cum abſorpto tamẽ humido nequaquã cohærere videntur.

5. Exhauritur corporis humidum, quoties ſine ulla corporum additione, ſed interna agente vi, per ſua colatoria uberius derivatur extra corpus: Ea ratione ſuccedens *Phtiſicis* diarrhea; item *diabetes* largus, *Ptialiſmus* &c. toties fluento animali ariditatem invexerunt: Ea ratione *Purgantia*, *Diuretica*, & *Stimulantia* quæcumque remedia, abundantiorem humorum effluxũ concitando, toties liquidi nativi fontes aridos reddidere: ea ratione, nihil ſperandum erit ab veſtiũ ſuperficie corporibus incumbente, niſi quod inſenſibilẽ perſpirationẽ adaugẽdo, corpus aliquãdo ea ratione exſiccẽt. *ſup. cap.* III. §. VIII.

6. Areſiunt liquida corporis, quoties plus ſolito fluidiora, & humidiora exiſtunt. Quod quamvis primo aſpectu *paradoxon* videatur, re tamen intimé perſpecta, liquidò patebit: Cogita enim vaſculum quoddam lymphaticum ruptum, quod alia ſua extremitate ex lateribus arteriarum ſanguinearum proficiſcitur: Cogita in eo canaliculo motum talem vigere, quo internum liquidum per valvulas ulteriùs propellat versùs truncum tubuli lymphatici, qua parte canaliculus apertus ſupponitur: Cogita dein liquidorum tenuitatem, & lubricitatem ſummam, qua craſsiores etiam partes ab reliquarum conſortio divelli, inque aliena vaſcula errare facilé poſsint; Conſtabit, liquorem ita paratum, oſculo hujuſce tubuli oblatum, actione vitali abſorptum, ingreſſumque jugi lapſu ad anteriora effluere, & in cavum aliquid, vel partium utriculos per hiantem illac lymphaticum canalem effundi: Ea ratione *Hydropicos* moleſta & perpetua ſitis torquet, quamvis uberrima aquarum mole eorumdem ſanguinem inundaveris, ea ratione, ut vides, nihil præſtare in corpore poterunt, ex quacumque materia vel vellere contexti fuerint amictus.

7. Corporis noſtri liquida deficiunt, quoties fluxæ liquidorum partes ita attenuantur, ut non per continuatos canales incedant, ut modò dictum eſt; (6.) ſed in adeo ſubtiliores molleculas diſsiliunt, ut etiam per fibrarum ubique poros tranſudent, ac diſsipentur: Ea ratione ingenti, eoque febrili æſtu perrareſcunt omnia fluida, dum tenuiſsimis vaſcu-

lis aſsiduó exhalantibus non modò efflatur, verùm etiam per minutiſsimas carnium intercapedines incitatum perpetim halat tenuiſsimum, quod omnia humectat & fovet, liquidum: Ea ratione febris ardens mobiliores partes abſumit, & immanis *Solis* irradiantis calor adurit: Ea ratione demum non memoranda ſunt veſtimenta noſtra, quæ cuti accedentia, licèt vaporem abſorbeant, illum tamen diu coercent, donec venulis in cute bibulis, patuliſque maxima parte injectus, intrò ſubire, iterumque partes irrorare poſsit.

8. Ariditas liquidorum noſtrorum occurrit etiam, quoties cutaneorum liquidorum effluviorum, abſque inſtaurata liquidi in ſanguinem acceſsione, perpetuum & notabile diſpendium fit. Namque excretio, cui cutis area deſtinatur, omnium in corpore excretionum maxima cenſetur: Ea ratione hic locum non habet, quæ per veſtes fit, exſicccatio. Poſſunt quidem veſtes *Sanctoriana perſpiratione* ita repleri, ut quod a cutaneis tubulis reflantibus deceſſerat, ſi non omne, at ſaltem quoad maximam partem venis ejuſdem cutis abſorbentibus denuò committant, ſicque funeſtos, & celeres *exſiccationis* effectus arceant: Ea ratione *Balnea* perſpirationem cutaneam promovendo, dum calida corpori immediatè adſtant, inter *Topica exſiccantia* recenſerentur, quod nemo dixerit umquam. Quippe certum eſt, aqueas guttulas balnei calentis uſu per porulos illos innumeros, quibus tota pervia eſt cutis, in vaſa lymphatica foraminibus illis lateraliter dehiſcentia ſenſim illabi, ac inde in ſanguifera vaſa delatas, univerſum cruorem, quaſi rore copioſo, diluere; ut alibi a nobis oſtenſum eſt. (*a*)

9. Inter *Deſiccantia* locum etiam habent quæcumque humidum ſuperfluum partibus ſolidis inhærens, vel in cavitatulis, vaſculiſque ſtagnans, aut contentum diripiunt, abjiciuntque. Ea ratione apud Veteres *exſiccatio* per arenam calidam & ſiccam peragebatur; (*b*) quæ quidem conſuetudo in *Melita* adhuc viget; quamplurimos enim reperire eſt, qui ad curationem *paralyſeos*, & ſimilium morborum ægrotantes,

---

(a) *de Balneis Animadverſ.* II. III. (b) *Gorter. tract.* 63. §. II. *p. m.* 53. *tom.* II.

vel laborantes partes intra calidiſsimam, & *Sole* meridiano ferventiſsimam arenam ſepeliunt, non ſine, ut interdum vidimus, felici curationis exitu: Ea ratione, quando plurimo, & fluxiliori humore vulnera madent, tunc terrei bibuli pulviſculi in pollinem impalpabilem triti, ad abſorptionem, & exſiccationem eliguntur. Ea ratione liquida in vulnerum cavo effuſa emungi contingit, dum ſpongiolæ vel lintea carpta ſicca, humorum *abſorptioni* idonea in praxi Chirurgica uſurpantur: Ea tandem ratione operantur veſtes corpori quocumque modo intimè adſtantes ex quocumque contextu bibulo factæ fuerint: Neque enim exſiccant trahendo liquidum, illudque intra ſe detinendo; neque effuſis, ſuctiſque humoribus tument, ut lintea carpta, atque in turundas confiєta, quæ vulneris v. g. orificio immiſſa, a mole ſucti humoris adeo turgent, ut niſi eò loci firmentur, brevi vulneris cavo expellerentur. Quamvis enim *lana*, & *goſſipium* huic uſui inſervire poſsint, indeque *ſicca* reddere corpora, illud tamen potiùs a figura, & loci anguſtia, quàm ab eorumdem fabrica repetendum videtur, certè ſpongiæ ipſa ſua figurâ ab intruſo liquido inſigniter dilatantur, quod non faciunt quæcumque lanoſiores, linteæve ſuperficies.

10. Multa quoque eliciendo, & conſumendo humidum exſiccant, ſed quatenus inde liqueſcant, ut *ſales*; vel quatenus duriora multò evadant, quàm ante reſorptionem fuerint. Quod *exſiccationis* genus ad indagandam *lanarum* virtutem minimè ſufficere videtur, quæ ab attracto corporis exhalante humido, nec diffluunt, quamvis emolliantur; neque rigidiores fiunt, quamvis tumeant; alia ergo mechanica excogitanda eſt, qua corporis ſiccitas a *lana* corpori immediaté obvoluta dependens concipi, delinearique valeat.

11. Quamobrem ut calere tum corpus dicitur, ubi, ceteris paribus, calidior *atmoſphæra* illud ſemper cingens, ſemper quoque præſens eſt; frigere autem, quando eadem a frigidiori aere perpetim detrahitur: *vide ſupra hàc Propoſ.* 1. §. VI. *num.* 3. Ita inareſcere cutis dicetur, indeque liquidum perſpirabile jugiter evaneſcere, quando calidus ſiccuſque aer nos continuò adflat; aufert enim hanc noſtram humidam *atmo-*

ſphæram, in qua velut in balnéo corpus immergitur; cui vaporoſæ *atmoſphæræ* ſuccedit dein altera, ſed & hanc brevi averrit ita aer, ut corpus brevi ad ariditatem adigatur. Idē enim eſt ſivè nudam & humidam carnem, ſivè operimentis protectam aera ſiccum permeet; nam dum ſani ſumus ſemper ad aliquam digitorum diſtantiam à corporis ambitu, *atmoſphæram* udam circumfuſam habemus, quia ipſa veſtimēta, quæ induimus, ut eodem corporis calore calent, ſic eodem exhalante liquido humeſcunt.

12. Inde colliges, exſiccationem corporis per cutis tubulos, non tam in veſtium abſorptione quàm in reſorpti diſsipatione in ambiens aera reponendam eſſe. Non ſufficit enim *lanas* humidum bibiſſe; verum debent adeſſe conditiones abſorptum diſcutientes. Aliter enim futurum eſt, ut exhalans liquidū, quamvis à panno tractum, neque digeſtum, *atmoſphęram* illam humidam (11) adaugeat, & cutem ſubjectam non tam exteriùs madefaciat, quám tacito inde in halantes venulas cutaneas obvias ploratu remeans, humidum largiatur, & *deſiccationem* avertat: Ea ratione fomenta, *Semicupia*, & balnea, ad humectandum potiùs, quàm ſiccandum faciunt; quāvis inſenſibilem perſpirationem promoveant, eamque ſibi admiſceant: ea ratione exundans intra corporis cavitates continuus vapor, liquidorum molem nec hilum demit, quorum ſemper eadem in ſanis manet quantitas, quia eadem proportione, qua ſtillat a poris abſorbentibus, recipitur: Ea ratione mador cutis ab admixto aere diſparet citiùs, quam aer potuiſſet eum exſiccare: Ea demum ratione non exiccabunt veſtes, quæ exhalatum cutaneum vaporem morari adeò poſſunt, ut maxima ſui parte per venulas hìc inſpirantes innumeras, iterum ſanguinem ſubeat, ſicque ſiccantem evaporationem, cū humefaciente inhalatione compenſet, imò hiſce habitibus aer humidus incumbere poteſt, ut tam quà corpus, quàm quá aerem reſpiciunt, panni humido onerentur, illudque intra animalis corpus ultró ingerant.

13. Si ergo exſiccatio corporis animalis, quæ ab veſtium uſu provenit, ſicciori aeris circumdantis temperiei reſpondet, cujus ope velut univerſalis ambiens ſpongia, depluens

e cutis

e cutis veſtiumve villis humidum (11. 12.) avidiſsimè amplectitur: videndum, ſi *laneis* præ linteis rebus ſiccior, & calidior *atmoſphæra* incumbat, ut inde *lanæ* in exſiccando corpore præſtantia affulgeat. Verùm idem aera quaslibet geſtatas corpore veſtes ſuſtinere reperio. Major proinde vel minor deſiccandi vis ex majori vel minori promptitudine, quam ad avolationem habet abſorptus humor, & ſuperficiei adhærens, in veſtibus deſumenda eſt. Qua de re ſequens experimentum cœpi, quod ſanctè referam, *Hallerii* veſtigiis inſiſtens, qui utcumque experimenta ſua in univerſum circa pannos commemoret, ſpeciatim tamen, & diſtinctè nullam de exſiccationis menſura mentionem injecit. Inquit enim (*a*) *Siccus aer, & pannus ſiccus bibula corpora ſunt, & aquam attrahunt. Id demonſtrant experimenta pulchra, quæ ad hunc finem cœpi, & quibus mihi conſtat, hujuſmodi pannos plurimas libras aquæ intra breve tempus reſorbere. Deinde id demonſtrant Fullonum experimenta, & Pannificorum. Nam panni madidi in quieſcente, ſed ſicco aere ſuſpenſi intra paucas horas ſiccantur: Si verò aer ipſe humidus fuerit, madorem diutiſſimè retinent. Nunc conſidera, cutem noſtram cum panno hujuſmodi comparari humido, dum ſana eſt: nam nummus politus, qui cuti admovetur, continuò madet. Ergo aer ſiccus de ea cute humiditatem reſorbebit; dum verò proxima cuti humiditas exhalat, ſequitur proxima, quò denuò exſiccatur, & ſic intra horam balneo ſicco homo occidi poteſt.* Hactenus ille; cujus verba ideo huc transferre non piguit, ut liquidò conſtaret, tanti Viri conſilio nos permotos fuiſſe, ut ſequens experimentum inſtitueremus; ſed, quod præcipuè intereſt, noſtras qualeſcumque obſervationes ab *Hallerii* obſervatis plurimùm differre liquet. Non quòd ſua Author enucleatiùs protulerit, (horum enim meminit, ſed in genere) ſed quòd circa Pannorum abſorptionem univerſa verſari videantur *Hallerii* obſervata: dum noſtra eo Ipſi fine aggreſsi ſumus, ut facta comparatione inter *Linteorum, Laneorumque* veſtimentorum genera, videremus, utrum utri in deſcripta *Siccationis* methodo præcelleret. 14.

(a) *tom. in Boerhav.* VI. §. DCCLXXIX. *p. m.* 164.

14. Sumpſi ergo binas fimbrias unius palmi, quarum una ex *lintea*, altera veró ex *lanea* materia conſtructa erat; ambas ejuſdem ponderis, & eodem temporis momento intra vas aqua plenum immerſi, itaut altera ſua extremitate elatum liquidum in duo excipula utrobique æqualia effundere poſſent. Tranſacto horæ ſpatio, vaſculum *linteo* ſubpoſitum habebat aquam ex limbo lintei pendente prodeuntem, pondus æquantem *dracmarum* 4. cum ſemiſſe: alterum verò receptaculum laneam laciniam continens ſiccum prorſus erat, quo tempore quarta tantùm pars ſegmenti *lanei* humectata erat. Deinde duas illas diverſæ texturæ portiones duabus chartis duplicatis bibulis ejuſdem ponderis eodem inſtanti ſuperimpoſui, ut in chartarum ſuctionem inveſtigarem: Inveni, intra octo horæ minuta chartam bibulam a ſuperſtante panni *lanei* portione æqualem humoris quantitatem adtraxiſſe, ac quæ ſubſita erat *linteo*: quamvis humentis lintei compages major, largius quoque in charta ſibi ſubjecta occuparet ſpatium. Tandem poſtquam binas illas pannorum ſectiones ex chartarum ſuperficie ſemovi, eaſdem Soli exſiccandas expoſui, reperi decrementum ponderis in *lana* majus, quám in *linteo*, ut intra tria horæ minuta ab humore ſuffuſa *lana*, tertia pars humidi, qua imbuta erat, conſumpta fuerit. Hìc autem ſubſiſtamus aliquantulum, & quid lucis, quidque boni ex hac obſervatione erui, colligique queat, inſpiciamus.

15. Infertur namque primó diſpendium liquidi ſucti, proindeque imminutionem quantitatis ejus liquidi, quod in excipulo communi continebatur, eò eſſe celeriorem, quò ſpatium percurſum à liquido deglutito ſuctoque eodem tempore majus, & quò, eadem data ſuperficie madente, intra brevius temporis intervallum ſublatum liquidum ex altero bibuli corporis extremo depluit in receptaculum. Cùm verò eodem inſtanti, quo integrum *lintei* fruſtulum maduit, *laneum* quarta ſuæ ſuperficiei parte maderet, atque æquali utrinque ſuperficie madefacta, *linteum* intra tempus quadruplo brevius *lana* humidum reciperet, nimirum intra $\frac{1}{4}$ horæ, atque demum

mum hæ rationes inter ſe æquales exiſtant: Sequitur, abſorbendi facultatem in fibris cannabinis, ſeu quod idem eſt, celeritatem ſuctionis trans lintei fabricam, ejuſdemque liquidi effluxum eſſe in ratione *quadrata directa* ſuperficiei bibentis, vel in ratione *quadrata univerſa* temporis ad ſuctionē inſumpti. Ergo abſorptio facta per *linteum* abſorptione per contextam *lanam* ſuccedente ſexdecuplò major futura eſt. Sit motus, quo linteum humidum in noſtro periculo combibit = V. ſit alter ſuctionis in *lanea* ſuperficie motus = C. ſit ſuperficies *lintei* ſugentis = S. & tempus ad talem ſuctionem requiſitum = T. ſit ex altera parte plana *lanæ* ſuperficies bibula = s; & tempus in iſta ſuctione peraptum t.

Quoniam $\frac{U}{C} :: \frac{S}{T} : \frac{s}{t}$ & juxta proportionum regulas $S \times t = s \times T$ erit $\frac{U}{C} :: \frac{S \times t}{s \times T}$ verùm ex ſuppoſitione ſpatia ſunt inversè ut tempora: Erit ergo $\frac{U}{C} :: \frac{2S}{2s}$ vel inversè $\frac{2t}{2T}$ q. e. d.

16. Infertur dein, velocitatem *abſorptionis* in *lintei* villis non petendam eſſe ab incumbentis *atmoſphæræ* quæ hìc eadem ſupponitur gravitate; neque a majori vacuo in *lini* ſtaminibus, quàm *laneis* fibrillis exſugente, cùm ubique omnia æqualiter aere referta credantur: verùm a multiplici differentia, quæ fabricam linteorum, lanarumque intereſt, deſumendam eſſe. Fortè villi ad inſtar tubulorum contorti in *linteo*, canaliculi patentioris ſpeciem præſeferunt; neque mollioris lanuginis ſetas, quæ in *lana* ubicumque obviæ abſorptionis impetum quadantenus frænant, in orificio ſugente habent. Fortè in itinere ſugens tubulorum linteorum familia nequaquam arctatur, ad interceptionem curſus liquidi, ut in *lanis* Fullonum opera preſsis contingit. Fortè ſpatiola, & interſtitia in *linteo* relicta majora ſunt, per quæ proinde abſorptus humor non modò copioſiùs tranſudet, verùm etiam ibi copioſiùs congeratur: Quandoquidem in illo experimento

(15.) linteum extùs, intùs, per latera, & in omnem ſenſum aqueo humore inſpergitur, penetraturque. Fortè demum in illa laciniarum poſitione ſuper oram receptaculi communi aqua pleni, ſitus *lintei* exactiùs æmulatur canalem æquilaterem, & laterum incurvorum, itaut aſcendat liberè liquor uſque ad incurvationis angulum, indeque deorſum liberè deſcendat in gratiam æquilibrii. In *lana* autem contexta, cujus ſuperficies varia compreſſarum fibrarum complicatione conſurgit, contrarium obſervatur; neque enim, rigida cùm ſit, promptè flectitur, neque laterum commodam ad hauſtum liquidi obliquitatem habet; unde ægrè a vaſculo liquidum petit, petitum, abſorptumque, ob majorem altitudinem, difficulter attollit; operosé ſublatum ægré dimittit, ob ſummas fibrarum pororumque anguſtias.

17. Inferes tandem, *reſorptionem*, quæ a chartis ſuppoſitis [*vide* 15.] æqualiter perficitur, eó velociùs in *lana* ſucceſſuram eſſe, quò celerior fuerit per fabricam linteam ſuctio humidi. Nam ſi ex duabus quantitatibus inæqualibus æqualia demas, inæquales ut priùs remanent. Impenſæ ergo humidi, quod chartacea ſectio æqualis abligurivit, eam rationem inter ſe habent, quam præcedens in *linteo* ſuctio ad præcedentem in *lana* ſuctionem ſervaret. Quare ſi linteum planum quantitatem liquidi ſexdecuplo majorem exhaurit, abripitque, *laneum* in chartarum ſuperficiem ceteris paribus eamdem liquidi copiam depoſuit. Erit itaque humidi abſumptio per chartam *lanæ* ſubditam eò copioſior, quò parcior fuerit abſorpti humidi copia; item eò celerior, quò intra datum tempus ex minori madefacta aera humidum in chartę ſubjectum fruſtulum diſtillat; At verò quoniam obvia adurenti *Soli lanea* portione humidi abſorpti impenſa tertia ſui parte major, quàm in altera lacinia ſimiliter tractata, obſervata fuit; idcircò creſcet proportio, & æquabitur huic rationi

$\frac{16\times3}{1}$ ſeu quod idem eſt, ſiccus aer *lanam* madidam, linteumque humens circumſtans, humorem in ea ratione utrimque deprædatur, aufertque quæ eſt inter 48. & 1. Quamobrem claré patet, exſiccationem liquidorum animalis, quæ

per

per humidi cutanei *diſſipationem* contingit, quæque ſola veſtibus, quibus amicimur, competere videtur, *vide ſup. hìc* §. xv. *num.* 11. 12. *ſequent.* citiùs, efficaciùſque per *laneas* ſuperficies nudæ cuti adſtrictas, quàm per *lintea* quælibet abſolutum iri. Patet inde tota noſtra Propoſitio.

XVI. Quoties igitur opus eſt, ulcera *ichore* manantia ad cicatricem perducere, luxurioſam, & fungoſam carnem compeſcere, humorem tenuem, tam *ſalinum*, quàm *bilioſum* deſiccare, liquidum *ichoroſum*, *ſerpiginoſum*, *ſcabioſum* abligurire; pruritum inde, & dolorem mitigare: toties ad prudentiorem, tutioremque abſorptionem lintea præ laneis corporibus eligito. Præprimis ſi ex lino parata, ſicca, carptaque pulveribus abſorbentibus inſperſa fuerint; tunc enim citior effectus futurus eſt. *confer ſup.* §. xv. *num.* 9. 10. 14. 15. Verùm ubi inſenſibilem perſpirationem laudata exſiccationis *therrapeja* elicere animus eſt, neque actio frictionis, doloriſque ſtimulus, quem *lana* creat, timetur, *confer ſup. hìc* §. xi. xii. xiii. utputa in tumorum cutaneorum frigidorum tractatione, in *ædemate cutaneo*, laxitate villorum cutis, in humorum ſtagnatione, ſeu meliùs, eorumdem fluentium tarditate; in frigidis *rheumaticis* doloribus, in *Angina aquoſa Bronchocelæ*, *Hydrocelæ*, *Hydrocephalo*, *Hernia*, partium procedentia ab exuberante humido; in luxationibus ab emollitis ligamentis, acetabulorumque laxitate, & ſimilibus, *lanam*, inquam, & quamcumque lanoſiorem, villoſioremque materię uſurpare memento. Sic enim ab ſicco, ut ſupponitur, ambiente fluido aereo celerem *abſorptionis* humidi, quod in *lana* hærere ſtatuitur, medelam obtinebis. Quód ſi attractionis, quæ per *lanam* fit, energiam intendere volueris, eamque *abſorbentium*, quæ ſupra indigitavimus, xv. *num.* 4. 9. actionem imitari, *lanam* comburito, vel in cineres redigito, juxta Domini *James* proceſſum: (*a*) Sic enim habebis optimum abſorbens, morboſum, & inquinatum humorem; imò excellens *Eſcaroticum* in excreſcentiis fungoſis intra cavum ulcerum luxuriantibus, vulneribus madidis, & difficilè

Oo ſane-

(a) *Dictionaire univerſ. de Medicine tom.* iv. v. *L. p. m.* 771.

ſaneſcentibus, atque in humida *Ophtalmia*, ut ibidem narrat.

At in genere admonendum, in vulnerum, ulcerumque curatione duximus eaſdem rationes, quæ incomparabilem impulere *Magatum* ad eruendam ex rara eorumdem deligatione non mediocrem utilitatem, vigere multó majores ad ſuadendum in iſtarum noxarum chirurgia *lanei tegumenti* uſum; ſic enim lanati membri calor magis roboratur, quo ſolo ſi quid extraneum ulceroſo cavo inhæret, adglutinationem ideo, ſuppurationemque, unius Naturæ operam morans, feliciùs, promptiùſque expellitur; ad hæc dolorem a frequenti partis ſauciæ ulceratæque contactu oriundum data deſuper *lana* efficaciùs inhibet. Quamvis ad rectam iſtiuſmodi inſtituendam therrapejam illud meminiſſe juvat, eam pro aeris, corporis, & partis ægræ conditione variandam. Aliud enim tegmen eligendum æſtuante, aliud frigente cœlo; & quod lacertoſam corporis animati partem foveret, nervoſam, & maximè ſenſibilem, imprimis ſi compactius fuerit, & ſuffocans, læderet omninò. (*a*) Conſulantur quæ de diverſo contexendæ *lanæ* modo, & inde pendentibus effectibus ſuperiùs recenſuimus. *cap.* IV. *&* *alibi.*

XVII. Propoſitio quinta. *Inhæret lanæ aliquid emolliens, quod in linteis, & ſimilibus texturis deſideratur.*

Demonſtratur: Loquimur híc de *lana cruda*, cum *lino*, *cannabeque* infectis collata. In qua quidem *hypotheſi* obvium eſt, priorem materiem poſterioribus vi emolliente præpollere, cuicumque ſequentia conſideraverit. Nam ſi conditionem fabricæ Animalium, naturam Bulbi, e quo *lana* progerminat, genium humoris pinguis, quo lubricatur, inflammabilem ejuſdem indolem, & alias proprietates contemplemur; inveniemus, ingentem oleoſæ ſubſtantiæ vim *lanis* innidulari, qua linea omnia, & ex cannabe oriunda Textilia orbantur penitùs. Quid enim? nonne oleum pingue una cum ſanguine via per arterioſos ductus, venaſque oberrat, & ubique in corpore animali cruori immixtum abundè reperitur? Nonne adeps ex-

(a) *Cæſar Magat. de rara vulnerum &c. lib.* I. *cap.* XXXI. *&* XXXV.

extra circulantis ſanguinis pomæria foras adcumbit vaſis arterioſis, & venoſis in folliculos ubique patentes effuſus? Annè cuncta in univerſum corporis humani vaſcula, nervi omnes, muſculares lacerti, tendineæ fibræ ubique ambiuntur celluloſa fabrica, variè pro diverſitate locorum depluente diſtenta adipe? Sic ut debitam flexibilitatem retinerent muſculi, vaginulis oleoſis undique veſtitos cernere eſt; ſic ne rigeſcerent ligamenta, attenuatum medullare oleum illis largè affuſum eſt. Ita eadem ratione, quemadmodum in toto corpore animali ſub cute muſculis incumbit communis illa membrana adipoſa, cellulis confertiſsimis diſtincta, quæ flatu tumidæ ſpeciem obeſitatis, interdum monſtruoſæ, præſeferunt; eo fine, ut cutaneæ fibræ eſſent flexiles, atque contractionem, dilatationemque levi negotio obirent; ut quæ fibræ ſingulæ a vicinis removeri facilè poſſent, certè ipſe *panniculus*, *carnoſus* Veteribus dictus, in homine nihil a prædicta adipoſa expanſione differt, quæ ſubtus cutem invenitur: (*a*) Rurſus, quodcumque ſit ſecretionis pinguedinoſæ organon, & quæcumque mechanica detur, pinguedo cuti ſubſtrata adaugeri in dies, accumularique ut plurimum geſtit; Porcum intuere ſaginatum, ut cutem inter ſubjectoſque muſculos magnum jacet intervallum ſolido pallidoque lardo plenum. Ut in Bove non obeſo, ſed macilentiſsimo diſciſſus muſculus ſanguine manat, cùm nihilo exilior caro de animali lanigero pinguiſsimo deprompta nihil cruoris ſecta profundat, ſed continua pinguedinis maſſa eſſe videatur! Ut aſſumpta *panniculi adipoſi* pinguedine, truculentus morbus naſcitur, *lepra* Arabum cum inſigni cutis rigiditate ſtipata! Quid plura? Præter communem omnibus animalis fibris dotem, qua ne ſimpliciſsima quidem fibrilla motrix ſit, quæ deſtituatur vagina oleoſa. Accedit illud cuti peculiare, quòd innumeras glandulas ſebaceas, vel loculos pingues nacta ſit oleum calore, & motu fundentes, quod cutem obliniat, atque humectet; ut inde pateat olei cutanei neceſsitas, ſimulque eluceat ſingularis illius morbi, cujus ſupra meminimus (*cap*: VIII. §. XIX. *ſequent*.)

(a) *Haller in* §. CCCCXVI. *p. m.* 508. *not.* D.

ſequent.) *Æthiologia.* Cùm autem hujuſmodi ſolliculi pingues in cute non modò ubique adſint, ſed & abundent ubicumque copia capillorum eſt, in *barba*, *pube*, *ſcroto*, *axillis*, ad *ani* confinia; (*a*) præprimis autem in capite, cui pinguis magis, quàm reliquis corporis partibus ſudor obtigit: Quæ, inquam, cùm ita ſe habeant, patet ſatis, ſubtiliorem olei cutanei pinguedinem capillos ita aſcendendo tueri, coriumque externo corpori accumbens ita emollire, ut lubricitate mobili, juxta exteriora pilorum ſeſe expandat ſurſum deorſum, eoſque flexiles, humidos, unctos, obſequioſoſque teneat; Docet *lana* recèns Animali avulſa, quæ manibus contrectata, has unguenti in ſpeciem illinit; quæ aquæ immiſſa humidi conſortium reſpuit; quæ tandem igni admota flammam alit. Indicat *Oeſypus* antiquis Græcis, Latinis veró *lana ſuccida*, quæ propriè ſordes ovium oleoſas ſignificat *lanis ſucciſis* cadentibuſque ex animali dentoſo adhæreſcentes. (*b*) Porrò quid ſordes hæ in lana, niſi craſsior unguenti cutanei difflata per calorem volatiliori parte amurca? Sed & ortum *Pilorum Lanarumque* ſpectemus. Dum *Pili* extùs oleoſa materia lubricantur, intùs circulante per villorum faſciculum oleo donantur, quod ab eorumdem radicula ſub cute ſepulta continuò, ut a tellure Planta, attrahunt. Quamvis enim *Chiracius* acinum bulbumque adipoſum *Pilis* denegare videatur; (*c*) ratum hodie eſt, in ſubcutanea pinguedine radicari pilos hujuſce ſoli pinguis amantes; Itaut nedùm in animalibus obliquas ſuas radiculas ad trium linearum profunditatem intra pinguedinem defigant; (*d*) verùm etiam in homine, obſervante *Vvinsloo*, (*e*) proprios utriculos in membrana adipoſa obtineant. Hæc ſunt, quæ in *lana* meritò animadverti poſſunt, & ex quibus *olei pinguis* præſens copia elici, intelligique poteſt, cujus ope primas in emollitione iiſdem *Lanis* deferre cogimur. Enimverò utcumque ſemina

can-

(a) *Vvinslouv. Expoſition. anatomiq. tom.* III. *des tegumen. num.* 77. 78. (b) *Lexicon Caſtelli verbo* Lana, *p. m.* 353. *&* 420. (c) *Lettre ſur les Cheveux p. m.* 272. *ſequent.* (d) *Haller ibid. p. m.* 531. 534. (e) *Ibid. tom.* III. *n.* 97.

cannabis, ex qua linum, multum olei ſuppeditent, & ob id ad tumores reſolvendos, dolores demulcendos, durities emolliendas, nervorum tenſiones, contractioneſque laxandas feliciter præſcribantur; (*a*) attamen *cannabinæ* faſces, quales in hominum uſus adhibentur, non niſi avenas graciles, puſillas, & penè exuccas ſiſtunt, humido a terra aſcendente parùm turgentes, eòque emolliendis partibus inepto. Ad hæc antequam humanis uſibus conſecrentur, tunduntur, præparantur, macerantur, atque intabeſcunt in aqua diu, in ſcrobibus, lacuniſque aqua plenis eluuntur multùm, & diu, quò deinde in mollitiem *laneam* coacta, in filamenta produci, in telas texi, inque chartas compingi valeant uſus immenſi, nec ſatis mirandi. Si ergo cannabina materies, *lini*, *linteorumque* naſciturorum baſis oleoſa pingui ſubſtantia, qua *lana* ſponte diteſcit, orbatur, atque oleoſa omnia inter *emollientia remedia* locum præcipuum obtinent, ut videre eſt in rigidiſsimis animalium pellibus, quæ oleo penetratæ molleſcunt, teneriores evadunt, & diductæ tardiùs in contractionem redeunt: Si, inquam hoc verum eſt, patet univerſa noſtra propoſitio.

XVIII. Indicatur ergo *lana ſuccida* & ſordida in illis morbis externis, ubi ſolidis rigeſcentibus, duris tenſiſque fibris mollities, villis contractis mobilitas, atque flexibilitas concedenda eſt; ſimulque ubi adducti, & coarctati per ſpaſticas minorum vaſculorum ſtricturas alvei, ampliandi atque placidè dilatandi ſunt. Præter hæc ad inſtar *emollientium lanæ* extùs corpori noſtro admotæ humorem vaſculorum cavitatulis elapſum, nec ampliùs reſolvendum, aut per lymphaticos ductus reſorbendum, in pus convertere natæ ita quidem ſunt, ut conciliato majori putreſcente calore, & obturatione pororũ cutaneorũ per ſuppreſsũ inſenſibilẽ vaporẽ; necnon relaxatione tubulorum antea tenſorum, atque rigidorum materiem in vaſis contentam ad coctionem, & maturationem perducant. Nam pinguedo non modò calorem adauget, verùm etiam ob ſordium ſuarum cumulum, capillaribus cutaneis tubulis

(a) *Geoffroy mater medic. tom.* III. *p. m.* 249. *&* 739.

bulis adhærens, inſenſibilem difflationem (*a*) coercet. Quòd dein *lana* ſolidorum præternaturalem rigiditatem tollat eadem mollificando, ex prægreſſa noſtra Propoſitione [XVII.] abundè patet. Quæ certè commoda in affectibus cutis puſtuloſis exhantematiciſque a ſiccioris, cultæque *lanæ* preſſura fruſtra ſperabis; imò eam ipſam tamquam noxiam abjici curabis, ſi, quod olim *Fridericus Hofmannus* monuerat, (*b*) in memoriam reduxeris, a perverſo ſcilicet exſiccantiũ *topicorum* abuſu in cutaneis morbis *dyſpneam*, *Phtiſim*, Inappetentiam, & ſummas præcordiorum anxietates ſubortas fuiſſe. Præterea quòd *laneum* hocce munimen, dum ad puſtularum contactum hæret, munus facilè præſtat leniendi, ac butiraceo ſuo halitu externum corporis habitum papulis exuberantem ungendi, lubricandique, quo minús cutanei villi areſcant; vel ne invicem, utpote immoti concreſcant: quidquod externa illa tubercula plerumque prodire conſpicimus, ubi ſaluberrimum tranſpirationis negotium ab aere vappido vel frigido retardatur: textura autem *lanæ* pinguis noxios non modó in ſe vapores recipere, ſed & frigoris moleſtiam non parum arcere nata eſt. Demum cutaneæ iſtæ efflorefcentiæ quid aliud ſunt, niſi glandularum ejuſdem cognominis organa, ſecreto ac ſtagnante propriis in folliculis ſucco lymphatico, nimium turgida: idcircò ergo in talibus vitiis lanatum *lana* ſebo nativo prædita præ pexa, & culta incedere præſtat, quod prior tunica activo quodam ſulphureo principio ſiſtalticam cutanei cribri actionem intendens, celeriorem inde humorum fluxum efficiat, & lympham anguſtiſsimis incerniculorum tubulis impactam commovendo, ad inſtar excrementi foras eliminet, & reliquam vitalium ſuccorum maſſam mirè depuret.

XIX. Non ſine ergo ratione recens detonſa, atque impuro craſſoque oleo prēgnans, *lana* adhiberi extùs poteſt ad ſedandam inflammatoriam contractionem ſolidorum in *Peripneumonia*, *Pleuritide*, *Phigetlo*, *Epinuctide*, *Angina*, *Anthrace*, *Ophtalmia*, *Therminto*, *Rheumatica contractura*, *Convulſio-*

(a) *Vvinslouv. ibid. num.* 65. *&* 84. (b) *Tom.* III. §. XIX. *cap.* V. *p. m.* 429.

vulſione membrorum, item in *Anchyloſi*, *& induratis conſtrictiſque articulorum ligamentis*, *Eſcoriatione*, *Eſchara*, *Hemorroidibus externis dolentibus*, *Inteſtinis prolapſis*, *& refrigeratis*, *Herniis*, *Procidentiis*, quæ difficulter intromitti poſſunt, *Rhagadibus*, & ſimilibus. Præterea ad partes corporis contuſas, combuſtas, geluve conſtrictas eadem *lana* non contemnendum remedium eſt. Verùm, ne ſola ratione loqui videamur, Authorum teſtimonia provocemus: *Lanæ ſuccidæ*, inquit *Aetius* (*a*) *utiliter adhibentur ad contuſas*, *aut quomodocũque percuſſas partes fomẽtis excipiẽdis aptę*, *quamquã non deſit & ipſis ſua utilitas ob ſordium efficaciam. Oeſypus*, vel ipſa *lanarum* depurata pinguedo facit, ex eodem, (*b*) ad ulcera *Sedis*, & *Vulvarum* cum Meliloto, ac Butiro, item ad plurima alia. De *lana* ſuccida, & non lota ſic loquitur *Scroderus*: (*c*) *Calefacit*, inquit, *emollit*, *lenit*, *convenit optimè Contuſis*, *Luxatis*, *Cæſis*, *& ſimilibus* (*cum aceto*, *vino*, *oleo impoſita*) *cremata vim habet calefacientem*, *ſiccantem*, *acrem*, *mordacem*, *diſcutientem*: *Eapropter confert humidis mollibus tumoribus*, *ulceribus inveteratis*; *excreſcentias cohibet carneas*, *ulcera &c.* Porrò idem Auctor, quem diximus uſum *Æsypo* concedit, (*d*) quem emollire, reſolvere, calefacere, dolores ſedare, luxatis, contuſis, & ſimilibus convenire aſſerit. *Oesypus* enim, ſeu defæcatior pinguedinis ovillæ pars ſudore acri Animalis, & inquinamento omni ſpoliatur; Quamobrem illa eſt, quæ *lanam* recentem, qualis in collo, & *feminibus* proſtat, emollientem reddit, & optimam in *cephalea*, ſtomachi morbis frigidis, in ulcerum abſterſione, in menſium, *lochiorumque* ſpaſtica retardatione; vel convulſiva eruptione; item in calloſitatibus Palpebrarum, atque in oculorum inflammatorum reſolutione per ſuſceptum vaporem, ſi *Dioſcoridem* audiamus. (*e*) Videantur quæ ex Variis varia collegit in hanc rem Doctor *James* (*f*) Quamvis enim poſterioribus longè temporibus Cannabis (quod obiter

---

(a) *Serm. ſecund. cap.* 159. *p. m.* 99. (b) *Ibid. cap.* cxx. (c) *Pharmacop. lib.* v. §. xxx. *p. m.* 613. (d) *Ibid.* (e) *lib.* II. *cap.* 84. (f) *Ibid. Dictionaire tom.* IV. *p. m.* 771.

ter dictum ſit) ſub nomine *Pentagnellionis Rabeleſio* indigitante uſus in conficiendo lino innotuit; Itaut *Caroli* VII. Regis Galliarum tempore, Reginam ſolam binas Subuculas ex lino contexto habuiſſe, Hiſtoriarum fide proditum ſit: (*a*) At verò Lino deſunt omninó dotes, quas *Lanis* ineſſe experientia teſtatur; utputa corpus Animalis tutum ab externis injuriis tueri, idem moderatè calefacere, fovere; quæ, ut capillis humanis conveniunt, (*b*) ſic potiori jure *laneis* fibris convenire debent. Tandem *Æsypus* & lotura *lanarum* adversùs *Gummata* laudat, ex *Aquapendente*. (*c*)

XX. Propoſitio Sexta. *Animalis corpus laneo amictu velatum meliùs, quàm quocumque alio indumento tectum, perſpirat.*

Demonſtratur: jam ſupra diximus, [*hic* §. II. III, IV. V.] longé tutiorem, efficacioremque eſſe medelam, quæ per univerſale corporis emunctorium cutaneum fit, quàm quæ per alia corporis colatoria in quamplurimis morbis ſuſcipitur. Evicimus etiam, non levibus quidem rationum momentis topica externo corpori, ad eliciendam inviſibilem exhalationem adhibita, internis ut plurimum auxiliis longé multùmque antecellere. Videndum hìc reſtat, an in adjuvanda animali tranſpiratione, *lanæ*, & quæcumque inde texuntur induſia, linteis, ceteriſque id genus amiculis anteponendæ ſint. Quæ quidem aſſertio pro *lanis* ſtare videtur, ut proinde in ſalubri corporis halitu promovendo lintea veſtimenta, cooperiendo corpori immediaté deſtinata *laneis*, & goſsipinis minùs valeant. Nec immeritò. Nam præſtantiſsimã, & omniũ minimé debilitantem in animali corpore evacuationem, verbo inſenſibilẽ cutaneã evaporationem quæcumque adaugent remedia, referri poſſunt univerſa ad ea, quæ primò eliciunt ex corporis peripheria. 2. Quæ aperiunt poros. 3. Quæ diluunt. 4. Quæ reſolvunt humores. 5. Quæ præparant liquida. 6. Quæ moderantur impetum. 7. Quæ movent. (*d*) Porró dum *lanoſis* velami-

---

(a) *Republique des &c. annèe* 1702. *tom.* 18. *artic.* V. *may p. m.* 571. (b) *Bartholin. Anathome lib.* III: *cap.* I. (c) *p. m.* 727. *cap.* CXIV. (d) *Gorter. tom.* II. *tract.* 96. §. II. *p. m.* 215.

laminibus de induſtria ipſam corporis noſtri pellem contegimus, fovemuſque, materia perſpirabilis in remotiſsimis a corde canaliculis cutaneis impacta 1. meliùs abſorbetur, quàm ſi linearia ſubucula uſurpetur, ſicque majori copia avolare cogitur: Qua de re vide ſupra. (*hìc Propoſit. Tertia* §. XIV. *num.* 14. 15. 16.) 2. Patentiùs cutanea oſcilla syphunculorum ab incumbente molliente *lanarum* fomento hiant, atque diſcluſa, quàm ab alio veſtimentorum genere ſervantur: Qua de re vide ſupra (*hìc Propoſit. Quinta* §. XIX.) 3. *Lana* id peculiare habet, ut cùm ſit tardæ inhalationis, conſuetum ſudorem in cutis ſuperficie moretur, & imbibitos liquores diu retineat, quo deinde in patulos ſubjectæ cutis ſpirantes poros, tacito quidem ploratu, ſed perenni velut imbre, in ſanguinem ſtillentur, quem denuó diluant, atque humectent; adeoque *lana* largam ea ratione facit *diaphoreſim*, abſque diminutione totius maſſæ: qua de re vide ſupra [*hìc Propoſit. Quarta* §. XV. *num.* 8. *ſequent.*] 4. Calore majori, ſed ſemper moderato, quo *lanæ* præ *linteis* commendantur ad reſolutionem impacti, & ad impellendum inviſibilem exitum per cutem eædem aptiores cenſentur: qua de re vide ſupra. (*Propoſit. Prima* §. VI. *num.* 1. 2. 3. 4. *&c.*) 5. Quando verò lenis frictionis motus corpori ita *lanato* accedit, quantum robur vaſculis per corporis circumferentiam diſtributis conciliatur! Quàm felix crudorum, pituitoſorum, frigidorum, & reſidentium ſuccorum proſpera fauſtaque ſubactio! Quàm fortunata ſuccedentis expeditè tranſpirabilis preparatio! qua de re vide ſupra [*Propoſit. Secunda* §. X. XI.] 6. Si anodina, & lenientia ideo valentiſsima interdum *ſudorifera* evadunt, quòd impetum liquidorum coerceant; [*a*] Idem *Diaphoretici* munus concedendum topico illi remedio eſt, quod admotum partium tubulorumque ſpaſmodicæ contractioni emolliendo tollendæ par ſit: inde enim, laxatis viis, promptior futura eſt humorum circulatio, mitior eorumdem arietatio, debilior impetus. Quæ an potiori jure *lanæ*, quàm *lintea* præſtent, videantur quæ diximus ſupra §. XVIII. &

(*a*) *Gorter ibid.* §. X. *p. m.* 217.

XIX. Tandem 7. Inter *Diaphoreſim* Proritantia numeravimus modò quæ liquida movent ſive ſtimulando, ſive calefaciendo: Utrumque autem *lanæ* egregiè operantur tam ſtimulo aſperiorum villorum, quibus refertæ ſunt, quàm fervidiori calore, quem corpori communicant: qua de re vide ſupra *Propoſ. Prima* §. VI. XI. XII. XIII. &c. Quamobrem ubi ſalubris perſpirationis augmentum multiplici illo a nobis enarrato Capite in morborum curatione neceſſarium eſſe videtur prædictus *lanæ* uſus ceteris veſtium generibus tutior, citior, atque efficacior futurus eſt.

XXI. Patet ergo, niſi periculum ſit in mora, morbuſque inducias dederit, majorem rationem habendam eſſe *lanei* indumenti, quàm *lintei*; quotieſcumque inſenſibilis perſpiratio urgenda eſt, & ubicumque in morborum curatione (ut omnia complectar) ſpecificis, & *topicis* auxiliis utendum eſt, quæque ſive *abſorbendo* & *ſiccando* opem ferant in ſolidorum nimia humiditate, tumoribus *ædematoſis*, laxitate, inertia, motu languido, *hydrope* particulari; ſive *calefaciendo*, & *diſcutiendo* juvent, ut in *Debilitate*, *Tremore*, *Paralyſi*, *Horrore*, *Podagra retropulſa*, *Alvi fluxu*, *Rachitide imminuta* [maximè in Debilibus] *Perſpiratione*, *Arthritide*, *vaga*, mobilitate ſolidorum: ſive aperitione pororum cutaneorum viam exiturienti liquido ſternant, ut in *Mundatione*, *cutis*, ejuſdem *ablutione*, *irroratione*, *humectatione*, in *Chronicis*, *motu languido*, *flacciditate*, *Obſtructione* ex ſordibus contracta: ſive *diluendo*, & *humectando* auxilio ſint, ut in *Denſitate ſanguinis*, *Siccitate cutis*, *Variolis*, *Spina ventoſa*, *Pruritu*, & ferè omnibus cutis affectionibus conſimilibus, cum cautelis tamen; ſive *reſolvendo* ſolatium afferant, ut in *Lentore*, *Cruditate*, & *Craſſitie humorum* per cutem circulantium: ſive materiem *Sanctorianam* ad expulſionem præparando, ut in roborandis ſolidis, in remiſſa cutaneorum tubulorum oſcillatione, & ſuccorum reſidentia; ſive *moderando impetum*, ut diximus in cutis ſpaſmo affectæ relaxatione: ſive demum *movendo* operentur, ut videre eſt in morbis *chronicis*, *Ignavia*, *Laxitate*, *acrimonia acida* per articulos oberrante, *Motu languido*, *Morbis localibus frigidis*, *Tranſpirationis tarditate*, & ſimilibus præternaturalibus affectibus.

CAPUT XIII.

DE SPECIALI NONNULLORUM MORBORUM

Per Lanam Therrapeja.

I. DEſcriptis in antecedenti Capite (XII.) univerſalibus *Lanæ* utilitatibus, quas pluribus argumentorum præſidiis munitas in conſpectum dedimus: quoniam ex inſtituto noſtro in hunc de peculiari *Lanæ* in certis corporis humani noxis præſtantia ſermonem delapſi ſumus; ea re eſſe arbitramur argumentum, ut ſingillatim exequendo illas corporis humani indiſpoſitiones, vel infirmitates indicemus, quibus nudus, & immediatus veſtium *lanearum* ad cutem contactus profuit ſemper, nocuit umquam. In hiſce per ſingulas partes, diſtinctéque narrandis ita me geram, ut illos tantummodo morborum caſus producam, in quibus ab nonnullis clariſsimi nominis Scriptoribus commendatam, ab aliis famigeratiſsimis Medicis juſſam, ab aliis non infructuosé præſcriptam *lanam*, vel inde factam veſtem offendi, vel in quibus tentabundus Ipſe eamdem proficuam, ut expertus ſum, ita candidè teſtari poſſum. Neque enim Authoribus Recentioribus quæ vel repererunt, vel rectè ſequuti ſunt, negare in fraudis ſpeciem licet; neque noſtris, qualeſcumque demum futuræ ſint, obſervatiunculis fidem abnuere æquum eſt.

Adblandiantur in ſuis obſervationibus, quoſcumque acquirendæ Gloriæ prurigo divexat, præcipiteſque agit inſana ſcribendi cacoëthe: Parcant autem nobis Cordatiores Viri, ſi tenuiſsimos hoſce conatus conſulere eodem animo æqui bonique velint, quo Ipſi exerere in uſus hominum non dubitavimus.

II. Quanta, frigore internè producto, vel de foris adveniente, mala in corpore noſtro oriantur, nemo eſt, qui neſciat. Imminens enim frigus exhorreſcit Natura, tota perſentiſcit a longe, quaſi dum concutitur animalis machina; ipſi cutanei nervuli moleſta ſenſatione prehenſi animam de hoſte mox adventuro commonent; adſurgunt protinus per univerſam interdum cutem denſiſsima tubercula, integra ut pellis deplumati Anſeris cutem referat; evaneſcit ſummorum vaſculorum vitalis tingens purpura; intrò repreſſus color evadit; exhalantes pori omninò clauduntur, ut retentus vapor extrema vaſcula cutis in grandiores papulas attollat: Hæret ergo in extima cute quidquid humidi ſenſibilis, & inviſibilis halitus forma erumpere ſolebat. Cerne liquidiùs hominem paroxiſmo *febris intermittentis* correptum: Ut enim præviis oſcitatione, pandiculatione, laſsitudine, debilitate horrorem mox ingruentem prævidet *averſationis ſuæ Teſtem, & indicem!* (*a*) Ut momento dein friget, horreſcit, riget, contremiſcit, palletque in externis! Ut demum jam cum hoſte congrediens, dimicantis, labentiſque jam vitæ conamina edit, dum aerem ægerrimè intra præcordia ducit anxietate ſumma, pulſu citato, debili, parvo, & fugaci cordis tremore afficitur! Hoc eſt primum *Intermittentium* ſtadium, quaſſum relinquens corpus, Infirmis periculum vitæ portendens, nonnullis lethale, quibuſdam verò in ſuis effectibus inſuperabile; Dum ſi diu durat, efficit *polypoſas* in vaſis majoribus circa cor concretiones; in minoribus verò, expreſſo ſuo liquido, evacuationes; hinc multa, & gravia mala in utriſque. (*b*) Hoc eſt præterea antecedens illud *Intermittentium* tempus, quod

(a) *Sidenham. tom.* 1. *ſection.* 1. *cap.* v. (b) *Boerhav. de Cognoſcend.* §. 622.

quod qui ſuperare poteſt, etiam totum inſequentem paroxiſmum tollere poterit. (*a*) Hoc tandem frigus eſt, ſub quo cùm liquida exiguiſsimos vaſculorum fines difficulter tranſeuntia luctuoſam ſcenam aperiant, necnon quacumque demum cauſa primæ motus potentiæ, cordi ſcilicet, jam oppreſſæ maxima obſtacula opponant; ſi reſiſtentia ad cutem dematur, ſi conſtricti tubuli laxentur, & coacta humorum moles ſoluta jam fluere inceperit, jam frigus illud febrile, cum reliquorum ſimptomatum comitante caterva ſuperatum, profligatumque eſt. Quamobrem tam in frigoris febrilis, quàm in frigoris *febrem intermittentem* præeuntis curatione accuratiores Practici, poſt Antiquiores, exigunt, ut calore, motu, maximé autem balneo vapore, fotu, lotione, frictione blanda (*b*) ſolvamus concreta in corporis ſuperficie, reſeremus obſtructa, ſicque æquabilem humorum per omnia vaſa circulum reſtituamus. Cùm ita ſe habeant, conduceret in utroque frigoris, quà naturalis, quá præternaturalis, caſu *inter res Nonnaturales* domeſtica ea auxilia in uſum trahere, quæ balnei, & vaporis, & fotus, & caloris frictioniſque ſimul vice fungi poſſent: Hinc non temerè corpus ita affectum *induſio laneo* paulò craſsiori involves, ut frigoris curationem habeas. Tutum enim, & nullo negotio parabile in *lana* eo modo corpori immediaté adſtricta præſidium eſt; maximè ſi antequam induatur, balneo quodam aromatico, calentique maduerit: Tum quippe cutis ſuperficies *lanâ* medicata contecta, juxta ea quæ in ſuperioribus locis diximus, emolleſcit; emiſſaria omnia cutanea per fomentum *lanæ* calidum patula, & oleoſa fabricæ *laneæ* indole lubrica reddita corpus ſic diſponunt, ut per febrilem inſultum imminentem facilè ſecerni, & eliminari poſsit illud, quod in corpore noxium hærebat; inde evaneſcit extremorum reſiſtentia, fluunt liquida cutanea, difflantur vaporoſa, incitantur tubuli fricantis *lanæ* aculeis, & cordi jam reviviſcenti ſuppetias ferunt. Affirmare enim poſſum, laneum operimentum carni *Eorum*

in

(a) *Idem ibid.* §. 756. (b) *Boerhav. ibid.* 625. 756. confer *Vanſvieten tom* 11. *p. m.* 529.

in tempore nudæ appoſitum, qui *Intermittentibus* laborabant, & frigoris vehementiam præſtolarentur, ex voto adeo mihi ceſsiſſe, ut non ſemel frigus omninò ante verterit: In quibuſdam autem memini, paroxiſmum inde mitiùs acceſsiſſe, in aliis tardiùs veniſſe, ut, tranſacto ſtato momento, immunes ab omni paroxiſmo eſſe viderentur, qui tamen poſtea redibat, ſed non adeo immanis. *Quartanarios* novi, qui, ſervata ſemper eadem vivendi ratione, quam diu ante paroxiſmum amicula *lanea*, aromatico liquore divite idemtidem corpus perfricabant, & diu; tam diu breviorem, & mitiorem frigoris irruptionem læti exciperent.

III. Cùm autem adeò juvet adversùs frigoris inclementiam veſtibus ſeſe muniri; cúmque inter omnia veſtimentorum genera optima eſſe viderimus, quæ ex *lana*, goſsipio, aliiſque conſimilibus rebus petuntur; (*cap.* XII. *paſſim.*) quod nimirum in lanatis corporibus, præter cetera, vapor *Sanctorianus* circa cutis excretoria ſtabulans, neque diſsipatus emolliat cutem, eamque calefaciendo, humorum adfluxum hác proritet: Cùm, inquam, hæc omnia vera ſint, quàm veriſſima, intelligetur, quare veſtibus, & præprimis *laneis*, benè protecti, meliùs perſpirent; (*a*) quare a gelido rigidoque aere meliùs ſibi caveant, qui Germanorum more foris pannis incedunt, pellibus, goſsipio bené loricati, atque velati; (*b*) quare Militibus in caſtris degentibus pallia *lanea*, vel hiſce accedentia præ aliis competant, quo cœli inclementiam, brumæque ſævitiẽ faciliús ferant, & corpora ſua tueantur ab iis ſubſtantiis, quas nebulæ noctu, vel de die repentinę aeris mutationes afferre ſolent: (*c*) Quare nulla Autumno vexaberis ægritudine, ſi ſuperveniens frigus inveniat te veſtibus probè contectum atque munitum, præſertim ſi *lanam* uſurpaveris. (*d*) Quippe cùm Autumni inſalubritas a prohibita tunc temporis perſpiratione dependeat, hinc a retento acri & mordaci intus tranſpirabili, (*e*) quo citiùs hujuſmodi excretio

(a) *Conf. Sanctor. ſection.* II. *Aphor.* 47. (b) *Conf. Portium tom.* II. *p. m.* 7. (c) *Id. ibid. cap.* IV. *p. m.* 21. (d) *Sanctor. edit. Gorter. Aphor.* CLXXXVI. (e) *Id. ibid. Aphor.* CLXXXII.

cretio inſtauratur, eò maturiùs ægritudinibus Autumnalibus occurres: Redit autem imminuta tranſpiratio, vel in eodem ſtatu conſervatur, quoties in eodem pondere manet corpus, vel ſi pondere auctum ſit, ociùs illud demi curatur. Illud autem omnium corporis humani ſtragulorum efficaciſsimum *laneum* mirè præſtat. Eam ob rem qui *lanea* interula utuntur, vel quocumque modo eidem aſſueverint, parum vel nihil morbis hyeme graſſantibus tentantur, qui ut plurimum a colluvie *catharrali*, & feroſa ob cohibitam tranſpirationem intùs aggeſta ortum ducunt: quoniam nimirum regreſſum perſpirabile frigore quoque condenſatum non raró in vaſis ſtagnat, atque in *aſperam arteriam*, ac bronchia regurgitans, horum vaſa obſtruit; quando autem *lanatum* corpus eſt, frictionis *laneæ* beneficio extimæ cutis liquida congeſta impelluntur, compacta reſolvuntur, atque ex his cauſis neceſſe eſt & multum perſpirari, & noxium *catharri* humorem evacuari.

IV. Huc (II. III.) referendæ ſunt cautelæ *balneo* jam *Egreſſis* percipiendæ: Qua enim ratione Balneati corpora ſua tuta *pannis* reddere debent, ne ventus & aer frigidus per poros cutis apertos ſubintrantes, eos lædant, nec poſt balneum ea die domo exire, præſertim ſi malus urgeat aer: (*a*) eadem prorſus exiſtimo in talibus caſibus, *laneos* amictus præ ceteris adhibendos, ut quibus cutanea emiſsio meliùs ſuccedat, & ductus halantes hiulci, & patentes ſerventur; ut quibus ingruens illicò frigidum aera præcaveri, & mala inde in corpus ita calefactum proficiſcentia declinari commodiùs poſsint. Verùm hæc phenomena cunctis manifeſta ſunt; pauló autem obſcurior habetur ratio ſequentis apparitionis, quî nempe fiat, ut ad lectum Ægrotantis de nocte excubantes frigidæ *atmoſphæræ* ſenſum minùs moleſtum experiantur, ſi *laneam* ſubuculam caſu quodam, vel de induſtria ad cutim proximè geſtaverint? Hæc obſervatio, & pauló curioſior praxis quotidiana edocent: hæc proinde breviter expendenda, ut

(a) *Jacobus Cataneus collection. Luiſin tom.* 1. *p. m.* 139. *littera P.*

ut tantò evidentiùs conculcatæ, viliſque in ſpeciem *lanæ* utilitas eluceat. Notum quippe eſt, veſpertinis horis aera frigidius evadere, atque præ nimia in vigiliæ ſtatu omnium corporis animalis villorum motitatione machinam non modò languidiorem fieri, verùm etiam conſita ubique in ſuperficie cutis ſtamina ob prægreſſum diſsipatum humorem ſicceſcere, & in ſeſe contrahi: ad hæc ſive ob virium penuriam, ſive propter humoris inopiam externis injuriis adeó parum reſiſtent vitales tubuli, ut potiùs omnia cujuſcumque generis corpuſcula de foris medio aeris vehiculo rapta promiſcuè abſorbeant: Qua de re videantur quæ ſupra diximus. *Cap.* IX. §. X. XI. *uſque ad* XV. Jam verò quando *lanæ* beneficum tegmen cutem moderato calore fovet, emolleſcit illa, & conciliato calore majori, perennat perſpiratio, quæ languerat; ſi modó intùs aliqua ſumantur, quæ abſque virium detrimento, & abſque viſcerum labore in ſanguinem vecta, deperditum ſufficiant, ſenſus excitent, fibras refocillent: Planè ut cordis arteriarumque oſcillantium, ſimulque cutis externæ ab incumbente *laneo* amictu calentis conſociatis velut viribus, machina ſubſtet, ritè procedat perſpiratio, calidus ubique vapor emanare pergat, qui & Tactum, & *papillarum* nervearum tonum debitum, ſenſumque tueatur, & ab hoſtili frigore corpus defendat. Inde ſanè eſt, quod mox quærebatur, cur ſcilicet iiſdem veſtimentis induti, & vigilem noctem tranſigentes, frigus difficiliùs ferant, quám ſi noctu vigiles *laneo* operimento cutem immediaté contegerent.

V. In omni tumorum, *tuberculorumque* genere, quibus fœdatur cutis, utique ſi a ſanginis lentore, fluidique cutanei viſciditate ortum duxerint, *lanatam* habere cutem, non omiſsis aliis remediis, proficuum eſt. Quoties ergo retenta non modò perſpiratio, ſed alia ad cutem ſpectantia liquida ſuis in cryptis, acinis glanduloſis quieſcentia, *epidermidem* in puſtulas, *papulas*, veſiculas, *phimata*, & alios tumores elevaverint citra inflammationem: *vide ſupra cap.* IX. §. XVII. XVIII. *ſequent.* Quoties oleum cutaneum glandulas ejuſdem nominis ita infarcit, ut per *epidermidis* puncta immeabile illud pingue exhalare nequeat, adeout, quod non ſemel obſerva-

ſervavi in cute capillata, axillis, inguinibus, facie frequentiores iſtiuſmodi papulæ enaſcantur: In hiſce enim circumſtantiis non ſemel, nec bis, ſed quàm ſæpiſsimè obſervare mihi contigit feliciſsimam horum tuberculorum evaneſcentiam, & optatiſsimam intùs concreti liquoris reſolutionem; dum ſaponaceo decocto priùs immerſos pannos *laneos*, mox affectis partibus applicabam, cavens ne refrigeſcerent talia fomenta, atque ut idemtidem per ſuperimpoſitam *lanam* ægra loca perfricarentur ſedulò. Sic enim per laxata immiſſaria inſinuabatur remedii virtus, diluebatur tenax, remittebat folliculorum tenſio, & omnes meatus cutanei aperiebantur, ut facilis eſſet exhalatio illorum, quæ ſua quiete nocerent: Sic tota cutis bibula reſorbebat: ſic applicata remedia imprimis in illis jam dictis capillatis piloſiſque locis, in quibus cutis maximè combibit, & venæ, interdum conſpicuiores, majores ſunt, quæque proinde admiſſos humores immeabilibus in vicinia liquidis citò miſcent: ſic demum celebrata frictio ope *lanæ* ita humentis, atque cuti adſtantis, necnon ſaponacei auxilii interventu humores pigros & lentos dividebat, fibras ſpaſmo contractas diſtractaſque leniebat; hinc utraque de cauſa humorem ad motum, canales autem ad exercitium obſequiores expeditioreſque reddebat. Mira eſt obſervatio Domini *le Dran* Chirurgi *Galli*. Is enim in mammarum carcinomate, vel tumore carcinomatoſo præſtantiſsimam expertus eſt ſemper feré pellis villoſæ *Cycni* opem ad tumorem reſolvendum; & revera cataplaſmata nocua numquam non advertit. Dum autem hiſce funeſtis tumoribus lanuginoſa Avis pellis adplicabatur, ſicque ad partem ægram detinebatur, tumor ſubſidebat, vel ulteriùs glandulæ *Skirroſæ* augmentum præcavebatur. (*a*)

VI. Variolæ tam gravioribus complacent procellis, tamque infelici jactantur eventu, ut invito omni ſubſidio, & media in ſalutis fiducia ſæpiùs occumbant, & extinguantur Infantes: Hinc eò magis reformidandæ, quò infinitis implicantur receſſibus, & inſidioſam prætendant faciem, quæ ſagacioribus etiam

 impo-

(a) *Operations de la Chirurgie du Cancer p. m. 392.*

imponit. Neque juvat, nec animus eſt, diverſas pro variis Regionibus commemorare curandi methodos, quæ ſæpiùs inſigni ægrotantium detrimento uſurpantur. Neminem enim fugit, fluida concepto *varioloſo* contagio inquinata Naturam ita laceſſere, ut hæc ſui corporis tutelæ invigilans actutum inſurgat, quò depurationem, vel mollecularum extranearum expulſionem meditetur, atque feliciter moliatur, quæ cùm faciliùs per ſpiracula cutis ſucceſſerit, vividior erit per vaſa cutanea humoris contaminati repulſus, cui ſi addas meandrorum cutaneorum multitudinem, & teneram canaliculorum ſtructuram, proindeque minorum tubulorum reſiſtentiam, intelliges quare in celluloſo *peripheriæ* humanæ contextu affectus ſeminio varioloſo ſanguis faciliùs ſubſiſtat, ibique tumores exiguos *phlegmonoſos* in ambitu rubros dolentes determinet, qui ab humoribus de novo ſemper advenientibus quaſi oculi nictu ſuccreſcant; Et quamvis in Interraneis corporis æqualis ubique peragatur ſanguinis deſpumatio, atque puſtularum circumfluentium catervâ partes obruantur; ut plurimum tamen ſagax Natura cutaneum emunctorium affectat, & quidem faciem, pectus, manuſque præ reliquis corporis locis ſeligit, quo ſecretionem *fermenti* in primo variolarum apparatu, & in ſubſequentibus ſtadiis ſuppurationem, invitis obſtaculis, victrix abſolvat. In quem ſcopum, *variolis incubantibus*, vetuſtiores Medici ad facilitandam hujuſmodi per cutem excretionem, cubiculum clauſum calentibus prunis accendebant, &, ignibus ignes addendo, ægrotos ſuos jugulabant: Siccabant enim nimis cutaneos vaſculorum fines, atque hac impulſa, liquida febrilia jam æſtuoſa in majorem motum concitabant. In quem finem alii oppoſitum tenuere iter, dum ingruenti morbo ſola impenderent refrigerantia, quæ fomitis inflammantis ſtimulum, fluidique orgaſmum placare, & coercere poſsint. Utrique peccant. Sapiunt certè ii, & quidem ſolos ſapere arbitror, qui aeri calidiori, vel juſto frigidiori occurrentes ad eum totis viribus gradum reducere contendunt, ut temperatus evaſerit. Verùm adeſt maximi momenti conſideratio, quæ altiùs medentium menti imprimenda eſt: ſcilicet propriæ cutis humiditatis tuitio. Solet

quip-

quippe, non proludentibus modò variolis, verùm etiam procedentibus, cutis impenſiùs calere, & majori ariditate ſtipari: Quod non advertentes Medici, vel ad inſtar leviſsimæ, & vanæ circumſtantiæ ſpernentes, Infiirmos ſuos in ſummum vitæ periculum conjiciunt. Fruſtra enim variolarum therrapejam aggrederentur, qui omiſſo cutis ſtatu, interna liquida vel calidioribus exagitarent, vel frigidioribus nimiùm ſopirent. Si cutanei meatus materiæ morbificæ præ ſiccitate eruptioni reluctentur, eoſdem laxare, atque emollire utile erit, ut in iiſdem humefaciendis, liquidiſque appulſuris, vel jam ſtagnantibus leniter derivandis reſolvendiſque ſola depurationis ſpes affulgeat! Hinc eſt, quod in tardiſsima *puſtularum* eruptione *Lemerius* feliciſsimo olim exitu (*a*) Infirmum in balneum calidum demitti juſſerit. Quam quidem methodum non ſemel comperi efficaciſsimam, ubi tantum in cute ſquallorem animadvertebam, ut impoſsibilem effloreſcentiam non temere ſuſpicarer, niſi cuti ſalutaris accederet mador. Num hæc ſit cauſa, quare mox mox emicaturis puſtulis aquoſus vapor & tenuis in Decumbentibus ſudor proludere ſoleat? Narrare equidem poſſem quamplurima hujuſmodi exempla, ubi involuto toto corpore amicula goſsipina delicatiſsimè contexta, eaque balneo emolliente & calido prius madida, fortunatiſsimam, & præſentiſsimam excretionem variolarum ad egreſſum, ob cutis ſtricturam, difficilium, vidi Ipſe; verùm ſequentem caſum tantùm depromam, qui fortunatas variolarum vices, & inſperatam *exhantematum*, atque optatam ad cutem converſionem apertiùs declarare poterit.

VII. Anno 1746. Februario menſe Variolis in Melita epidemicè graſſantibus, quamplurimos inter Infantes, quos ex officio, vel fiducia Parentum inviſi, pauciſsimos puſtulis ægerrimè erumpentibus obſervavi. Unum referam Parvulum, quem ex epidemiæ genio, ex continua anxietate, mox cum rigore quodam, & exacerbatione, accedente capitis dolore, horrore, & calore ſeſe mutuò excipientibus, ex pulſu incre-

(a) *Memoir. &c. annèe* 1711. *obſervat.* 11. *p. m.* 38.

beſcente, vomitu, ſtupore, ſomnolentia, delirio, convulſionibus; ex numeroſa inquam id generis ſimptomatum ſerie, quæ primum variolarum incubationis ſtadium comitantur, ut quiſque facilè, ita Ipſe fateor in imminenti puſtularum protruſione verſari, certiſsimè judicabam. Verùm, cùm ob ſævitiem delirii, & metum infarctus cerebri, venam in talo ſecari juſſerim, indeque inſultus ferocia, & procelloſi fervoris interni tumultus conquieverint; atque lacrymabundi Pueruli oculi variolas oſtia cutanea pulſare apertiſsimè oſtenderent; mirabar ſanè papulas, nec in facie, ubi primùm apparere ſolent, neque in aliis corporis partibus ullo modo in conſpectum venire; erat dies hæc morbi ſeptima, in qua omnia variolas *antecedentia* vigebant adhuc, adeout fermenti varioloſi ſummam ad extricationem impotentiam, vel epidemiæ irritum in Infante effectum ſuſpicari cœperim, eumque alio morbo correptum, ut *febre putrida*, vel *maligna* opinatus fuerim. Dum autem mecum Ipſe infidos morbi progreſſus ſedulò perpenderem, & omnia pænè ſimptomata eruptionis ingraveſcerent, atque ſummus in luminibus ſplendor fidiſsimus variolarum ſeſe exerentium nuntius ſeſe ſiſteret *Intuenti*: neſcio quo pacto ingentem, & ponderoſam ſtragulorum lecti ſarcinam intuitus objurgavi, juſsique, ut tenellum infantile corpuſculum tanto ſublevarent onere, quo ſtatum cutis propiùs indagare valerem; quam cùm duram, tenſam, renitentem, & præ rigiditate nimis ſquallidam, pluribuſque in locis fixam, dehiſcentemque, in aliis ſplendentem, & corneam velut factam offendi: dubitare cœpi, an ob firmiorem cutanei colatorii texturam *exhantematum* materia circa eaſdem plagas diſcurrens, viarum iſtarum laxitatem dumtaxat expectaret: maximé cùm totum corporis ambitum intensè rubere obſervarem. Ergo emolliendi mihi erant cuticulares ductus, patentiuſque ad variolarum efflореſcentiam iter ſternendum. Quamobrem præcipio, corpori ægroranti Interulam filo xylino tenuiſsimo contextam, & decocto priùs emolliente domeſtico madentem imponi, inque eo ſitu retineri ita, ut nec ſubitó abiret vapor laxans, neque ab eventilato halitu magis ſicceſceret corporis peripheria; ſed perenni

renni rivulo, accedente externarum partium calore *emollientes*, & aquoſi globuli ab ſuperficie induſii profecti, vaſcula excretoria fovere, inſtaurare, & recreare poſſent. *Bombicem* ſelegi, quia ad inſtar *lunæ* humeſcit, ſed citiùs humefacit; quod in linteo opere non obſervatur. *vide ſup. cap.* XII. §. XIV. *num.* 15. Quidquid autem ſit, ita relaxata, & humido irrorata cutanea vaſcula ſudorem primùm, mox dicto citius immenſum papularum agmen in conſpectum dedere; facies innumerabilibus rubris punctulis diſtincta protinus comparuit, & tantus adeo corporis habitum obſidebat puſtularum numerus, ut difficile eſſet obſervantibus, quantumcumque viſus aciem intenderent, vacua puſtulis loca conſpicere. Emerſis, eductiſque ea ratione variolis, alterum ſtadium felici cum ſucceſſu ſupervenit, quod tertium eadem ſorte excepit, donec perfectè convaluerit Infans. Viden', ut tantilla rigidæ cutis, indeque objectæ exiturientibus variolis reſiſtentiæ conſideratio magni ſit facienda in Praxi? Atque, quòd ad rem noſtram facit, quantum valet, cutem in variolis ſiccitate peccantem convenienti madore, loco, tempore & debitâ excepto materiâ lenire; ſicque impendens alias lethi fatum avertere? Sed ad alia majoris momenti nos accingamus oportet.

VIII. Si experimenta conſulamus, fatebimur, uſum *lanei operimenti* in *emphiſematibus*, & tumoribus aquoſis, ſubcutaneos ductus occupantibus, tùm humidum abſumendo, tùm ſolida roborando, utramque curationis paginam implere. Quid enim eſt partium humida intumeſcentia, & unde nam ortum habet ſolidorum laxitas? Patet enim cunctis, elementa fibrarum, & vaſculorum corporis animati aquoſi prӕſentiâ a ſe mutuò recedere, majora ſpatia comprehendere, & elongari. Patet inſuper, ab inerti, frigido, & pituitoſo humore, ubicumque ſtagnaverit in corpore, quæ fluxilior, & ſeroſior eſt, portionem in aliena vaſcula derivari, quæ pari ratione inflanda erunt: Patet deinceps, ab humorum maſſa craſsiori facta latera canalium, quæ in ſtatu naturali ſuperficierum ſuarum affrictu præterlabentis liquidi motum retardant, magis adhuc extrorſum duci, inque tumores protubera-

berare cum ineptitudine ad ſeſe contrahendum: In ſumma, dum viget ſanitas, proportionata in fluido circulante conſiſtentia, & juſtum elaſticitatis in canaliculis robur requiritur, ne videlicet ſanguis ſolido tenuior per partium interſtitia facilé dilabatur; ſed ut conceptum a corde arteriiſque impetum retineat, vaſorum tunicas debito momento impetat, hę verò virium æquilibrio prætereuntem impellant. In ſpecie autem quotidianis experimentis compertum eſt, humores cutaneos viſcoſiores reddi, ipſamque materiem perſpicabilem, crudiorem, craſsioremque interdum evadere, ut, humectatis inde, laxatiſque vaſculis coercentibus, multiplex malorum *lerna* conſurgat, quibus otioſi, & Valetudinarii diu aliquando conflictantur, & quæ ex viſcerum obſtructionibus perperam deducunt Multi cum infauſto curationis exitu. Inde *Cachexiæ*, vel malus corporis habitus; (*a*) inde aqua inter cutem; inde varia *Emphiſematum*, & aliorum tumorum, quà frigidorum, quà flavorum, lividorum familiæ; inde infinita ſimptomata, quæ ut uni flacceſcentiæ ſolidorum, & hærentiæ fluidorum vitio, tanquam radici, accreſcunt, ſic eadem ſuccisa tolluntur. Et quidem hiſce ſolidorum fluidorumque ad corporis circulum pertinentium præſuppoſitis noxis, facilè inde concipies, fore ut omnia reliqua fluida, & ſolida ab illis conditionibus deſciſcant, quæ in ſanitate requiruntur; ſimulque vaſcula flaccidiora ſolitam tranant liquido vim minimè impertiant: Inde fluxilioris ſtagnatio, & partiũ tumor. Quòd ſi ab immeabili liquido, velut ex quodã coagulo, latitans, diſpersũque antea, ſerum nunc copiosè excuſsũ prodeat, quod vicinos canaliculos inundet, tum aquoſa diffũdetur per cutanea vaſcula moles. Si autẽ liquidum immotum in vaſis dilatatis tantùm quieſcat; tum urgens poſticè columna anteriorẽ torpentẽ, neque ob vaſculi debilitatem propulſam cum illa cohærebit, tumorem adauctura. Neque hìc vaſculorum ruptura ad *hydropicos* cutis tumores neceſſaria eſt: Omnes enim *hydropis* ſpecies, ſi unam exceperis, quæ Lymphaticorum *rixi* debetur, ad tardigradum cruoris motum refertur, indeque capillarium

(a) *Vid. Gorter. de Inſenſib. &c. cap.* XII. §. XLVII. *p. m.* 72. 73.

vaſorum obſtructionem: Sint enim uſque Viſcerum, ſint Glandularum, ſint capillarium obſtructiones, ſed tamen illæ quoque occaſione fluidi vitiati ortum habuere. Sed non prætermittendum eſt frigoris ope, quemadmodum aer extricatur, bullaſque efformat; (*docet Glacies*) ſimiliter eumdem ex noſtris humoribus, dum reſidentes quaſi frigent, explicari, & conſpicuiorẽ reddi. Inde flatuũ in ſanguine exiſtentia; Inde cor cadaveris immensè dilatatũ obſervatum fuit, ventriculum dextrum inflatũ, *coronaria* vena ſanguine, & aere plena; imó corpus Virginis in calore *febris Tertianæ* ad inſtar Tympani tumidũ. (*a*) Quamobrẽ nihil prohibet, quin, nata in cutaneis liquidis ad motum ineptitudine, contentum aera in libertatẽ aſſertum, & egredi impotens, varia cutis vaſcula diſtendat, *emphiſemata* producat. Ea ratione Animalia externé tument ab adaucto *Lanionum* flatu.

IX. Hæc (VIII.) paulò fuſiori narratione indigere viſa ſunt nobis, quò clarior dein omnibus innoteſceret curandi per *laneos* amictus methodus, quæ omnes in præcitato caſu requiſitos medelæ ſcopos attingit. Quid enim tumentibus canaliculis, gravique ſero oppreſſis conducibilius eſt, leni humorum abſorptu, & moderata coercentium canaliculorum compreſsione? An tardiori humorum greſſui ulla melior cogitari medela poſsit, quám qua, ſtimulo incitata canalium latera, mollecularum cohærentium unionem tollant, priſtinumque elaſticitatis motum recuperent? An frigido, & pigreſcenti humori ſolvendo exſuſcitandoque caloris auxilium alienum eſſe putes? Ille enim natura excitatus, vel arte productus digerere cruda, craſſa incidere, obſtructa aperire, & ſegnem per capillaria humorem propellere ſolet. An tandem tutius, efficaciuſque in enarratis malis auxilium excogitari umquam poſsit, quàm quod inſenſibilem corporis tranſpirationem ægregiè promoveat? Ita ſanè. Hinc eſt, quod frictio hoc ipſo nonnullos tumores diſcutiendo expediat, quod nempe perſpirabile malorum fontem inſtauret: Hinc eſt, quod Veteres frictionibus non raró feliciùs curabant morbos *Chronicos*, quám

Nos

(a) *Peklinus Obſervat.* LVII. *p. m.* 134.

Nos medicamentis internis ſtimulantibus. Verùm cùm caloris externè incubantis ope, tum maximé frictionum dotibus, præ ceteris corporis indumentis commendatur *lana*, ut in præcedenti Capite dictum eſt. Illa, ſi quatenus corporis tegumentum eſt, cauté utaris, ſubjectamque cutem perfricueris; atque demum pannos aſperos ſiccos, accenſo imprimis aromatum fumo, penetratos uſurpaveris, mira in morbis a prædicta debilitate exortis curandis, præſtabis. Quód ſi eam *lanæ* rationem habeas, ut ligamenti vinculique ad inſtar eâdem corpus conſtringere cogas; tum enim veró perculſis ultimis arterioſorum ductuum exhalantibus finibus, contractiſque omnibus canaliculis, liquidum ad interiora urgetur, quod præterea ab vinculo *laneo* arctè compreſſum majora vaſa petat, ubi liquidi purpurei oceano affuſum, repetita circulatione ſubactum, naturalem conditionem recuperaturum eſt. Sed & eodem tempore levi prudentique manu, faſciarum, ligaminumque *laneorum* opera conſtrictæ partes, quæ nimis laxæ, & tumidæ erant, firmantur, roborantur; ſicque majorem elaſticitatem acquirentes, torpidum humorem per ſua inania excutiunt.

X. Inſignem *chloroticum* Virginis cujuſdam habitum, & verè *cachecticam* cutem vidiſſe memini, quæ omnibus remediis reſtiterat. Neque enim interna adhibita ad ſudorem eliciendum *pharmaca*, neque adeo ſalubre ferrum proderant: Ipſa autem Virgo ad motum gravis, vix pedibus inſiſtere poterat. Ad hæc mœſta, debilis, pallida, toto corpore tumens, fugacibus doloribus vexata, multis in locis præſeferebat cutis pelluciditatem, & ab aqueo intús collecto humore *Anaſarcam*. Neque tandem membranæ celluloſæ ſpatia defuerunt, quæ incarcerato diſtenta aere, eaque percuſſa reſonarent, crepitumque labentis ſubtus, obmurmurantiſque flatus oſtenderent. Itaque tumidus cutis habitus, labiorũ, genarumque color ſublividus, ſumma ad motum difficultas, ad minima exercitia torpor & anhelatio, atque demum ex pallido in lividum vergentia colorem corporis inferiora funeſti quid ut prædicebant, ſic citam opem poſtulabant. Verebar enim, ne, diſtentis valde vaſculis, minuſque motis,

vel

vel tardigradis liquidis in cruribus, *Eroſio*, & *Scorbutica labes* accederet, quæ omnem curationis ſpem adimeret, ut legitur aliquando eveniſſe. (*a*) Quamobrem Tenias *laneas* ſumpſi, iiſque ægrotantis arctè circumduci, abjecta omni cunctatione, crura pendula juſsi, ut in vaſis jam diductis non poſſent ampliùs hærere liquida: Quo inſuper tempore Auctor fui, ut Virgo induſium *laneum* molle ad totius ſuæ cutis aream ſtrictè obtenderet, conformaretque, intra quod tamen, corpus idemtidem volutaret, ut efficaciam ſtaminum *laneorum* præſtantiùs perciperet. Manè ergo & veſperi detracto amictu laneo, per univerſam cutem ita ſpoliatam inſtituebantur frictiones cum pannis aſperis *laneis*, & prævia *Anathimiaſi*, medicatis; ſicque foto defricatoque corpori ſuperinducebatur induſium *laneum*: Quibus præſcriptis, atque prudenter uſurpatis, brevi Virgo felicem in ſe experiri *lanam* cœpit, quæ vix corpori obducebatur, quin in partibus *emphiſemate* tentatis, neſcio quis elaſticæ materiæ curſitantis, exitumque quærentis motus, qui momento poſt ſilebat, illicò perſentiretur; dum autem cutaneis locis, frigido ſegnique humore refertis, admovebatur, emanans in ſuperficie cutis ſerum, quà *lana* ſeſe explicaverat, doloris cauſam, fugamque opportunè ſignificabat. Hìc præter contactum etiam effluviorum ſalutarium aliquem uſum fuiſſe, non de nihilo hariolor, qua de re vide ſupra. (*Cap.* III. IV. *paſſim.*) Continuabatur ſalutare adeo auxilium, atque ad ceteros amictus ſubtus Interulam, *laneo* illo, & prolixo induſio induta ſemper incedebat, quouſque Genæ ſuaviter hilari purpura rubere, ſolitam corpus ad functiones promptitudinem, & debitam machina alacritatem recuperarit. Ut ſanè mirarer, totius corporis *cachexiam* adeo pertinacem ſolo viliſsimæ *lanę* uſu feliciter fugatam fuiſſe.

XI. Id ipſum topici genus magnas mihi utilitates attulit, necnon auſpicato ſemper in ægrotantium commodum adhibere ſoleo, quoties homines in praxi occurrunt, qui poſt perpeſſam aliquam gravem *diarrheam*, vel toleratam moleſtam

(a) *Pecklinus Obſervat.* LXIX. *p. m.* 184.

dyſſenteriam, pedes, tibias ad uſque, editiora femora, omnes verbo partes Trunci inferiores *œdematoſas*, & luridas, ſeroque effuſo oneratas gerunt. Indutis enim artubus, ita correptis *lanâ*, eaque in femoralia, vel in tibialia concinnata, atque conſuta, & idemtidem adſtricta, pulcherrimum certè uſum pollicetur: utique ſi priùs eamdem fumo aliquo aromatico imbui, vel corroborante pulvere adſpergi curaveris. Dum enim in deligatione partium *œdœmate* cutaneo laborantium, corpori antea adhærentem *laneam* ſuperficiem curioſiùs inſpectas, guttulis roriferis undique humectam comperies, quod hauſti intùs peccantis humidi evidens argumentum eſt. Atque hoc uno facilé probabili præſidio in pauperibus, quibus decantatorum medicaminum uſum fortunæ conditio negat, cuticularem ſeri *extravaſationem* ſæpè profligatam vidimus, modò non negligeretur aliquod domeſticum interné ſumptum ſudoriferum. Soleo enim ſimplicem *Theæ* potum commendare, qui ex voto ſuccedit. Neque eſt, cur quis metuat revocari hac ratione ab interioribus corporis partibus ſudantem jam fortè materiam, cùm non meliùs ad intentatam viam perduci poſsit: Qui enim cumque motus centralis eſt, is pari undique conatu, & a corde, arteriarumque truncis ad capillaria, ſuperficieſque corporis tum internas, tum externas, velut fluidorum receptaculum, morbi fomitem diducit. Quòd autem ad cutim interdum non æquè prorepat ille humor, qui interiores *Hydropicorum* artus obſidet, haud dubiè a textura glandularum ſubcutanearum denſiore, & fluidi ſecernendi viſcoſitate repetendum eſt. In ſimili caſu *pannorum laneorum*, addito levis frictionis, inunctioniſque momento, inſignes fructus afferet uſus, quibus humores attrahantur, ſolida molleſcant, & fibræ immoderata rigiditas tollatur. Sudores itaque per *lanæ* applicationem electi & impellunt magis, quod ad interiora iter tenebat; & ſi quid adhuc peregrini, & muriatici in ſuperficie maſſæ ſanguineæ fluctuat, non protinus in halitum *Sanctorii* reſolvendũ per glandularum cutis contextum evacuant, atque adeo naturam ex parte levant. Certè in eo de quo

loqui-

loquimur morbo, *Celſus* (*a*) ſimilem curationem inſtitui voluit. *Evocandus eſt ſudor*, inquit, *non per exercitationem tantùm, ſed etiam in arena calida, vel Laconico, vel clibano, ſimilibuſque aliis.... Balneum atque omnis humor alienus eſt.... maximè utiles naturales, & ſiccæ ſudationes ſunt*. Quantùm autem in eo genere ſiccæ ſudationis ceteris omnibus palliorum generibus præmineat *lana*, in ſuperioribus dictum eſt. [*Confer Cap.* XII: §. XIV. *num.* 1. 2. 3. *&c.*]

XII. Quid in mitigandis *Rheumaticis doloribus lanæ* contactus poſsit, vix quiſquam de eo Infirmorum genere eſt, qui proprio experimento non didicerit, modó *laneum* veſtimentum ſibi induerit. In multis, acutiſque hiſce doloribus, ſive fixis, ſive erraticis ſæpiùs vidi, admotam lanuginem protinus auxilio fuiſſe. Noti ſunt mihi multi, qui *Rheumatiſmo* mancipati, ut primùm lecti *laneis* ſtragulis corpus cooperuere, mali ſolamen illicò perſentiant: Alios vidi, atque narrantes audivi, ſe cùm ob negotiorum multitudinem intra *lanea* lecti ſtrata diutiùs cubare non poſſent, uſu quotidiano ſubuculæ *laneæ*, quæ ad cutim proxima eſſet, a malo tandem evaſiſſe. Exploratum dein experientia habemus, quám improſperé in hacce noxa repetita *Phlebotomæ* cedere conſuevit, adeo ut Incomparabilis Vir *Sydenhamus*, poſtquam *Rheumatiſmi* curationem perfectam immodica ſanguinis vi, reiteratis venæ ſectionibus educta perficiendam eſſe cenſuit; (*b*) videns dein ea methodo & Ægri vires frangi, & aliis morborum fatis machinam obnoxiam reddi, experiri ſtatuit, an ulla alia *therrapeja* daretur ab repetita toties ſanguinem educendi medela longè diverſa, qua hic morbus tutiùs poſſet debellari. (*c*) Quamobrem ad dietam *lacteam* confugere conatus eſt. Sed adeo noſtris temporibus invaluit vulgi præjudicium, ut ad ipſum juſſæ phlebotomiæ nomen exhorreſcat, atque hanc operationem in *Rheumaticis*, aliiſque ſimilibus doloribus *cane pejus*, & *angue* defugiat. Sudorifica dein, quantumvis in præſenti ægritudine plurimùm

Rr 2 pro-

(a) *lib.* III. *cap.* 21. *p. m.* 162. (b) *Tom.* I. *cap.* V. *p. m.* 170. *ſequent.* (c) *Idem ibid. cap. Epiſtol.* I. *p. m.* 198. 199.

prodeſſe videantur, revera tamen magis officiunt, quàm proſunt: Dum concitato ſanguinis æſtu, morboſam materiem maximè rarefaciunt, & nimio fervore laceſsitam acriùs urgent, quæ immaniús ſæviens, & quietis neſcia, ſtamina nervea variè impetendo, tragœdiam dolorum orditur; vel in partem nobiliorem translata, novam malorum *Hilyadem* advocat; vel demum propter morboſum & corruptum laticem, atque in extremis corporis, muſculoſiſque locis pertinaciter obſeptum remediorum horum efficaciam eludit. Contrarium autem in *lanæ* applicatione contingit: Hæc enim immediatè corpus cingens, eique ſtrictè alligata, perſpirationem inſenſibilem promovendo, æquabilem tacitam humorum diſtributionem per corporis ambitum molitur: Inde quæ impacta in ultimis tubulis hærebant, in motum aguntur, ſingula in ſingulis canaliculis liquida expeditiùs moventur, & faciliori curſu uſque ad longinqua loca perveniunt: Inde partibus excutitur morboſa gravitas, evaneſcit triſtis paroxiſmi imminentis nuncius torpor: Præterea *lanis* moderaté tectum fotumque corpus, & levi rubore cutaneo perfuſum, demonſtrat planè, cutanea liquida incitata eſſe, ſed pacaté; vaſis reſtitutam meabilitatem, ſed abſque diſtractione moleſta; motus ubique æquabilitatem, & integritatem abſolvi, ſed abſque tumultu. Illa item lanugine cooperta cutis in proprio velut vaporis balneo immergitur, quod ab ipſa *perſpiratione* repulſa fit, quæ ſuperficiei externæ corporis in roris ſpeciem adhæreſcit; ut inde ſiphunculorum cutaneorum, dolorum ſævitie conſtricta, diameter laxetur, nec opprimatur a paucæ tenuiſque veſtis pondere, indeque perfluat quidquid in halitus digeſtum reſolutumque eſt. Illa demum *lanæ* indutæ utilitate neque augetur cauſa tubulos diſtendens, & dolorem creans, neque comprimuntur vaſa perſpirantia; ſed ſervata caloris, ponderiſque mediocritate, humorum adtenuatio ita perficitur, ut nec imminuto motu, ullibi ceſpitent; neque immoderato in aliena vaſcula ferantur, ſed per regiam cutis viam *clanculum* elapſi benigna reſolutione pellantur. Quid plura? Cùm enim ſive exercitio aliquo vehementiori, ſive alio modo excalefacto corpori repentinum

fri-

frigus admiſſum, in graciliori temperamento præſertim, crudeles *Rheumatici dolores* tota interdum vitâ durantes ſupervenire ſoleant; quid præſtantius, atque tutius eſſe poſsit, quàm *lanarum* ad corpus approximatio, atque conſtrictio? In qua omnes caloris moderati cauſæ concurrunt; qua vaſa prius ob frigus minora, alia plena, rigida, & validiſsimé contracta, mox *lanea* fovente mollitie, majora, ſatis patentia, laxa, emollita, & flexibilia reddantur; qua tandem viſcidi attritio, ſubactio, & eliminatio egregiè promovetur.

XIII. Aliquot ante annos, Vir 45. annos natus, vitæ laborioſæ deditus me accerſebat. *Rheumatiſmo* miſerè detinebatur. Cùm enim ob vitæ inſtitutum, juncturas Navium ſtipare, atque in eo opere ingentia, ut ſolet id hominum genus, meri pocula exhaurire ſolitus eſſet; frigido de repente orto vento, corpus tùm exercitio, tùm æſtuanti intùs ſpiritu furens, incauté objecit. Mox malignam auram leviter ſibi perferre viſus, de aliqua capitis gravitate conquerebatur. Sed domum ſuam reducem rigor horrorque invadit, inſequitur febricula totius machinæ laſſitudine ſtipata. Hæc autem cùm celebrata venæ ſectione, & levi peracta *catharſi*, ceſsiſſe viſa ſint, tranſacto altero die, ſub veſperam vix lectum ingreſſum infirmum, atrox dolor corripere, nunc in hoc, nunc in illo artu infeſtans, a ſuperioribus ad inferiora decurrens, & viciſsim ab iis in excelſiores partes locum mutans, ubique ſeſe diffundens. Obmutuit æger doloris feritate, & cauſam recrudeſcentis mali in calorem lecti refundens, ſuſpicionem dolorum *venereorum* adſtantibus injecerat; donec manè illum inviſens, cùm ob alias cauſas, tùm maximè quod ſcirem nocturnam dolorum exacerbationem communem etiam eſſe doloribus *Scorbuticis*, & ſimilibus, ab omni concepto luis metu abſolverem. Pergebat autem lecto quotidie abſtinere, ſaltem ad horas aliquot, ſe inde ab doloribus immunem prædicans. Quod advertens ipſe jubeo, ut inter *lanea* lecti ſtragula tantiſper immoretur; ratus, expanſilem ſeri motum, & dolorificam exinde ſenſationem productam aſsidua in *lanis* quiete, & per laxatos cutis ſummæ meatus, tandem repreſſum, atque morboſum fomitem inſenſibiliter diſſlatum

iri.

iri. Probè tentanti mihi res vertit. Patienter enim primos dolorum impetus ſuſtinuit æger, donec corporis ſuperficies rore madeſcere incipiens, calidus ad hæc corpore elatus vapor morbi materiem diſſpari per cutaneum iter oſtenderit. Verùm ſupina recumbentis incuriâ factum eſt, ut *lanæ* beneficæ lectique impatiens, diutiùs quàm par erat, pro una vice lectum deſereret: Hinc cùm debiliori, & ſicco corporis habitu præditus eſſet, neque humoris morbifici *Rheumatiſmum* producentis perfectæ ſubactionis, & eliminationis adeſſent indicia, in graviſsimos denuò, & ſ̨eviſsimos dolores incidit, qui non ut priùs vagabantur, ſed dorſo, brachiis, femoribuſque fixam ſibi ſedem figiſſe viderentur. His rebus ita conſtitutis, ad venæ ſectionem factitandam redire nolui, veritus, ne labaſcentes, atque jam infirmas vires prorſus aliquando exolverem. Memorabile autem erat in hocce *rheumatiſmi* paroxiſmo, quòd æger non modó calorem ſtrati ferebat, verum etiam ſtragulorum *laneorum* multorum uſum enixè rogaret. Suadeo igitur, cubili hominem ita addicant, ut in *laneis* operimentis continuò jaceat, inque illis adhæreat. Præter hæc induſium ex *lana* confectum oleo laurino illitum ſibi ſuperinduat, & illud corpori, quantum, & quot vicibus poſsit, affricet, impero. Dum autem iſtiuſmodi practica documenta in uſum trahebantur, & ſolitus identidem *Theæ* potionis calidæ uſus accederet; En tibi placidus erumpens ſudor, quem poſtea vapor ex univerſa cutis peripheria tacitiſsimo ploratu expirans ſubſequitur. Pergebat hæc diaphoretica *criſis* per *ſex dies*, qua ratione dolorum vis in dies mitigabatur, donec fracto penitùs morbi vigore, paulatim ad ſe redierit Infirmus, cui etiam num, integra valetudine fruenti, *amicula lanea*, *corpus* amiciens in uſu ad *prophilaxim* eſt.

XIV. Caſus recenſitus, præclara præcepta nobis ſuppetit, quæ in *Rheumaticorum* graviumque dolorum therrapeja tenenda ſunt. Nam primò inde colligitur in iis, qui vino, & ſpirituoſis liquoribus nimium indulgent, animales ſuccos, in concretionem valde pronos eſſe. Quamobrem ſi corpus validè movetur, & frigidior aura admittatur, gravioribus *rheumaticis* doloribus illi vexantur. Frigus enim calefacto corpore

re ſubitò ſuſceptum, mirum quantùm lympham cutaneam obviam, & ſponte tardigradam inſpiſſare valeat, tranſpirabiles tubulos corrugare, & ſalutarem excretionem cohibere. Hæc autem contingere nequeunt, quin glutinoſus tenaxque humor, vaſcula, quibus hæret, tendat, comprimat, & vehementi partium fibroſarum, & nervearum ſtrictura moleſtiſsimos dolores inferat.

2. Idipſum xiv. *num.* 1. elicere, experientia notum eſt, inſignes aeris, & tempeſtatum mutationes, ex calido in frigidum, & ex frigido in calidum, ventiſque repente ex contraria plaga ſe invicem excipientibus. Præterea ſi corpus exeſtuans immergatur in aquis frigidis, vel moram in locis ſubterraneis frigidis humidiſque traxerit; vel in iiſdem locis decubuerit, vel frigidiora corpora contegerit, *Rheumatiſmi* ſæpe oriuntur.

3. At verò ex prædicta hiſtoria edocemur, pro diverſo laticis lymphatici infarctu diverſa remedia indicari. Cùm enim viſciditas ſanguinis, & Lymphæ, qua tardiùs ſolito per anguſta partium vaſa circulentur, & in iiſdem hęreant, ſtagnentque faciliús, non tanta ſit; atque ſub morbi initia vaſcula ſpaſmo coarctata, atque in ſe adducta ſupponantur. Tunc fieri poteſt, ut morboſum liquidum tempore *lecti*, vel calore velamentorum expanſus, atque per vim ignis primò rareſcens appoſitas, & jam tenſione diſpoſitas, ſenſiles fibras validiús diſtrahendo dolorem pariat. Ubi veró præ ſpiſsitudine ita reſidet Lympha, ut crebris decubitibus, & repetitis paroxiſmis, *atoniam*, & laxitatem in fibroſis tunicarum vaſculorum ſtaminibus induxerit, calor accedens in ſolida pręprimis ita agit, ut ea exiccando, & quaſi corroborando orituram liquidi rareſcentiam moderetur, neque eadem ſe adeo dilatari diducique ſinat. Hinc fit, ut qui dolores, ab eadem viſcedine *Lymphæ* pronati, ineunte noxa, de qua in præcedenti paragrapho (xiii.) admiſsione frigidi miteſcebant, & calore ſæviebant; protracto dein morbo, ſola jacentis quiete ſopirentur, mitigarentur, ut tandem derepente ceſſaverint.

4. Non prætereundum tamen, inſtauratæ perſpirationis rationem tùm adverſus dolores *Verſatiles*, qui expulſo humore

re

re peccante, maximè per inſenſibilem difflationem fugantur, cùm maximé Hominibus vino, & commeſſationibus dicatis, ſicubi in ſimilẽ morbum inciderint, longè multumque efficacem haberi: alia occaſione dictum eſt, à nobis *ſupra cap.* IX. §. V. *Strenuis Potoribus* libere ſudorem fluere commodum eſſe; itaut in hiſce omnium fere affectuum curam in ſudationem reſolvere totius ſit: Cujus efficaciam, *Teſchirnhauſius* (*a*) inſignem obſervaverat in prævertendis febribus, ex ebrietate orituris, aut jam ortis profligandis.

5. Liquet inde, quare in morbo ſupra deſcripto (XIII.) *Lanam* commendarim. Fovebatur enim malum ab impuri ſeri intra fibrarum muſculoſarum ſinulos aggeſtione. Ad hæc atrox, qui inſtabat, dolor ab incauto vehementis frigoris admiſſu in craſsiori Limphæ diatheſi excitatus fuerat. Hæc ergo medendi ineunda via erat, ut humoris vitioſi illuvies blandè resoluta ſufficienter per ſubcutaneum cribrum eveheretur, necnon laxus, & debilitatus ſolidorum tonus roboraretur.

6. Cùm verò Frictionis motu partes firmentur, atque per iſtiuſmodi ſolidorum agitationem metus eſſet, ne debilis vaſculorum contextus ſolveretur; *ſupra cap.* XII. §. XI. *num.* 7. 8. *&c.* Ex alia parte ſpiſſus, & immobilis humor paulo altiùs, & pertinacius, cùm frigoris ſenſatione, pororumque criſpatura corpori inſideret: Satiùs ideo duxi ad frictiones cum pannis laneis aſperis, & calido ſolventique oleo adſperſis inſtitutas confugere; quibus tamquam *Rubefacientibus* auxiliis, è ſedibus ſuis fixis, rebellis humor potentiſsimè evocari; viſcidiores molleculæ adtenuari, & partium dolentium textura roborari poſſet; ut multiplici experientia compertum eſt.

7. Rectè ergo *Hypocrates*, qui ad catharros elatiorẽ corporis partem malè vexantes, qualis eſt *coriza*, *ſuffitus*, *exthure*, *& maſtiche* commendat, quibus membranæ ab antecedenti calore laxatæ roborentur, elongatæ, & valde debiles tubulorum extremitates contrahantur, atque firmentur, necnon torpens ad motum liquidorum maſſa ſtrenuè incitetur. Quem in finem, qui profundè, & diutiùs quàm par eſt, dormire conſueverunt, eòque caput grave, ſenſus hebetes, frigus &

(a) *Apud cheyne de infirm. cap.* VII. *p. m.* 236.

imperſpirabilitatem patiuntur, (*a*) ut omnes ferè decolorati evadant, iis, inquam, hominibus neceſſariam *lanæ* geſtationem propterea cenſemus, quòd exercitationis munere fungens, non ſecus ac illa perſpirationibus aditum patefaciat, (*b*) ſanguinemque interiora priùs ſubeuntem, nunc ad exteriora promptiſsimè avocet. Eadem ratione conferre iſthęc methodus gerendæ lanæ poteſt, ſicubi a protracto nimis ſomno, & minimis vaſculis ſummoperé diſtentis *Polyſarchia* contingat, cujus cum princeps cauſa ſit repletio nimia canaliculorum, & inertia circulationis, ſanguiniſque a corde remotioris immobilitas ab *lanea* irritatione ſola multùm boni expectare meritò poſſumus. Sed & ſalubriorem præterea ad præcavendum omne fluxionum, & *catharrorum* genus, commodum *lanei* velaminis uſum idcirco opinamur, quia plerumque in vaſtiſsimo aeris oceano morborum latè graſſantium germina occurrant, a celeberrimis indagata viris, (*c*) quæ fluido illi elaſtico immorantia ventorum adminiculo, celerrimè unà diſsitiſsimos telluris tractus obambulant; eoque a nulla, quàm lanuginis fabrica, texturave coerceri domarique poſſe videantur.

XV. Ad dolores Articulorum fixos tranſeamus modò, qui opprobrium Medicorum audiunt. Hos equidem ſi *lanæ* uſu debellari dixerim, vel ſaltem longé tutiùs præſtantiúſque compeſci; profectò insanientem deridebis. Sed ſcias velim, quicumque ſolemni remediorum pompa, & ſtrepitosa Formularum medicarum ſupellectile delectaris; viliſsima aliquando remedia, quæque nullius ſunt prætii accedente ea, quæ in Medico quæritur, ſolertia, plus polliceri, quàm prætioſiſsima quælibet pharmaca ex loculis *Pharmacopolarum* eruta; vel quæ magno hiatu *Agyrtæ* venditant, perque *Vicos*, per Plateas, ingenti Hominum frequentia jactant. Durum profectò domeſticorum, tritorumque auxiliorum fatum, quæ quia ad manus eſſe conſueſcunt, vilipendi, & omni Artis laude carere ſolent; quæ veró induſtriosè occultantur, in magno prætio haberi. Sed ut ad rem. Quandocumque corpus ſuccorum impu-

Ss rita-

(a) *Conf. Boerhav. Inſtit.* 599. (b) *Mercurial. L.* IV. *cap.* IX. (c) *Vid. Medic. experiment. part.* II. §. II. *p. m.* 228. *ad* 233.

ritatibus plenum otio, & vita, qua torpet ſedentariâ laſſum, vel potui nimio vini diu aſſuetum, vel liquoribus ardentibus plus æquo indulgens, indeque *Arthriticis* doloribus infeſtari incipit, non equidem *lanam* induendi conſuetudo ſpernenda eſſe videtur, quæ tam ad ſanandum naſcens malum, quàm ad avertendum præoccupandumque inſultum cellerrimam aliquando, & præſentiſsimam opem promittit. Cúm enim per victus errata langueat vis vaſorum ſyſtaltica, & humores lentius progredientes, & in quamplurimis vaſculis ſtagnantes exiguam diviſionem patiantur; effluat inde, tranſpiretque quod tenuius & mobilius eſt, craſsius veró retineatur in articulorum ligamentis: Cúmque in hiſce Subjectis frequenti vini, & ardentium liquorum potatione ſeroſior ſanguinis pars diſperdatur, partes tartareę copioſiùs liquidis vitalibus affundantur, quæ præ ſpiſsitudine, & acrimonia concepta futurę *Artrhitidi* materiam parant, & *ſinoviali* juncturarum humori labem ſimilem affricent: Quoniam hiſce, inquam, ut plurimum cauſis *artrhiticorum* dolorum geneſis debetur, adeo ut *Podagram* a ſolo vini uſu oriri ſuadeant Nationes *Podagricæ*, quæ pro potu quotidiano vino utuntur: (*a*) Quam, quæſo præſtantiorem *prophilacticam* medelam antevertendo fomitis *arthritici* in articulos decubitui parem excogitare poſſis, quam qua Natura ad excutiendam materiam morbificam, per inviſibilem corporis halitum ſollicitetur? Id autem præſtant quælibet integumenta corporis *lanea* carni ſubjectæ immediatè ſuperextenſa, quibus velut blando tepido, ſimulque corpori humano quam maximè analogo fomento horrendi *arthritide* laborantium ſpaſmi quaſi in ovo jugulantur; quibus compertum eſt, *hìc* §. XIII. XIV. non diutinam & notabilem ſudationem facilitari, non incoctam, crudam, & præter Naturæ modum extortam materiem per cutem expelli; ſed tacitum, levem, & ſuapte natura fugacem vaporem efferri, ſed madorem ex tota corporis externi ora clandeſtinè manantem evelli, unáque maximam futuræ metaſtaſeos partem averti. Modò enim *lana* ritè uſurpetur, omnibus aliis locali-
bus

(a) *Conf. Linneum de Lapponib. in Flora &c. l. c. p. m.* 58.

bus auxiliis tutiorem morbi ſanationem permittere eamdem comperiet, quiſque ſanę mentis adverterit, nullum hactenus inventum fuiſſe auxilium, quo malum adeo atrox profligari omnino poſsit: In quo quidem tractando ſalutares Artifices cœcutire fatendum eſt. Nec enim venæ ſectio ſanat, licét morbi vim infringat, præcaveatque mala graviora: Neque *Purgantia* ſæpè data apto tempore proficiunt, quæ licèt fomitem everrant, humores tamen accendunt: Neque acriora *Sudorifica* felicem umquam exitum dedere, quæ potiùs furenti jam liquido, & inflammationem meditanti calcar, oleumque adjiciunt. Quidquod ipſa *Stomachica* adeo a *Sydenhamo* decantata dubii etiam eventus eſſe, triſtis edocuit experientia. *Narcoticorum* uſus æqué incertus habetur. Sola ne ergo dieta opus eſſe, dices? At quantæ molis, & quàm tædioſum ſit, unigeneri victui aſſueſcenti machinam de novo recudere, novoſque latices puros, illibatoſque refundere! (*a*) Supereſt ergo, ut infauſta, & adſcititia labe *Arthriticorum* liquida vitiata, & neceſsitate quadam, jugi fomitis morboſi commeatu adaucta, qua ratione poſsimus, naturæ quaſi ductum ſequentes, per univerſale cribrum cutaneum exterminemus; & concitata æquabili ſuccorum tranſpiratione difflemus, prohibeamuſque, ne mole ſua, & locorũ declivitate in inferiores artus, nodoſque decũbãt.

XVI. Quibus autem auxiliis, ut collectus, oberranſque *arthriticus* latex per exiguiſsima, cœcaque cutis foramina decedat, corpora *laneis* palliis munita quodam perenni balneo foventes ſatagimus: iiſdem quoque nitendum eſt, ut tranſacta doloris ſævitie, obſeſſá, fractaque articulorum vaſcula ſalutari perſpitationi reddamus. Ante omnem morbum certiſſimé turbatur perſpiratio, & inſolita in caſu noſtro Pedis *podagrici* gravitas paroxiſmum prænuntiat. Quos *Arthritis* nunc invadet, quos pedis dolor expectát, eſt autem in proprio corpore expertus *Sydenhamus*, (*b*) iis corpus torpet, & gravatur membrum; quæ omnia perſpirationem impeditam eſſe deſignant: Eam ſi reſtitueris ſive in toto corpore, ſive in

(a) *Conf. Sydenham. tract. de Podag. tom.* 1. *l. c. paſſim. Item Cheyne l. c.* (b) *Ibid. p. m.* 303. *ſequent.*

parte dilaniata dolore, ſanitas redux certa comitabitur. Pes ergo *podagricus*, vel quicumque corporis artus *arthriticus* ſanandus proponitur, fac ut perſpiret, & officio functus es. Ipſe duriſsimi mali progreſſus hanc nobis calcandam viam oſtendit. Quid enim in eo, quem tractamus, morbo doloris mitigationem præſagit certiùs, quám lenis, totoque corpore tranſpirans mador? *Decurſo ſcilicet*, inquit *Sydenham*, (*a*) *nictyhemeri ſpatio a primo appulſu paroxiſmi, quo tempore Æger poſt materiæ peccantis modicam digeſtionem, & diſflationem aliqualem ſubitò a dolore reſpirat*. Præterea ex eodem Authore habemus, tacitum partis ægræ & dolore vexatæ udum habitum inter præcipua fugati inſultus (*b*) ſigna eſſe: nihil ergo prohibet, quominus dolentes ita articulos extra paroxiſmum, in quo nec linteorum ſuperincumbentium pondus leviſsimum ferre poſſunt Infirmi, molliori, & paulò calidiori, laneoque panno prudenter contegamus, ut ſi quid reſtitantis a prægreſſa exacerbatione materiæ tendinibus, ligamentiſque impactum inſideat, feliciter digeratur, atque in tranſpirabile reſolutum, per obvios, patenteſque cutaneos tubulos evaneſcat. Nonne igitur id magnum remedium habendum erit, quod pertinaciſsimorum, atque doctiſsimi non rarò Medici operam eludentium horum affectuum incurſum cavebit? Quod cunctis hactenus decantatis adversùs arthritidem *Antidotis* prodigè inventis, & inſolenter venditatis palmam præripiet? Noe illa jactata adverſus hance corporis noxam remedia rarò aliud efficere hucuſque potuerunt, quàm retropellere ex ignobilioribus ad nobiliora loca, vel intus detinere morbi materiem, adeoque morbum, qui numquam, niſi hac ratione, occidit, lætiferum reddere. In ipſa autem *lana* ſimplici puraque maximam latitare vim ad eliciendum, tacitè debacchantem intus *arthritidis* noxium humorem attenta edocet obſervatio, id verum eſſe conſtanter aſſerens, pacata ſudoris emanatione, triſtem hìc tragędiam ſępiſsimè claudi.

XVII. Hinc eſt, quòd non abſimilem *therrapejam* in arthritide (XVI.) commendare ſoleant ſaniores Practici. *Boerhavius* enim

(a) *Ibid.* (b) *Idem ibid.*

enim ſub finem curationis prægreſſo tepore lecti, frictionem ſiccam calidamque laudat. (*a*) Porrò frictionis efficacius cæteris pannis adminiculum *lana* ſubminiſtrat; qua de re vide ſupra *Cap.* XII. *Propoſit. Secunda* §. X. XI. XII. Alii exercitii defectu ægrotantibus frictiones ſuadent, inſtituendas cum panno *laneo* tenuiori per aliquod tempus, donec cutis intensè rubeſcat, & ſanguis ad ſuperficiem corporis advocetur. (*b*) Ipſe dein gravisſimus Auctor *Sydenhamus*, poſtquam *arthriticæ* materiæ disſipationem cum materia *febrium* intermittentium comparavit, & violentam ſudoris in utroque morbo eruptionem tamquam noxiam rejecit, non alienus a propoſita nobis curandi methodo eſſe videtur: quandoquidem optat, ut naturali, & tacito motu, ut in paroxiſmo *Intermittentium*, ſic in *arthritidis* appulſu inſenſibilis illa, & numquam ſatis laudanda infirmæ partis tranſpiratio promoveatur. (*c*) Verùm in ſuperioribus Paragraphis (*Cap. præſent.* §. 11.) virtutem *lanæ* in *Intermittentium* frigore ex analoga *Boerhaviana* praxi (*d*) proficuam vidimus. Tandem paſsim conſtat, *arthritide* tentatis membrorum dolentium ſudationem prodeſſe; Qua de re conſule *Lobb.* (*e*) Sanatio certè hujuſce morbi, ſi intimam naturam infarctus exiguorum tubulorum, atque materiæ advenientis, & ſuppetias ferentis indolem conſideraveris, eſt reſtituta meabilitas vaſorum ligamenta, membranaſque articulorum contexentium, eorumque obſtructorum, atque reſtituta ſimul fluiditas liquidorum ægrè priùs circulantium cum intùs coerciti morboſi fomitis inſenſibili expulſione. Triplex ergo hæc cauſa reſtituet utique perſpirationem, quam *perfricatio*, juvante *lana*, in partibus adornata nullo negotio accerſit. Nonnulli mihi noti ſunt, qui ſubucula *lanea* ſemper induti, quoties leviculam aliquam quaſi *podagræ* velitationem præſentiunt, petiis *laneis* manum ſubito admovent, & defricata ad rubedinem uſque corporis ſui

(a) *Aphor. de conoſcend. &c.* 1493. (b) *Euſtachius Marcot quæſt.* v. *Monſpell. p. m.* 13. (c) *Conf. eumd. ibid. p. m.* 312. (d) *Conf. Aphor.* 625. *&* 758. (e) *Sur la Pierre* §. 1186. *num.* 5.

ſui juncturâ, ad medicatæ hujuſce *lanæ* contactum, velut *faſcino* deliniri dolorem apertè teſtantur. Quòd ſi diutiús articulationum dolentium loca fricare perrexerint, dolores de loco ad locum in articulorum vicinia derivari, demumque ſubacta materiâ, in ſudorem, quo partes diffluant, converti aſſeverant; adeo ut leviores inde, & longiori inter ſe diſtantes *paroxiſmos* ſe experiri, apertè dictitent; Quamvis, ut mihi narrabant, nihil inexpertum ad hocce malum arcanum reliquiſſent, atque nonnulla ſpecioſa, & decantata eorum remedia adhibuiſſent, quæ apud Authores proſtant, inter quos *Allen* (*a*) & Ambroſium *Pareum*, (*b*) ſed quæ ſemper nociva deprehenderant.

XVIII. Si veró ad articulorum dolores curandos ſedandoſque muſco quodam Indico, *Moxam* vocant, uti arridet, non video, cur *lanea* ſtupa accenſa ſuper affectam partem uſtulationem hanc efficere non poſsit. Quamvis autem præfatum remedii genus Indis Orientalibus acceptum cum lanugine *Artemiſiæ* perfici ſoleat, atque paſsim ab *Hypocrate* in *Podagra*, *Coxendice*, *Chiragra* linum crudum præſcribatur: (*c*) *Opinor tamen*, ut verbis *Sydenhami* utar, (*d*) *neminem poſſe exiſtimare, eam eſſe differentiam ſpecificam inter flammam vel a lino, vel ab hoc Muſco Indico excitatam, ut hæc illa in ſanatione Podagræ plus valeat, non magis quàm reputaverit ignem e* Roboris *ſegmentis accenſum majus aliquid præſtare poſſe illo, qui* Fraxini *ligno alitur*. Hactenus Vir præſtantiſsimus; Imò partibus, quibus turget *lana* recens, oleoſis magis accendibilem, & aptiorem huic muneri ſufficere *vide ſupra cap.* XII. *propoſition. prima, & ultima*, materiem puto. Illud autem colligitur ex *Ægyptiorum* more, quorum ut in ceteris, & in his quoque ſupra omnes *Afros* major fuit diligentia, ut qui uſtionem cum goſsipio, vel ex lino crudo frequentiſsimé inſtituant, & ad plures affectus adhibeant. Deduxit hoc doctè, & latiſsimè *Proſper Alpinus*. (*e*) Sed & mo-

(a) *Medicine pratique tom.* IV. *p. m.* 31. (b) *Livre* 18. *chap.* 22. *&* 25. (c) *Conf. Hypocr. de Inuſtion. lib. ult. p. m.* 308. *ſequen.* (d) *Ib. p. m.* 329. (e) *Medic. Ægypt. lib.* III. *cap.* XII.

moxam cum *œſypo* in Græcia olim uſitatam, ex Græcorum monumentis eruitur. Memorat dien *Herodotus* & ipſe Scriptor antiquiſsimus, Libiæ Populis, jam a multis retro ſæculis, credo cum ipſa origine, uſitatiſsimum fuiſſe urendi modum cum *lana* ſuccida, aut *œſypo* ovillo: Ubi *Pecklinus* (*a*) miratur *Mercurialem*, diligentem alioquin antiquitatis Cenſorem, qui pro *œſypo* (*b*) ſubſtituerit neſcio quid fœdi, & ominalis. Simile quid apud Arabes Medicos erat in uſu, unde *Uſtio arabica*, jam uſque a remotiſsima vetuſtate vocabatur, ut meminit *Dioſcorides*, (*c*) in hyſtoria *ſtercoris caprini*, quod in ſequentem modum *Iſchiaticis* doloribus applicant: in ſpatio quippe quòd eſt inter pollicem, & indicem manus, *lanam* admovent, oleo tamen priùs ritè irroratam, cui ſtercus caprinum inflammatum deſuper injiciunt, & ibi ſinunt, donec moleſtior ſenſus per totum brachium diffuſus morbi dolorem quadantenus leniret. Qua de re conſulatur liber *de Veſicatoriis &c.* (*d*) Methodus verò iſthæc, utpote crudelis, in deſuetudinem jam abiiſſe videtur, & ſucceſsit rudis cum *lana* appoſitis impregnata remediis facta ad Partes frictio, in quas humor articularis morboſus recubuit, vel jam jam irrumpere geſtit.

XIX. Maximè autem talis memorata [XVIII.] *Frictio* deliberanda eſt, quoties ex continuo & perenni dolore *iſchiadico* femur exciderit; vel iſtud os e ſua ſede remotum gravis pertinaxque articuli dolor divexat. In hiſce namque caſibus cùm oſſa e ſuis *cotyledonibus* præ nimia humiditate decidant, ipſaque ligamentorum uda textura per doloris ſenſum quotidie magis ac magis diſtendatur, ſepoſito igne, aromatica cum rudiſsima pannicula membrorum perfricatio *lanea* pulchrum uſum dedit, cujus ope ſuperfluum humidum exſiccabatur, & in adcumbentem extimam cutem proliciebatur, cavebaturque novus humorum corruptorum in articulos acceſſus, ob robur iiſdem inductum, ſicque primæ mali

cauſæ

(a) *lib.* II. *Obſerv.* XXIV. *p. m.* 264. *ſequent.* (b) *lib* II. *cap.* II. (c) *lib.* II. *cap.* 73. (d) *Raccolta di varie &c. de' Veſcicatorj &c. p. m.* 129.

cauſæ conſulebatur. Similis exempli redeo nunc in memoriam. Ex fracto forté ſedili ceciderat habitioris & ſpongioſioris temperamenti mulier, atque de *Gluteorum* muſculorum contuſione conqueſta, dolorem idemtidem per intervalla redeuntem negligebat. Adplicabantur *contuſis* fomenta anodina primúm, & laxantia, mox autem ad *Echimoſeos* reſolutionem ſpiritus vini adjungebatur. Fugata tamen contuſione, & niveo ut priús reſtituto externo *femori* colore, perdurabat adhuc dolor, quem obſtinatum, nulliſque cedens auxiliis, malum excepit; ad motum ſcilicet *impotentia*, & vera *claudicatio*. Quamobrem vocatus ipſe ſupinam ægram ſtare in lecto jubeo, & extenſis binis femorum oſsibus, atque ſe mutuò collatis, claudicationis cauſam inquiro: Reperio ergo pedem affecti femoris ſemipalmum ſocio, & naturaliter ſe habentem longiorem: Hunc in acetabulum ſuum detrudere adnitor; obſequitur, & in ſuum locum ſpontè relabitur; amota dein manuum preſsione illico decidebat, inque ſedem morboſam luxabatur. Hæc cùm viderem, atque faſciarum inutilem eſſe uſum, cum adſidente Chirurgo comperiſſemus, in arena captum conſilium eſt. Attenta enim ligamentorum, tendinumque articuli nimia flacciditate, ſolidorumque mollitie, atque decubitus ſeroſi copia, ad *frictionum* topicam opem mentem manumque direximus. Sperabamus inde fore [quod feré ſemper ſuccedit] ut dolor remitteret; evocata ſcilicet fomitis morboſi parte ſubtiliſsima, ac maximé ſpirituoſa in articulum jam depoſita; nec minor affulgebat fiducia continuatis, ut frictionibus, fumantibus aromatibus ſuffita priùs *laná* inſtitutis, illapſus tam in oſsium cavitatem, quàm in circumſitas articulationi partes humor in motum, juvantis pertinacia ſolveretur, abigerentur humiditates, & laxiores artus priori vigori redderentur. Votis ceſsit aſsiduus prædictæ *fricationis* uſus, ut trium menſium ſpatio abſumpta humidi copia corroborata ſolida, luxati oſsis repoſitionem permitterent, & ipſius femoris caput circumdantis faſciæ adminiculo in ſuo cavo quieſceret tandem, omniſque dolor gravativus evaſerit, & mulier perfectè convaluerit.

XX. Sed & nec inſolens eſt a nimia ligamentorum tendinum-

dinum-

dinumque corporis humani inflammatoria ſtrictura ob acerrimos, & cauſticos influentes hærenteſque ſuccos ſimilia in iiſdem articulationibus mala oriri; quæ intolerabili acuto deurente *coxendicis* dolore ſe manifeſtant, conquerentibus interea ægris, ac ſi tenſa loca & ſenſibilia ferventi aqua affatim perfunderentur. Sicubi ergo hæc ipſa articuli inflammatio occurrit in praxi, citam medelam exagitat; neque ullam cunctationem admittit, & ipſe quidem diu multumque dubitavi, an alicui heic *lana* adjumento eſſe poſſet; quo uſque non diſsimilis, atrociſsimi *Iſchiadicis* doloris in Virgine annos 35. nata recens ordinata curatio ſcrupulum omne ademerit, planéque oſtenderit, quantum emolumenti in conclamatis caſibus adeſſet in ea, de qua agimus *lanea geſtatione*. Et ne longiùs in morbi hiſtoria contexenda, ipſe provehar, quæ notatu maximé digna comperi, in ea tractatione paucis perſequar. Doloris ergo hujus mira, & omni opinione major atrocitas, nullis mitigata auxiliis, quæ continuò dabantur, ingerebanturque ejulanti feminæ ad ſyncopem uſque urgebat: Et quod animadvertendum eſt, educto juxta morbi indigentias ſanguine, ſtatim tamquam ex inſidiis ferocius erumpebat malum. Ad hæc vires collapſæ ulteriorem ſanguinis effuſionem apertè dehortabantur. Hiſce ſic ſtantibus, decumbentis ſoror, neſcio cujus conſilio, lanuginoſa ſegmenta, quæ ad manus forté erant, & pannoſas lacinias arripit, in glomum e veſtigio ſubitó aptat, quem arctè conſtrictum, apprehenſumque ſuper extimam lateralem ſupernam femoris faciem celerrimè & validè ducit trahitque, donec pars rubeſceret. Subſequenti nocte quievit Ægra, quæ priús integras ferè noctes vigiles præ dolore tranſegerat. Manè itaque ſucceſſus læta eamdem curationis viam relegit, artumque rudiori *lana* paulò diutiùs fricat. Sub veſperam illius diei dulci ſomno reficiebatur, cùm propter acutiſsimi doloris ad *oſſis Sacri* viciniam, puncturam excitata miſera, ingenti ploratu ædes complet: Et ecce tibi ingens, & perniciosiſsimus *carbunculus* puſtulis rubris obſeptus, & nigra *eſcara* coronatus in loco emicat. Tractatur ex arte, uberrimam ſaniem quotidie emittit; & veterem illum dolorem,

quàm feliciſsimè ſuſtulit. Planè, ut nullũ dubium remaneat, ob *lanearum ſetarum* affrictum, quem adnatæ externæ *femori* partes paſſę erant a penitioribus ligamẽtorum tendineo-nervoſorum loculis peſtiferum, ita dixerim fomitem promptiſſimè excuſſum, retractumque ad exteriora fuiſſe, & ſimul cum manante jugi ichore ex aperto ſponte *anthrace* effluxiſſe; inde ut miram, citiſsimamque per vile adeo atque domeſticum auxilium oſtenderit, præſtari medelam poſſe.

XXI. Inter *lanæ* præſtantiſsimos uſus non temerè accenſendus eſt, quo in *Paralyſeos* curatione fulgere comperta eſt. Cùm autem de hujuſmodi morbo ediſſero, non illum intelligo, qui ob longiorem moram altiores radices egit, quám ut ulla humana ope evelli ſe permittat; qui ſolidorum inſignem læſionem agnoſcit, vel *Epilepſiæ*, aut *Apoplexiæ* ſuccedaneus eſt; qui ab oſsibus luxatis, tumoribus vicinis, vel nervorum compreſsione, vel firma obſtructione in corpore occaluerit: verùm illius generis noxam loquor, ubi in partibus *paralyticis* imminuitur motus, illæſo ſenſu, vel viceverſa, ubi inducta nervis laxitas eſt, vel ita hi emolliuntur nimia ſeri alluentis ubertate, ut ſub mali initia ſolitam tenſionem recuperare, & relaxans fluidi ſtagnantis copia diſcuti poſsint. Ut enim curetur *paralyſis*, fibris nerveis reſtituenda eſt debita elaſticitatis functio, amovendo, & oppugnando cauſas *laxitati* nervorum faventes. Huic ſcopo intenti Veteres, miras *paralyſeos* curationes moliti ſunt; tum *Sinapiſmorum*, *phenigmorum* uſu ægris partibus, & *paralyſi* tentatis ſenſum, & motum iterum largiebantur. Hiſce indicationibus attendentes Recentiores Clinici, eamdem *therrapejam* feliciter adeo ſequuti ſunt, ut non defuerint, qui ſola *Urticatione* morbum illum fugaverint. Simile exemplum proſtat in actis *Accademiæ Pariſienſis.* (*a*) De hac olim loquutus fuerat *Celſus.* [*b*] Illam demum *urticationis* in ſananda *paralyſi* egregiam virtutem binis obſervationibus a ſuo Patre communicatis nuper Orbi Litterario traditis illuſtravit *Joſephus Honoratus Gros.*

(a) *Annèe* 1741. *Obſervation. p. m.* 75. [b] *Lib.* III. *cap.* XXVII.

Gros. [*a*] Utcumque autem ſit, huic *Urticationis* præſtantiæ comparandam eſſe rudiſsimam, & craſsiſsimam nonnullorum pannorum *laneorum* fabricam, & ratione, & experientia exploratum habeo. Nam, ut de ſpinoſis, & veré pungentibus, confertiſsimiſque *lanarum* nonnullarum villis taceam, qui *Urticæ* aculeis conferri meritó poſſunt, aliquid in pannis noſtris offendo, quod in *Urtica* deſideratur. Repetitis enim *Urticæ* flagellis, ſpiculorum acies obtunditur, dehiſcunt, & humectantur fibræ, tota planta tabeſcit, ut renovandis percuſſiunculis inepta prorſus evadat: Præterea, non omni tempore *Urtica* habetur, & interdum circumſtantiarum difficultate aliorſum, longiùſque petenda eſt. Stamina autem *lanea* aculeata, multò magis elaſtica cùm ſint, carnibus alliſa, ad ſe redeunt, nec adeo citò evanida redduntur, & ipſa compactior, compages *lanea* dum parti affricatur, nihil intactum relinquit. Hujuſmodi Topicorum in re medica genera peculiari *aphoriſmo* concluſit inſignis *Boerhavius*: *Frictiones*, inquit, (*b*) *externæ ſiccæ calidæ ad ruborem uſque, vel cum penetranti, & ſtimulante virtute præditis ex animalibus, vegetabilibuſque, aut cum oleis, linimentis, balſamis, unguentis nervinis proſunt. Balnea vaporum immerſiva; emplaſtra acria aromatica, attrahentia dicta, cucurbitæ, ſcarificationes, veſicatoria, fuſtigationes dolorem, & levem inflammationem excitantia, ut* Urticæ *& ſimilia, juvant.* Hęc ſunt præſidia, quorum externa appoſitione *paralyſis*, & ceteri ſtupefacientes morbi propulſari, vel brevi ſedari conſueverunt. Nunc qua ratione, annuente pannorum *lancorum* fricantium auxilio, meliús, tutiúſque arceri poſsint, pauciſſimis attingam.

XXII. Etenim cùm *Paralyſeos* curatio in materiæ impactæ, nervorumque canaliculis profundè hæreſcentis tempeſtiva adtenuatione, & ejuſdem excretione conſiſtat; quæcumque morbificam cauſam ſolvunt ita, ut ſui juris facta, indiſcriminatim, neque ſervata locorum conſuetorum ratione, partes

[a] *Menſe Martio anno* 1747. *in Theſib. Monſpell.* [b] *Ib. Aphor.* 1869.

corporis principes ſuo illapſu adoriatur, curantis finem nequaquam abſolvunt: Talia ſunt *Balnea*, quorum ope humidum etiam ſuppeditatur laxans. Quibus verò remediis copioſior, & violentior emungitur a partibus *paralyticis* ſudor, periculum eſt, ne craſsior humorum fæx intra canaliculos concluſa maneat, quàm ulla ut arte exire impoſterum queat: talia ſunt *Balnea* vaporum, ut ſpiritus vini accenſi fumus, & omnia ſpirituoſa externa ſudorem advocantia. *Epipaſtica* autem, quæcumque illa fuerint, vel valida adhibentur, quę a longiſsimis, extremiſque etiam partibus exuperantes humores invitent, ſinantque veſiculis excitatis humorem continuò effluere; vel infirmæ virtutis ſunt, quæ irritant quidem nervos, eoſque tremere faciunt, ſed abſque ulla ſuccedente ullius *laticis* extrorſum evacuatione. Prioris generis, ut *Veſicantia*, nimis exſiccant, & rigidiores efficiunt nervos, quemadmodum de *Fonticulis* dixerat *Bellinus*: [*a*] poſteriora autem *attrahentia* humores exagitando potiùs, quàm eliminando, fluxionem *paralyticam* ingeminant, ut prætercam miros ſæpè ſpaſmos, & alia peſsima mala ab iiſdem produci in partibus. Hæc ergo certa, & admodum tuta *Paralyſeos* recentis curatio erit, ut pro indole materiæ, & ejuſdem *conſiſtentia* emollitio prę-cedat, hanc ſequatur alternatus *frictionis* motus, illam comitetur nervorum in origine ſtimulus: quæ *methodus* ſi ritè adminiſtretur, numquam te fallet. Neque alia *Empirica* auxilia longè petenda ſunt, quibus ſæpé illudimur: Quippe curatio hujuſce morbi arte, & prudenti methodo, non *empiricis* auxiliis, perfici debet. Obſervandum tamen, circumſpiciendumque in hacce methodo eſt, ut cùm tenacior *paralytica* materies fuerit, quám ut inſtitutis remediis dilui, inque motum agi queat; cúmque nervi debiliores fuerint, quàm ut ad debitum *elaſticitatis* robur redire poſſe videantur, *lanea* ſemper decernatur fricatio, *lana* præ aliis materiebus, utputa *linteis*, eligatur ſemper. Nam licèt Petiorum ex carbaſo, vēl ſimili materia oriundorum auxilio tum cutis, tum huic intertextum fibrarum omne genus incite-

[a] *lib. cap.*

citetur, unde perſpiratio augetur, humorumque corporis recrementa, ſanguinis per minimas cutaneas arteriolas, venuſculaſque circulationi obſtantia, utcumque foras amandentur: At verò hæ dotes magis in pannis, qui *lanei* ſunt, eminent, quorum eximia eſt utilitas in fibris, nerviſque profundè ſitis, acriori ſtimulo ciendis, in humorum animalium circulo accelerando, iiſque ſub halitus forma per ſubcutaneas glandulas copioſiſsimè expellendis. Qui plura hac de re deſiderat, adeat Caput præcedens. (XII.)

XXIII. Hominem quadraginta annos natum, poſtquam aſſiduè in loco humido ſubterraneo egerat, & cervicem, perpetim decidentibus imbribus madidam in ferendis oneribus habuerat, ingens frigus incautum corripuit, quòd ad inſtar ſevæ auræ ab colli vertebris, in ſubjectam brachii dextri molem dimanare ipſi videbatur. Nec mora, quin altero die Infirmo non frigidæ tantùm, ſed cujuslibet alìus ſenſationis perceptio omnis abiret, & prædictum membrum ſenſus omnis motuſque expers in lecto jaceret. Neque acuum puncturis, neque vehementi *urticatione* exſuſcitabatur torpens brachium, quod mortuo ſimile, in omnem partem verſabant adſtantes. Parvæ, & depreſſæ *epiſpaſticorum* veſiculæ ſpem nimis anguſtam ominabantur. Præterea faſciculi cædentium urticarum renovabantur abſque fructu, niſi quod *paralyticus* leviſsimum, & fugaciſsimum titillationis ſenſum percipere fateretur, quo ceſsante, eadem partis impotentia atque inſenſibilitas redibat. Cùm autem tanti eſſe in hac re ſcirem, & maximè intereſſe, mira inter ſe illa nervorum addiſcere commercia; & quibus in locis hæreant tales nervi, quorum incitato tremore convulſivo, impacta reſolvi, immeabilia circulari; & quorum tandem cognita origine, felicior reſolutionis medela haberi queat, hinc juſsi, ut ad nervorum brachialium principia, quæ ad laterales partes ſunt ſpondiliorum colli, *lana* applicaretur. Hanc itaque primò molliorem elegi, & duplicatam circa colli partes ſedulò dabam, irroratam tamen priùs, madidamque aromatica, & ſpirituoſa valde tincturâ; mox jejuno ſtomaco, quotidié cum eadem, vel conſimili, & recèns liquido volatili imbuta *lana* fortes frictiones ad vertebras inſtitue-

tue-

tuebantur, quouſque ſuper ſtrata cutis teneritudinem, & aliqualem rubedinem adipiſceretur. Quibus repetitis, artus qui non nihil contabuerant, atque præ marcore decurtati conſpicebantur, humore copioſo ſic in dies replebantur, ut naturalem habitum brevi recuperaverint. Nihilo tamen minus, *paralyſis* nec hilum cedebat, atque deſperata omnia eſſe videbantur, donec uno mane ægrum inviſens, poſt peractam ultimam fricationem, de priſtino frigoris ſenſu fuiſſe conqueſtum, acceperim. Lętus ergo de hocce *lanæ* ſucceſſu, non interruptum quomodolibet beneficii *topici* uſum inculco; & quó citiús cauſam nervorum brachialium, & arteriarum functionem vitalem impedientem auferrem; dein liberum nervoſi liquidi fluxum in loca affecta proritando reſtituerem; totum hominis corpus, maximè autem ad ſitas, & finitimas colli partes, per horæ circiter dimidium, manè, & veſpere craſſioribus, & rudioribus de *lana* pannis, ut omnia denuo vitam acciperent, fricando exerceri curabam. In ſumma poſt viginti circiter dies, motus, & ſenſus in parte rediit omnino, præter omnium expectationem.

XXIV. *Rachiticis* veſtitum accuratè ſiccum, calefacientem, ex lana præprimis confectum, jam dudum prodeſſe, expreſſerat eximius *Boerhavius*. [*a*] Qua utem ratione prædictum veſtimenti genus noxæ huic conducat, non multis impræſentiarum adlaboramus. Ipſe enim, quem mox laudavimus, Author *Rachitidis* cauſam poſuit *cacochymiam* inertem, muccoſam, frigidam, vappidam, cum laxa partium firmarum fabrica. [*b*] quibus ſingulis malis frictionis ſolum beneficium occurrere conſuevit; interea *exſiccantia*, & *ſtimulantia* remedia a Medicis præſcribi cum ſucceſſu ſolent. Hiſce autem omnibus indicationibus mirum in modum ſatisfacere poteſt *lana*, modò ritè, & cum ſolitis cautelis tranſpiranti corporis peripheriæ advolvatur. Aer etiam ſiccus hic commendatur eadem qua indumenta *lanea* ratione agens; aqueas molleculas enim relaxantes abligurit, & exſiccando partes, tonum infirmis, & laxis elaſticitatem debitam fœneratur. Hoſce enim tan-

[a] *Ibid. Aphor.* 1489. [b] *Ibid.* 1488.

tantum ſcopos curatorios attingere debere medentem, quiſque affirmaverit, ut non negandum a nemine eſſe videatur, *Rachitide* correptis extremam cutem molliorem eſſe, & flaccidam; viſcera abdominalia ſubtumida, & collapſa, totius ferè corporis membra enervata, & torporem univerſalem ineſſe. Præterea oſsium quoad maximam partem incurvitas, [*a*] & quæ circa articulos ſunt, prominentia, aperté indicant, proximam *Rachitidis* cauſam Lympham eſſe nutritiam, viſcidiorem, inæqualiter duram, fibras oſſeas replentem, & irregularem conſequenter accretionis modum determinantem. Quamcumque enim primariam in ſucco oſſeo labem admiſeris; ſive ſubacidum chilum, Lymphaticum laticem ſubinde inſicientem; [*b*] ſive cum aliis, luem veneream in liquidorum ſubſtantia altè reconditam inculpaveris; ſive cum *Gliſſonio*, & *Mayovu* inæqualem ſucci nervoſi diſtributionem in partes ſtatueris: [*c*] Perinde erit; oſsium quippe in eo morbo, & magnitudo, arcuata figura eorumdem depravatam conſtitutionem deſignabit, ſeu ut clariùs eloquar, flexibilitatem, & ceream quaſi mollitiem quàm certiſsimè arguet, quidquid dixerit *Mayovu*; [*d*] quandoquidem clariſsimi *Du Hamel* circa fibrarum oſſearũ augmentũ erudimur experimentis: oſsium duritiem eſſe in ratione inverſa eorumdem accretionis. Si lentiùs in altero Animali oſſa duruerint, quàm in altero, oſſeam molem in priori, quàm in poſteriori magis adauctum iri. [*e*] Ut plané non dubitem aſſerere, varias inde corporis *Rachiticorum* deformationes, artuumque *Ankyloſes* ortum ducere: ad hæc oſſa variè gibba, & anomalé diſsimilia difformiaque reddi, indeque pueros evadere *Scambos*, *Varos*, *Valgos*, *Scauros &c.* Quod nimirum non æqualis ſit eorumdem oſsium denſitas, & in variis locis firmitas; pro ut uberius nutrimentum certis oſsis locis agglutinatur, alterive demitur, quamobrem cùm notum ſit, Lymphæ nutritiæ ad ſingulas corporis

---

[a] *Vide Majovv. de Rachitide p. m.* 384: *ſequent.* [b] *Petit Traittè des Os. tom.* 11. *ſub fin.* [c] *Id. ibid. p. m.* 387. [d] *Ibid. p. m.* 391. *num.* 4. [e] *Vid. Memoir. de l'annèe* 1742. *p. m.* 489.

poris partes appulſum ,ceteris paribus, in eadem ratione augeri, qua minuitur ipſius partis reſiſtentia ad ulteriorem dilatationem, ſeu quod idem eſt, qua creſcit, ſolidorum flexibilitas; patet evidenter, qua parte oſſa in *Rachiticis* grandiora ſunt, eò minùs firmiora eſſe; qua verò duriora cernuntur, eò minus creſcere, & tumere. Itaque contra id quod dixerat *Majovius* oſsium gibberoſam compagem in ſolum muſculorum niſum contractivum refundens, aſſerendum eſt; oſſa *Rachiticorum* ideo in una parte in fornicem abire, quòd in altera, & oppoſita firmiora ſint, atque adventum nutritii ſucci ægriùs admittere incipiant.

XXV. Oſſa autem ſic macerata atque humectata diverſiſque in locis difformi nutritione eminentia [XXIII.] tonicæ lacertorum ambientium contractioni, ſuperincumbentis reliqui corporis gravitationi, & cauſarum externarum energiæ facilé ceſſura ſunt. Unde multiplices deformitates partium, membrorumque decurtationes, quæ tunc ſtatumine carent. Neque id ſolúm: Sed quo loco oſsium ſtrata attolluntur, atque extuberant, eó ſuperſtratos muſculorum faſciculos comprimunt, vaſcula arctant, liquidorum appellentium viam intercipiunt; unde muſculi gracilitas, viriumque imminutio: ubi autem duritiem ſolitam oſsium machina ſervaverit, muſculi ſuperſtantes cùm ſui juris eſſe ſupponantur, trahere ad ſuam originem artum nitentur. Hæc eſt ratio, quare *Tibia* antrorſum arcuetur, & poſteriùs concava fiat in *Rachiticis*; non autem illa, quam ibidem *Majouvius* adducit, (*a*) putans nempe, ut ſi arbori teneræ, & creſcenti chorda ſuperiùs, & inferiùs alligetur, ita tamen, ut eadem a chorda non tendatur; arbor dicta creſcendo in arcum faceſſat: Ita ſimile quid in oſsibus *Rachiticorum* eventurum eſſe credit præprimis in iis, quæ *tibiam* componunt, quæque proinde a brevioribus factis muſculorum fibris, ad inſtar arcus, fornicatum iri exiſtimat. Qua in re, ut obiter dicam, quicumque cum prædicto Auctore ita ſentit, Chordâ, ut ajunt, oberrat ſemper eadem: ſcilicet probabit iſte, & forſan egregiè

(a) *Ibid. p. m.* 293. *ſequent.*

giè quidem, præternaturalem muſculorum contractionem producendæ oſsium tenerorum arcuationi ſymbolam conferre. Probabit verò, minimè abnormem illam, & degenerem muſculorum retractionem conjunctam & adæquatam eſſe *cauſam* flexionis, & incurvationis, quæ in *Rachiticorum* oſsibus conſpicitur: Cùm certum ſit, ut modò dicebamus, (XXIII.) oſſa ſemper curva fieri, qua parte cedunt; cedere verò, quà molleſcunt; molleſcere autem, copioſiúſque nutrimentum accipere, & ſupra nativam libellam priùs elevari, quám ut morboſæ muſcularium fibrarum contractioni patere poſsint. Idipſum innuere videtur in illa demonſtratione *Majovuius*, ſibi non conſtans, forté dictorum oblitus: Cúm enim adoleſcentem teneramque plantam cum oſſe increſcente comparat, ſignum eſt, laudatum Authorem de oſsibus juniorum Animalium loquutum eſſe; porrò in illa ætate oſſa ſequaciora eſſe, quám in Adultorum corpore, & ob id varié arcuari, & tumeſcere poſſe, idem *du Hamel* (*a*) invictè oſtendit. Demoſtravit quoque, ſummam intercedere analogiam inter vegetabilium, oſsiumque humanorum amplitudinem. Itaque ut arborum ſtrata lignoſa Soli expoſita citiùs indureſcunt, (*b*) ſic oſſa quæcumque frigori externo, vel *Soli* irradianti, cauſiſve aliis comprimentibus, & ſuccum detrahentibus obnoxia ſunt; & in quibus proinde præternaturali *lymphæ* inſpiſſationi accedit & altera cauſa, quæ calori nimio, vel frigori debetur: Oſſa inquam illa, conceſsâ ſemel, uberioris nutricatus vi celeriùs majorem in molem extenduntur. An ergo ea eſt mechanica, quare in *Rachiticis* flexiones, & incurvaturæ frequentiores occurrunt in *Spina Dorſi*, oſsibus *Tibiarum* anterioribus; quare etiam *Sternum* in talibus Ægris acuminatum coſtarum extremitates nodoſæ cernantur? Probabile: Cùm eæ partes ut plurimum ſola cute, vel tenuibus nimis muſculis contegantur.

XXVI. Itaque, ne in tradenda *Rachitidis* ethiologia, & in confutandis aliorum placitis ſermonem longiùs, quám par eſt, producam: Vides ſummam partium ſolidarum corporis iner-

Uu tiam

(a) *Ibid.* (b) *Idem ibid.*

tiam in tali morbo peccare; muccoſam, & languidam ubique humorum intemperiem dominari. Ut non immeritò tunicæ ſiccæ & *laneæ* præſertim commendatiſsimus hic habeatur uſus. Cave tamen, ne, dum cauſam *Rachitidis* proximam hocce *lanigero* auxilio debellas; oſsium morboſam excreſcentiam, articulorum pertinacem inflexionem reſtituere, atque reducere ſcrupuloſiùs tentes per *Ocreas fibulatas*, per *Thoraces* rigidè conſutos, & aſſerculis oſsis *Ceti* densè compaginatos, perque arctiſsimas veſtes, & faſciationes. Inde enim futurum eſt, ut infantilis corporis vaſculis venoſis, quæ in corporis extima facie proſtant compreſsis, exundans cruoris, quantitas in arterioſos ductus naturâ fortiores, magiſque reconditos irruat: Inde ergo cùm omnia membra *Rachiticorum* pendula, flaccida, & tantùm non humido tabeſcant, periculum eſt, ne vaſorum in interraneis ruptiones, & humorum extravaſationes contingant: Sic *hemoptee*, vel mictu ſanguinis laborantes ab hac ſola cauſa toties ſanguinem apertis vel ruptis vaſis effundunt, inquit *Gerardus Vvanſuieten*. (*a*) Quamobrem ut ad *Rachiticos* ſermonem dirigamus, curatio illius morbi per rigidas loricas, & ferreas peſtifera eſt, & quidem magis noxia futura eſt, ſi tales Infirmi pectus, & abdomen quotidie multo oleo, pinguique materia perungant: Quare omnis humor exire ſolitus per cutim retinetur, & multa mala oriuntur. Memorabile extat exemplum Adoleſcentuli, (*b*) cui, cùm ſic per plures menſes curatus eſſet, tandem digitorum oſſa intumuerunt; ob funeſtum, ut memoratur ibi, preſsionis abdominis effectum.

XXVII. Sagaciſsimæ ergo Naturæ partium *Rachiticarum* æquilibrii ſtudium omne relinquamus. Illa quidem quemadmodum in diverſa mechanica quadam neceſsitate interdum oberrat, deflectitque: ita, amotis impedimentis, in viam, miraculi ad inſtar, non ſemel redit. Quæ facienda jubet, quæ molienda indicat, attentiùs perſcrutetur illius fidus miniſter Medicus. Gravata ergo cùm ſit multiplici impurorum humo-

(a) *tom.* 1. *in Boerhav.* §. 112. *p. m.* 169. (b) *Apud Zacchariam Platuerum Inſtitut. Chirurg.* §. 1146.

humorum mole Natura, atque nimia humiditate cùm torpens in exercitio ſuarum functionum feriatur, hanc ſublevemus ab illa veluti ſegnitie, frictionum *lanearum* vivificantium operâ excutiamus, atque ſucci nutritii æquabilem & naturalem in partium interſtitia influxum quibus poſsimus viribus proritemus, derivemuſque. Namque *Frictiones*, inquit *Majovv*, (*a*) *in morbo hoc curando haud parvi momenti ſunt, quæ cùm pannis laneis calefactis fiant*; Hactenus ille. Dum autem eò loci cautionem adhibet, ut ubicumque oſſa attolluntur, a frictione abſtineatur; partes autem oſsium concavæ liberiùs fricentur; atque rationem ſuperiùs aſsignatam profert, nempe per hujuſmodi *frictionem* alimento copioſiùs appulſo, muſculos in concavo oſsis latere, ſitos ali, atque excreſcere: Iſtiuſmodi, inquam, methodus prægreſſæ *theoriæ* non quadrat; quippe ſi os, quà cavum eſt, atque a muſculo incurvatum durum ſtatuatur, quomodo remittente tenſione, ad ſolitam longitudinem reducitur; adeout Curati ab hoc affectu, ipſo *Mayovio* teſte, *quàm maximè* in ſtatura aſſurgant? Liquet enim inde, antedictam in oſsis etiam parte cavá mollitiem requiri, ut ceſſante *chordæ* tractatione, in *longiorem ſtaturam* aſſurgat oſſeum volumen. Quod autem *Medicaſtrurum* uſum attinet, quæ quotidie oſsium *rachiticorum* latera concava, quæque convexitate minimé peccant, frictu diſtringere conſueverunt, perinde eſſe puto: Modò ubi tenſio animadvertitur, cum pinguibuss, & oleoſis, ubi verò laxitas morboſa partis fricandæ cernitur, corroborantibus, & aromaticis imbuta *lanâ* commodum feramus. *Frictio* enim, ut ſupra dictum eſt *Cap. anteced. in Propoſit. paſſim*, oppoſitos aliquando habet effectus. Neque demum *Mayovus* ad probandum ſucceſſum *frictionis* in concava oſſium plaga in tali morbo inſtitutæ ullius materiæ liquidæ, vel vehiculi meminit, quo *lanei panni* imprægnari debeant; vel ſi ſiccos eoſdem adhibendos in praxi cenſeas; tunc quidem ab ſolo influxu majori ſuccorum in circumdantes muſculos acquiſitam membri toroſitatem, hærentiam producen-

 tis

(a) *Ibid. p. m.* 413:

tis fluxionem, & ſimilia emolumenta *frictionis* facilè obtinebis. Neque aliunde profectum eſſe puto, quod ſapientiores Medici *Rachiticis* recubitum commendarint in paleis, & durioribus ſtraminibus, adjectis ſimul plantis aromaticis & ſiccantibus; (*a*) niſi quia & flaccidioribus inde machinæ lacertis debita firmitas, & laxæ villorum compagi proportionata elaſticitas, & torpentibus ſuccis ſingularis inſtauratio, & tandem moderatus ſiccitatis gradus exundanti ſero accederet. Neque certè diverſa eſt agendi in *lana* ratio, ut hactenus a nobis paſsim demonſtratum eſt.

XXVIII. Ordine ducimur, ut poſt examinatas *laneæ* conveſtionis utilitates, quibus in ſpecie corporis partibus appreſſa conferre in praxi poſsit, vel hactenus contuliſſe comperta ſit, videamus. Quod breviſsima, qua poterimus, methodo dilucidaturi, initium a capite ſumamus. Cujus quidem dolores ſingulos a *Fluxione* oriri, tralatitiũ apud Veteres erat; Cujus præterea capitis in tranſmittendis ad inferiora corporis loca *fluxionibus* efficaciam *mandantem*, ut ajunt, agnoſcebant fere omnes Antiqui; cujus frigida intemperies cunctis fere in morbis huic eidem parti propriis ut plurimum accuſabatur; cui proinde tota *Galenicorum* Secta jubebat, calefacientes *cucuphas* apponi, ſacculos exſiccantes admoveri. Suffecerit ad inſtar omnium unus *Riverius*, (*b*) & poſt hunc *Fernelius*. (*c*) Verùm enim veró, lucidior morborum ethiologia, & hodierna ſanior praxis meliora nos edocuit. Non omnes ſiquidem catharroſæ capitis affectiones unam agnoſcunt originem, neque una medendi methodus convenire videtur univerſis. Imprimis autem dolore gravari caput ſolet, quem noſtrates *Fluxionem* illicò appellantes, ſtupis excalefactis ſupra calvariam datis abigere tentant: Sed quàm malè, dictum eſt ſupra, ubi de cautelis agebatur [*Cap.* x. §. I. II. III. IV. *ſequen.*] Ita ſanè non in qualibet frigida capitis externi noxa confugere protinus ad *lanam* tutum erit: Sed quandò a ſuſcepto fri-

(a) *Trillerus de Pleurit. in nota ad pagin.* 115. 116. (b) *Prax. Medic. l.* I. *cap.* XI. *de catharro.* (c) *Vide Conſult. edition. Taurin. p. m.* 3. 4. *ſequent.*

frigore, & in fervidos calvariæ meatus improvidè immiſſo ſenſus torporis exoritur, cervix conſtipatur, & gravis velut oneris capiti incumbentis ſenſatio percipitur: Sed quando a frigore ſubitò irruente partes externæ *Pericranii* ita offenduntur, ut capilli ſurſum erigantur, atque ad leviſsimam accedentis manus preſsionem condoleant: Sed quando, ut verbo dicam, pororum extùs patentium, qui in externa encephali ora conferti ſsimi ſunt, immeabilitas præceſserit, eo præſertim tempore facta, quo maxima fieri ſolet trans capitis externi aream *Diaphoreſis*. Inde enim numeroſa *catharrorum* ſpecies exurgit; inde collectus humor, & ab actuali frigore intra ſuos canales aggeſtus, non rarò comprimendo nervos, ſtuporem inducit, præprimis in tunica calvariæ oſſa conveſtiente, quæque *Pericranium* dicitur; inde ſi medelam cunctaris, in gelatinam ſummè tenacem coactus humor abibit, vel mora vitium capiens efferabitur. Quàm ergo in hiſce caſibus citiſsimè poterit, capiti opitulandum eſt. Et quamvis *Errhina*, *Sternutatoria*, atque liberior ab internis cerebri locis, per oſsis *ethmoidis* foramina, in nares tranſitus humoris peccantis, therrapejam hanc *catharri* cerebrini, (a) aliquo modo abſolvere videantur; atque obſervationibus practicis abunde conſtiterit, *Hemicraniam*, & *Chephaleam*, *Errhinis*, vel aquæ limpidæ ex naribus ſtillicidio fuiſſe curatam: (b) Attamen notum eſt, graves inde ortas ſuccuſsiones, & ſpaſmodicas nervorum contractiones, *Errhinorum* ope, majorem liquidi purpurei trajectionem ad *encephalon* concitaſſe; quod difficiliùs per arterias traductum aliquando in cerebri vaſculis ita concluditur, ut exitum facilem non habens, capitis graviores affectiones accerſat. Quando ergo hujuſmodi mala a ſolemni capitis externi evaporatione, vel poroſa integumentorum calvariæ frigoris efficacia, difflatione præpedita, natales traxerint, vel foveantur; tunc non inutile erit, attonſo capiti, & detractis capillis, *laneum* pileum imponere ita, ut identidem ſubjectæ cuti affricetur, neque

tam

(a) *Conf. Vvillis tom.* 1. *cap.* XII. *p. m.* 60. (b) *Conf. Bonet. edition. Manget. tom.* 1. *l.* 1. *ſect.* 1. *Append. p. m.* 16.

tam citò removeatur, quo nempe uberior ſeri, capitis externas membranas alluentis, proventus eliminetur, & quod jam impactū hæret, excuti per inſenſibilē, ſimulque placidā tranſpirationis viam poſsit. Commoda quoque erit dormituris, ad partem *catharroſo* decubitu obſeſsā cum pannis *laneis* inſtituta frictio; vel *cucuphæ* in modū applicatum tegmen, ſub quo per noctem exeuns confertim cutaneus vapor, morbos iſtiuſmodi allevat.

XXIX. Neque opus eſt, ut obſervationes addamus; cùm ea de re (XXVII.) vulgaris Feminarum valetudinarium, imbecilliumque, & aliorum quotidiana experientia abundè teſtetur. Ii enim ubi frigore adoriente, caput grave ad ſenſum percipiunt, in *lanæ*, vel ſimilis lanuginoſæ texturę geſtatione, appreſſuque, eo quo diximus modo, ſolatium quærunt. Et profectò vulgatum hujuſmodi morem non poſſum non laudare, cùm ex eo quòd capiti ſuperſtata cutis tepore *lanæ* foventis, leni calore frequenter fota incaleſcat, deinde aculeis piliſque aſperioris panni, quaſi ſtrigilis, pectiniſque cujuſdam acie, repetitis ictibus diſtringatur: accidit, ut ductuum perſpirabilis humoris oſcula a porrigine, & furfure illa obſtruente mundentur, quó eidem materiæ, quæ retenta, capiti infeſta futura eſſet, liber aditus aperiatur; hinc amiſſa, inſtauratur ſalutaris excretio, atque humorum per externam capitis ſuperficiem circulatio promovetur; ſicque *catharri* præſtantiſsima curatio obtinetur. (*a*) Simile quid eorum capitibus conſulendum eſt, qui nimium ſibi fidentes, annorum tempeſtates nihil faciunt, atque vel veſtes tardiùs aſſumunt, vel citiùs deponunt. Maximè quòd occluſa inſenſibili tranſpiratione, & conſtricto frigoris injuria univerſi corporis habitu, caput omnium partium Animalis primum opprimi, lædique incipiat. Utique ſi tunc temporis grave ſeroſæ materiæ pondus Natura per alvum, vel veſicam non detrudat, *catharrus* in capite ſedem figet, cui prudens *lanæ* calidæ applicatio medetur; hujus enim ope blandus calvariæ calor, & facilior per inſenſiles cutaneos ductus perſpiratio futura eſt; quo auxilio nullum aliud manifeſtius eſſe poteſt

(a) *Gorter. de Inſenſib. perſpirat. cap.* XII. *num.* 47.

poteſt integræ, vegetæque ſanitatis, vel propulſati morbi ex impedita tali egeſtione profecti ſignum. Tanti eſt momenti ad ſanitatem ſola caloris partium cúſtodia, precipuè dum ſudore diffluunt. Igitur quando nec opus eſt neque animus ſingulas de *lanæ* utilitate in morboſis corporis fluxionibus obſervationes ſcrupuloſiùs congerere, unica *Nicolai Cheſneau* Maſsilienſis Doctoris Medici experientia contenti ſimus, qua in ſe ipſo multigenis olim doloribus vexato expertum *lanarum* beneficium ſcité, prolixèque commendat; ut facilé inde cenſuerit, ſe jam a multis annis vita functum fuiſſe, niſi extrema capitis refrigeratio inhiberetur ope calanticæ, & xilini pilei. Cùm enim puer, ut ipſe memorat, ex capite, & reliquis partibus manante ſudore, prono ipſo, innumeris ſe vicibus in aquam imprudenter demitteret; atque depoſito galero, ſolitiſque thoracis globulis, quoties ſudor moleſtus erat, non tantùm infans, & adoleſcens, ſed & vir factus frigus incautè collegiſſet, non advertens, variis *fluxionibus* obnoxium ſe reddi; Imprimis gravi diuturnaque *odontalgia* vexari, mox genæ ſiniſtræ tumore corripi, tandem ingraveſcente malo, acerbiſsimis *iſchiadicis* doloribus, proludente febre, conflictari. Cui cùm *phlebotomia*, & appropriatis auxiliis occurriſſet, ab eadem liber evaſit: Anno dein ætatis ſuæ 45. Tertianam, quæ in Quartanam brevi ceſsit, paſſus, manfeſté ſe agnoviſſe teſtatur, caput ſuum vel minimos frigoris ſentire appulſus: Quod illum primùm ad ſimplicem *Calanticam* ex corio geſtandam coegit; deinde invaleſcente ſemper refrigeratione, ad xilo parte interiore munitum, craſſiuſque capidium confugit. Monet autem, tutamen hujuſmodi malo amovendo parùm contuliſſe, quòd altiori acta radice, & adoriens modò manum, modò coxas, modó pedem *arthritidis* ſub larva vagabatur, & in pleriſque corporis locis multa morboſa phenomena ſiſtebat, interdum ſęvam *Pleuritidem*, aliás *Nephritidem*, modò *Cardialgiam*. Multiplicis adeo, novique morbi atrocia perterritus ſtatuit, impoſterum thoraces ex linea textili non ampliùs geſtare, ſed Hiſpanorum more uti quocumque tempore craſsioribus, & *laneis* veſtimentis, quo peracto, tuſsis cum ſputis *Phtiſicorum* ſimilibus;

libus, qua diu antea detinebatur, in totum deſiit. Imo addit, hoc ſibi ex calanticæ illius capillatæ, (cujus loco textū *laneum* ſubſtitui commodé poteſt) & ſuppoſitorum tegumentorum geſtatione comodum accidiſſe, quod non tanta eidē viſus debilitas remanſit ut antea; ut qui ab octo jam annis ſine ſpecillis, quibus carere priùs non poterat, ſcriberet, legeretque. Hæc ex laudato *Cheſneau* excerpta. (a) Huic Paragrapho inſerenda curavi, ut cuicumque veritatis indagandæ cupido innoteſcat, præcipua admotæ *lanæ* ſub forma quarumcumque veſtium, tegminumque laus, atque præſtantia; ſicubi in partibus carnoſis, tendineiſque humor noxius ita impactus affigitur, ut vel muſculorum motu & contentione, vel naturæ conatu inde expelli geſtiat, ſed qui fractis morbo, aut ſenio naturæ viribus, per halitum digeri non valeat. Nulli equidem remedio, ut olim mihi benignè comunicavit Illuſtriſs. ex Hieroſolymitanis Eques de Modene Frater Ludovicus Franciſcus Raymundus, Commendatarius Venerandæ, ut ajunt, Linguæ Provincialis, ſanationem affectus *rheumatici*, & vagi doloris, quo per multos annos laboraverat, ſimulque contumaciſsimæ febris, quæ per undecim menſes duraverat, fugam, & corporis ſui meliorem ſtatum, omniumque functionum invigorationem quám defenſo, opertoque pectori & abdomini, mediante ſubucula levidenſi ex *lana* contexta, qua a triginta, & quod ampliùs excurrit, annis nullo non tempore utitur, & prædictas partes probè cautèque contegere ſuevit. Sed ad reliqua.

XXX. In graſſantibus *Epidemiis*, quæ ab aeris mutatis qualitatibus, vel ejuſdem deleteria, & altiùs abſcondita indole, quám ut ratiocinio erui valeat, ſoboleſcunt; inter cetera externa præſidia, *operiendum eſſe caput*, ut & cetera corporis loca ex aliorum obſervationibus erudimur. *Lanciſius* loquens de Epidemia Romana ait: *Contrà verò Plebs egena, nec veſtibus ſatis protecta, nec ignibus, aliiſque præſidiis adversùs frigoris inclementiam inſtructa, cum ſub dio laboribus perfungi debuerit, aeriſque rigiditati ſub aperto cœlo patue-*

(a) *Nicolaï &c. obſervat.* XIII. *Lib.* I. *cap.* I. *p. m.* 51. *ſeq.*

patuerit, *gravius*, *& ſævius afflicta eſt*; (intellige tuſsi Rheumatica.) *Hinc Milites* (pergit) *ad* Centum cellas *novis veſtibus induti*, *nulla epidemiæ damna ſenſerunt*; *cum ceteri detritis*, *& obſoletis contecti*, *velut armis contra inpetum frigoris minus aptis*, *decumbant*, *& plurimi intereant*. *Simile autem quid etiam eveniſſe Romæ ſuis temporibus*, *narrat his verbis* Joannes Baptiſta Donus (*a*) *Morbus*, *quem ridiculo nomine* Caſtronem *vocant*, *multos ex debilioribus*, *ejuſque qui non ſatis obtecti incederent afflixit*, *vel interemit*; *ad carceres verò Sanctiſſimæ Inquiſitionis* (*b*) *tepenti loco*, *& ab Aquilonaribus tutò poſito*, epidemia *nondum acceſſit*. Hactenus *Lanciſius*, ex cujus obſervatis, ſi corpus ritè veſtitum *epidemici* morbi impetum eludat, quantó magis ferendis aeris vulgaribus noxis aptum erit, ſi *lana* vel ſimili materia contextis tunicis opertum incedat? Quantò utilior *laneum* velum capiti futurum eſt, quod ceteris corporis partibus celeriús graviùſque affligi compertum eſt? Qua de re conſule ſupra. *Cap.* XII. §. VI. *cum numeris ibid. cit. Idem cap. præſ.* §. II. III. *ſeq.* Certè in quampluribus *epidemicis* conſtitutionibus memini, ruſticos & aratores immunes evaſiſſe, quibus tum cutem totius corporis rudiſsima & coacta nimis præcingere *lana*, tum caput auriculato *laneoque* pileolo munire conſuetum eſſet, neque alia ratione capillamentum mundum capiti calvo, graſſante *apoplexia*, Romæ anno 1706. a *Bernabeo* commendabatur, (*c*) atque varia ſimul perſtringuntur damna, quæ ex coma falsa in Nobiles pariter ac Plebeos redundare ſolent; quamquod capillamentum mundum capitis perſpirationem expeditius cieat. Quam ob rem cùm in ſalubriori evocanda emiſsione cutanea *lanei* veſtitus major, quàm cujuſcumque generis tegumentorum palliorumque potior habenda ſit ratio; *Cap.* XII. *ſupra propoſition. ad* §. XIX. videtur ſemper, in hiſce morbis ad arcis hujuſce animalis tutelã in uſũ inferẽda eſſe. Fortè etiam *la-*

Xx *nea*

(a) *ibid. apud eumd.* (b) *Lanciſius ibid. tom.* I. *ſection.* I. §. XII. *p. m.* 112. 113. (c) *apud Manget Bibliothec. ſcriptor. tom.* I. *p. m.* 290.

nea texta quando non frigoris aeris, caloriſve viciſsitudo, ſed ubi exotica ſylveſtria corpuſcula morborum popularium feracia in aere latitant, ſenſu numquam dignoſcenda, *lanato* capite prodire bonum erit; tum quòd inconſpicuis canaliculis per cranium ad cerebrum uſque tranſeuns aer conceptam labem ſtaminibus nerveis non amplius impertiri valeat; tùm quòd imbibendo viru, irretiendiſque noxiis vaporibus compages *lanea* aptiſsima ſit, quæque proindè ulterioriorem ad *thecæ* cranii vaſcula ſeminii morboſi progreſſum inhibeat; juxta ea quæ nos ſupra paſsim protulimus. *Supra cap.* XI. §. VII. VIII. IX. *ſequent. item cap.* XIII. §. XIII. *cum num. ibid. citat.* In febribus peſtilentialibus, imó in ipſa Peſte, poſt venæ ſectionem, (quam in lecto inſtitui curabat) cùm jam omnia ad ſudores proliciendos in promptu eſſent, ne vel minima interpoſita mora ſtragulis ægrum obrui, ac laciniam *laneam* ſincipiti alligari jubebat *Sydenhamus*, quæ quidem capitis obtectio, ut eo loci fatetur inſignis ille Vir, ad ſudorem promovendum plus proficit, quàm quis facile crediderit. (*a*) Inde intelligitur, quare veteres Medici, quoties inſolationẽ in curandis morbis profuturã cenſerent, protegi pannis ægrotantiũ capita voluerint; non quia, ut credidit *Mercurialis*, (*b*) capita detecta, ſi ſub ſole morã nectãt, attractis a toto corporis ambitu vaporibus, catharros ſibi adſciſcant; ſed quia ſic induta corpora radios ſolares rectà impetere, partẽque, qua pollent, acie ferire non ſinunt, eoque mala omnia præcaveant, quæ ab ęſtuante cœlo profluunt, puta ſiccitatẽ nimiã humorum, immodicam tubulorũ dilatationem, & laxitatem, & ex gemina hac de cauſa humorum in varias corporis membranas decubitum ſtaſim, & difficilem exhalationem.

XXXI. Accidit interdum ut ſive vitio muſculi elevatoris, ſivé labe hærentium humorum, *Palpebræ* uſque adeo inſigniter vel intumeſcant, vel laxæ fiant, ut ſponte ſua ſuper oculi bulbum deformiter procidant. Aliquando nec viſu tumidiores, nec tactu flaccidiores deprænhenduntur *palpebræ*. Sed ad motum ita torpent, ut ęgerrimè attollantur non aliter, quàm

---

(a) *Idem ſect.* II. *cap.* II. *p. m.* 72. (b) *lib.* VI. *de arte &c. cap.* I. *p. m.* 105.

ſi poſt nimis protractum ſomnum oculos aperire velis; neſcio enim quam difficultatem in elevanda palpebrarum cute percipias. Quòd ſanè vitii genus Illis peculiare eſſe, praxi didicimus, qui poſt perpeſſam gravem oculi inflammationem, vel alium ocularem morbum, ubi ad avertendam lucem lumina clauduntur, quám diutiſsimè palpebras ſupra oculi bulbum quieſcentes detinuerint; namque ubi ad ſolitum, poſt longam feriationem, elevationis exercitium palpebras ſuas niti volunt, hæ inertes reſiſtunt, quaſi eadem vela ſolitum ſeſe contrahendi munus dediciſſe putares. Demum palpebras non raró videre eſt ædematoſas, & digito præmenti cedentes. Verúm ea omnia quoties uſu veniunt, tum interna, cùm externa medicamenta adhibēda eſſe, non inficior equidē; licèt inter decantata topica jucundiſsimæ eſſe virtutis lanuginem, vel inde petita quæcumque petia, vel opercula expertus teſtari poſsim; vidi enim, ubi in hiſce noxarum oculariarum generibus nec ſpirituoſa, nec confortantia, neque *Digerentia* admota ulla ratione profecerint; xilum parti tumidæ, & quaſi præſeroſa collectione rimas agenti ſuperimpoſitum, ibique diu relictum, vel crudam impexamque lanuginem, nervorum palpebris inſerventium origini appoſitam, medicaminibus tamen priùs fumigatam, perque vices fricatam, non modicè juvaſſe; Dum inde concitato celeriori Lymphæ nervalis greſſu, in ſegneſcentes, vel tardos palpebrarum villos, tùm muſculi, tùm circumſita undique cutis ad officium redire, effuſum inter membranarum loculos ſerum per cęcos ductus, inſtaurata partis ſudatione, feliciter evaporaretur: ſed quod hactenus a me propoſita magis confirmat, illud eſt, quod famigeratiſsimus *Valſalva* in ſuis diſſertationibus; *(a)* ibi enim deſcripſit delineavitque concursū, & quaſi detexit in unum corpus unionē omnium muſculorū *Rectorum* oculi, & muſculi palpebram *attollentis*, eo præſertim loco, quo nervus opticus orbitam ingreditur. Quām quidem nervi non ſolùm *optici*, ſed etiam *motoris* circumligationem muſcularem, *annulos moderatores* paſsim vocitat, eoſque varié

 con-

(a) *ad Tractat. de aure humana annexis de texit.*

conſtringi cenſet pro diverſa fibrarum muſculoſarum contractione; (*a*) inde convulſo, aut alio modo læſo alterutro prędictorum annulorum, diverſimodè turbandam fore viſionem, conſequens eſt; itaque certas vertiginum ſpecies oriri, & ſpectra oculis, ceterùm ſanis apparentibus, obverſari: ſed quod ad rem noſtram propiùs facit, poſſunt carnoſa illa fila annulos hoſce ſubeuntia, & contexentia flacceſcere ita, nervi ut optici expanſionem, quæ *retina* eſt, impreſsioni luminis ineptam, utpote emollitam, maximè reddant. (*b*) Quum autem ſuper orbitam utrobique nervus repit, cujus propagines nerveæ *annulis moderatoribus* implantantur, & cujus agitatio, atque frictio viſum cæco cuidam reſtituerit: (*c*) quid impedit, quominus ex diverſa tomentoſæ cujuſdam ſubſtantiæ applicatione ſimiles utilitates in quamplurimis viſus obtenebrationibus, ab ipſorum nervorum impedita functione, pendentibus, ex analogia expectemus; ſicubi nerveis ſurculis ſolitum tonum, & elaſticitatis exercitium impertire animus eſt. Præclara ſanè iſtiuſmodi localis virtus certiùs elucebit, ſi quá nervi ſupra orbitam currunt per datam deſuper lanuginem, & vehiculo *ophtalmico* medicatam redditam prædicta loca idemtidem affricari curemus. *Vide Propoſitionem noſtram ſecundam* §. x.

XXXII. Quamvis in ſuperiori Capite (*ſup. Cap.* x. §. IX.) pręproperam *lanæ*, vel lanuginoſæ materiæ applicationem in pleriſque auditus vitiis improbavimus; eſt tamen ubi ad abſorbendam Aurium immodicam aquæ illuviem utiliter adhibetur, vel loco ejus bombycinum tomentum non infructuosè intra eumdem canalem inſeritur. Dum enim meatus Auditorius externus impuro latice diffluit, ut in pueris laxis, frigidiſque contingit; vel materiæ purulentæ, pulmonalis præcipuè decubitu (*d*) vexata Auris pus copioſiùs evomit; vel ſauciata interior canalis cavea ſanguinem continuis rivulis ſtillat, vel fluentem ab abditiſsimis cerebri receſsibus morboſam materiem per fauſtam *mataſtaſim* excipit: Sicubi, inquam,

(a) *Idem ibid. diſſert.* I. §. XXIV. XXVIII. (b) *Idem diſſ.* II. §. VII. VIII. (c) *Id. ibid.* §. XI. (d) *Vid. Boer. aphor.* 840.

quam, hæc contingunt, Auris affectæ canalem goſsipio, vel pari lanugine præmunire minimè vanum erit; modó turunda ex *lana*, vel alia conſimili materia contexta identidem, ſæpiúſque in die renovetur. Sic enim futurum eſt, ut qua ratione accedens extraneus humor in canalem auditorium depluit, eadem ab immixto cylindro villoſo exſugatur, neque moram agere ibi permittatur, qua forſan vitium capiens tenella ſtamina *meatus* lædere poſſet. Ad hæc perenni mitique calore, quem indita ſimilis materia internæ auri communicat, vaſcula laxa ſervantur, & quoquovorſum meabilia liquida in tranſitu moroſa, blanda reſolutione fugantur, & ſi quis humor a cerebro derivãdus, atque per ſigna amandari inceperit, feliciter quidem prolici pergat. Cavendum quàm maximè eſt, ne ſi pueris, & ſenibus, quibus aures ex *Hypocrate* (*a*) madere ſolent, in Turundas confictam *lanuginem* ſuadeas, externi ambientis frigus quoquomodo irrepat, quod fortunatam abſorptionis *laneæ* operationem interpellet. Nec mirum; cùm non ſemel inde viderim, contractis tubulis, & coacto intus liquido, expurgationem *auris* ceſſaſſe, & alia corporis loca vicina, utputa cerebrum, oculos impetiiſſe, non abſque certè periculo. Illud autem familiare eſt *Pueris*, qui omnis extranei corporis in aures immiſsi impatientes, quodcumque xilinum *laneumve* obturamentum ægrè ferunt, illudque ſemper, non abſque fluxionis morboſæ incommodo, removent. Quoſdam novi valetudinarios, & auditus gravitati obnoxios, qui huic turundæ aſſueti, ſtatim ac aures ſuas denudarent, illicó in auditus gravitatem, *murmura*, & alia id genus vitia incidebant.

XXXIII. Infantibus præſertim, qui creſcunt, accidunt non raró circa collum tumores nonnulli, qui ſpontè quaſi ſua, hoc eſt in ſecunda valetudine abſque omni morbo contagioſo, perinde ut *furunculus*, & *phlegmone*, plerumque tamen ſine diſcrimine oriuntur. Eſt ubi impetu morbi, *Naturæ* bonitate, in colli glandulas converso tument illæ; quod poſt febres mitiores, & benigniores accidere plerumque ſolet. Non

(a) *Aphor.* 24. & 31. *ſect.* III.

Nonnumquam hæc mala frigus incautè ſuſceptum, & finibus excretoriorum meatuum applicatum concitat; Dum inde arteriarum exhalantium in corporis ſuperficie oſcula contracta perſpirationem inſenſibilem imminuunt. Verùm omnes partes cervici adſtantes perpetuo rore ex ultimis illis emiſſariorum orificiis halante madent, atque foventur, quin longè plùs perſpirare videntur, quàm reliquum corpus. Dum ergo extima iſthæc loca frigidum aera temerè allambit, illicó conſtringit, exhalationem cohibet, circa fines vaſculorum perſpirabilium reſiſtentiam auget, manet interea liquidi illac tranſitus, unde tumebunt partes iſtæ, & dilatabuntur. Evidenter hoc apparet in eo morbo, qui *catharrus* dicitur, quique pro diverſitate partium, quas occupat, varia nomina adeptus, numquam frequentiùs affligit, quám ubi calidam aeris temperiem inſtantaneum frigus excipit. Cùm itaque frigidi vis liberum exitum lymphatici, & *Sanctoriani* roris impediendo, tumorum iſtius generis cauſa communis eſſe conſueverit; non difficile erit determinare, qua methodo tumores iſti frigidi, pituitoſi, viſcidi, *œdematoſi*, & circa collum oborti tractari, ſanarique debeant. Quám maximé inde laborandum eſt, ut ſtagnans in canalibus humor benigna reſolutione evaneſcat, atque per inſenſibilem tranſpirationis viam omnium tutiſsima *therrapejá* fugetur. Huic autem ſcopo favent naturalis in villis contractilitas reſtituta, liber, & ſatis copioſus ad partes obſtructas ſpirituum influxus, liquorum transfluentium requiſita quantitas, & ad fluendum aptitudo, & denique vaſa aperta, quæ bona a ſolis partium infirmarum frictionibus cum pannis *laneis*, ut & ratio dictat, ita ex experientia teſtatur, expectanda eſſe. Omni quidem per frictionem adhibitam momento liquida canaliculis impacta ad terga vaſculorum affricantur, imprimis in anguſtiſſimis tubulorum conis, ubi pauca fluidi elementa tranſire poſſunt. Hic autem attritus fluidi reciproco *frictionis externæ* motu creatus impedit, quominùs concretio inter moleculas componentes naſcatur, & ſimul ſummum auxilium eſt, quod concretionem natam tollat. Inde nempe fit, ut alternante illa, quæ in frictione accidit, vaſorum conſtrictione,

ctione, & relaxatione, eat, redeatque per eaſdem anguſtias canaliculorum hærens antea & lenteſcens humor; inde velociori facta circulatione per vaſculorum tractum, lentum illud viſcoſum ulteriùs pelletur; inde fluidi obſtruentes globuli, qui priùs tenaci viſcedine inter ſe cohęrentes non patiebantur ſe ullatenus dividi, adtenuabuntur adeo, ut per inviſibiles & ſtrictiſsimos canaliculorum meandros currere poſsint; inde tandem futurum eſt, ut ſeparata a concreta maſſa fluidior pars nunc in tenuatas ſolutaſque molleculas ſeſe iterum recipiat, iiſdemque ſeſe immiſceat ad fluorem hærentis: Ex alia parte *frictiones* ad partem ubi fiunt, majorem liquidi copiam avocare nullus dubito. Ex hiſce ergo cauſis conjunctis reſolvetur brevi obſtructio, tum ratione ſeceſsionis mollecularum, & acquiſitæ fluiditatis, túm præprimis ratione ingeminati impetus a tergo cruoris, qui in reſidentes particulas vividiùs impetit, rapitque una, qua poſsit.

XXXIV. Audiamus interea experientiam. Quantum enim valeant *Frictiones* in reſerandis obſtructionibus, docent obſervationes Medicæ. *Parotidem* glandulam induratam, plurimis, illiſque efficaciſsimis remediis fruſtra tentatam, reſolutam vidi, inquit *Gerardus Vanſvieten*, (a) dum bis de die vapori aquæ tepidæ cum aceto expoſita priùs parte *pannis laneis* perfricaretur per horam. Idem in *Strumoſis* colli glandulis obſervatum eſt ſæpiùs. Dum morbi fomes reconditus alté oſsium cavis adhæret, & tenaciſsima concrementa, & *medullæ* læſiones parit, pulcherrimi uſus eſt pannis ex *lanea*, inculta, decocto *Guajaci* calido ſaturatis, partem affectam fovere, ſimulque ſic determinare vaporem accenſi ſpiritus vini, ut hanc partem primò alluat. (b) Imò auſim dicere, *frictionis laneæ* efficaciam nullam futuram, niſi peracta frictione exutę, & nudæ parti obvolvatur *eadē*, ibique ſic admota diutiús adſtet. Obſervavi enim, hiſce in caſibus, poſt finitam fricationem, æque tumida ac priùs manſiſse loca glanduloſa, quamvis linteis medicatis undique refocillata cin-

(a) *in Boerhav. tom.* 1. §. 133. (b) *idem ibid. in* §. 229. *p. m.* 923.

cingerentur. Ubi autem, excepto a tumentibus partibus rorido, & benefico vapore, inſtituebantur frictiones cum panniculis *laneis*, ita ut *lana* cooperiens a contactu partium morboſarum nequaquam removeretur, tumorum molem ſenſibiliter ſubſediſſe comperiebam. Nec mirum: Quippe ea ratione non modò ullum periculum erit, ut frigidus aer corporis loca calida perluat; verùm etiam, quod omnium efficaciſsimum eſt, ſudationes leves perenni *lanæ incumbentis* fotu eliciantur, ſimulque reſoluta materies morboſa difflari queat. Quin tutior ſucceſſura eſt inde tumorum curatio, quàm ſi eamdem ſpiritus vini accenſione aggrediaris; qua aliquando tanta copia ſudor exprimitur, ut quandoque robuſtiſsimi etiam homines in animi deliquium incidant, ſi diutiùs vapori illi exponantur. Docent obſervata Medica. (*a*) Tandem licèt per frictionis motum ſanguinis humorumque circulatio in diſtrictis corporis membris augeatur, atque liquidi vitalis impetu, & copia in illis partibus adauctis diſsipetur obſtructionis impedimentum: nihilominus tamen cum frictiones venas deplendo, & arterias in venas vacuando efficiant, ut eodem dato tempore major laticum copia majori celeritatis momento per partes fluat; accidit in eodem intervallo violenta liquidi hærentis impulſio cum præter naturali vaſorum majorum dilatatione, & minorum compreſſione. Ut ſileam pergente frictionis motu per ſtimulum ſtaminis *lanei* partibus inductum, vaſa intertexta in celeriores contractiones cieri, & tunc materiam infarcientem magis compingi, & tantùm non cum canaliculorum parietibus imperviis occaleſcere. E contra, dum *laneam* telam ad partes ægras diutiùs accumbere ſinas, coercitus *Sanctorianus* halitus per bibula denuò cutanea vaſcula jam emollita depluit, & inter attritas fluidi morboſi particulas mixtus, cum illis movebitur atque miſcebitur; unde ſubſequente fricationis impetu, vim liquidi in obſtructa irruentis accellerante, maſſula concreta unà cum reſorpto humido faciliori appulſu repulsuque vaſculorum anguſtiſsimas radices tranatura eſt, atque ſubſidentia Partium ſuccedet feliciſsima. XXXIV.

(a) *Vanſuieten ibid.*

XXXV. Satis autem patere arbitror, longè præſtantiorem eſſe *lanarum* in hiſce noxis utilitatem quamplurimis in Arte remediis, quæ licèt penetrantiſsima ſint, intùs tamen aſſumpta, difficulter ad partes, ubi malum hæret, derivari poſſunt: dum *ſtrumoſis* colli glandulis laboranti ſolventiſsima per os ingeruntur remedia, niſi partibus affectis fomenta admoveantur, vix multum proſunt. Poſſunt equidem in ſimilibus caſibus, *Repellentia* præſcribi, quæ copiam morboſi laticis per oppoſita loca extrudendo detrahant; verùm, quæcumque fuerint illa, lympham, vel alium peccantem humorem univerſo de corpore ſubducunt quidem, ſed non directé loca affecta levant. Quoties enim non, tentata morbi revulſione, funeſtiſsimos inde effectus ſubſequutos doluerunt Practici! Aquoſus frigiduſque *Anginæ* tumor, *hydragogis*, *diureticiſque* tractatus infauſtam ad pulmonum vaſcula *metaſtaſim* toties exhibuit. Senum corpora *cachetica* obruens ſeroſa colluvies, Purgantibus laceſsita, toties lethali ſuo decubitu pulmones oppreſsit. Nimirum requiritur hìc, ut ſubita collectio lymphæ in vaſculis partium ſtagnantis evacuetur ex ipſa partium ſubſtantia; vel ubi aquoſi, & incocti ſucci moles redundat, in corpore ſiccis *Sudorificis* utamur, quę nempe calore majori excitato, & aucta humorum velocitate operentur. Inter hæc autem externa topica præſtat ad inſtar omnium pannos *laneos* aſſumere, quibus calidé corpori applicatis, vix jucundius, & magis ſalutiferum *Sudorificum* noſcitur; dum & gratè innatum calorem intendunt, & ſimul corporis corticem mirabiliter laxant, eumque maximè perſpirabilem reddunt. De qua re conſulãtur illa, quæ in noſtris Propoſitionibus notavimus. *Cap.* XIII. *Propoſit. Prima*, *Secunda.* Demùm in hiſce Obſtructionum caſibus concreti ſtipatique humoris dilutionem, reſolutionemque aggredi per *Derivantia*, & *Attrahentia* interna, quæ motum humorum ubique in corpore majorem cient, quid aliud eſſet, quàm urgere loca infarcta majori circulantis liquidi acie, antequàm emiſſaria cutanea recluſa ſint, proindeque validam inflammationem excitare? Quantò melius futurum eſt, ſi aperiantur coarctati excretoriorum fines, humores diluantur, & at-

tenuentur, vaſaque ſic diſponantur, ut facillimè concretos ſuccos tranſmittere poſsint, dum ſimul lenis frictionis uſu ad blandam *diaphoreſim* præparantur loca. Et profectò *lanæ* accubitu laxatis, & fotis blando calore vaſis, quæ in cute ſunt, difflatur cum ſudoribus noxium, quod in illis locis hæret, & memorati reſolutionis effectus efficaciùs obtinentur.

XXXVI. Aggredimur jam eos *Pectoris* morbos, quibus ſuaderi *lanuginoſa Topica* cum fructu poſsint. Atque quidem primum locum obtinent dolores laterum externi *Verſatiles*, qui cùm ab acri retento, & partes membranoſas vellicante ortum ducant, flatuum inſtar, per muſculoſa & extima Thoracis ſpatia vagantur, quique evaneſcunt tandem, evacuato, & exhalato præprimis, tacita *Sanctoriana viâ*, morboſo illo fomite. Similes ſunt hiſce, dolores, queis a parte vexata *Pleuritidis ſpuriæ* nomen inditum eſt. Niſi quòd poſteriores non adeo tenuem, ſed aliquantò craſsiorem humorem, & in ultimis vaſculis irretitum, pro cauſa agnoſcant. Quod ſané ſæpiſsimé in praxi comprobatum videmus: Dum morbus ille adultos corripere ſolet, exercitiis hyemali tempore, vel laboribus aere frigidiore peractis exhauſtos, aut fallaci potus gelidi, æſtuante corpore, lenitate incautè deluſos; vel aere frigidiori nudatum pectus utcumque exponentes; Enim verò ſufflaminata tunc perſpiratione ob admiſſum frigus ita humorum maſſa, & craſsities præter modum increſcunt, ut adaucta fluentis liquidi reſiſtentiâ, canales arterioſi, præſertim capillares, amplientur, & dilatentur. Prout autem debiliora magis fuerint nonulla vaſcula præ aliis, accidit, ut ab eadẽ inflammationis cauſa modó internæ membranæ pectus ſuccingentis canales, modò externæ *thoracis* clauſtra obvolventis tubuli laborent. Quamvis, ut fatear, aptiſsima illa inflammatoriæ hujuſce obſtructionis occaſio omnium maximè in interioribus *thoracis* locis accidat; quia reliqua corporis loca veſtibus contra frigus munire poſſumus; aeris verò intra præcordia acceſſum impedire non poſſumus. Quidquid tamen ſit hac de re, illud certum erit, dolores *laterum* externos ſuppreſſæ vaporoſæ tranſpirationi ut plurimum deberi. Ipſa enim tumoris abſentia in locis *thoracicis* externis, & dolore

affe-

affectis, quàm evidentiſsimè oſtendit, minima vaſcula corripi, quæ cum ſuo tranante liquido inflammantur equidem, & tument, & acerbiſsimos interim dolores inferunt, adſenſus autem non augent partis affectæ molem. *Podagricus* pes non tumeſcit, nec dolentiſsimo *rheumatiſmo* detentæ partes corporis humani ſupra libellam naturalem ullatenus aſſurgunt. Quoties ergo in ea, de qua loquimur, affectione intenditur dolor a manus compreſsione, febris interea remiſsio obſervatur, pulſus mollior deprehenditur, & tuſsis vel parùm, vel nullatenus ægrum torquet; præterea præceſſerit aura frigidior calenti corpori imprudenter immiſſa; toties de integranda partium tranſpirabilium inſenſibili difflatione ſerió cogitandum Medenti eſt. Sic enim futura eſt certa, tuta, & efficax *Pleuritidis* ſanatio. Huc fomenta, huc vapores, huc cataplaſmata, huc attrahentia, & emollientia faciunt Topica. Quæ niſi apto medio, quale *Lanigera* cuncta egregiè ſuppeditant, excipiantur, fruſtra eris in inſtauranda dolentis *thoracis* perſpiratione. Fovent enim *lanea* omnia diu accumbentia naturalem partium calorem; unde patentioribus redditis excretoriis, molleculæ antea cohęrentes, nunc autem ſolutæ, & divulſæ, ſingulæ in ſua vaſa recipiuntur, & iter pergentes per cutem, ſi quid morboſi habent, compendiaria via amandant. Sed & plus boni iſtius generis *therrapeja* pollicetur, dum emollientis alicujus remedii virtute pollens *lana* affectis locis admovetur. Quamobrem *Gerardus Vvanſuvieten* ad hanc *Pleuritidis* ſpeciem frequenter ſe uſum fuiſſe teſtatur (*a*) ſolutione ſaponis Veneti in aquæ, & lactis dulcis partibus æqualibus; huic ſolutioni *pannos laneos* immergebat, illoſque dolenti lateri applicabat impoſitis lateribus calidis, cavens, ne refrigeſcerent talia fomenta.

2. Porrò eidem *Therrapeæ* (xxxv. *num.* 1.) inſiſtendum eſſe, nullum dubium eſt, dum acrior dolor profundiſsimos *Pleuræ* canales divexat, & omnibus veræ *Pleuritidis* notis ſtipatus incedit. Quid enim decantata & efficacíſsima hìc miſſio ſanguinis, eaque pro re nata repetita promittit? niſi quod

Yy retu-

(a) *Tom.* III. *in* §. 890. *p. m.* 43.

retuſa liquidorum ad obſtructa loca appellentium acie, remiſſiori facta canaliculorum infarctorum diductione, liberiùs quà eundum eſt, liquor adeat, & ulteriùs progrediens reſolutionem inflammationis natam jam ſignificet. At verò, ſi quo tempore in *Pleuræ* ramuſculis immeabilis hæret liquor, eodem data operâ ad partes externas derivetur quàm laudabilis, quám efficax morbi futura eſt ab internis ad externas & muſculoſas pectoris membranas translatio. Et ſanè hance medendi regulam indicat Anatome, qua communicationes arteriarum internarum *thoracis* cum externis compertæ hodie ſunt, ut non mirum nonnullas *Pleuritides* ab externis in internos; nonnullas verò contra, ab internis ad externos *intercoſtales* muſculos transferri videamus: (*a*) Innuit prætetrea quorumdam felix praxis, inciſis priùs extimis pectoris partibus cucurbitas ſiccas admovendi, quibus humorum copia & impetus in illa clauſtri ſpatia, quæ immediatè ſubjacent, deducuntur, ſicque a vicinis & internis partibus revelluntur: quibus cucurbitis ſimul etiam nervi per illa loca diſperſi irritantur, & dolent ſæpé ut ſpaſmodicas, & immanes internas contractiones omninò interdum tollant. Tandem præindicatam medendi rationem præſtantiſsimus *Emollientium* externorum uſus confirmat; quæ ſæpè ſæpiùs tumorem in extrema, & remota *thoracis* ſuperficie cutanea advocando, humores ab internis vaſculis, quæ impetituri eſſent, quám feliciſſimè retrahunt. Notum enim eſt, mitiorem ſemper obſervari indolem dolorum internas partes obſidentium, quando partes vicinæ externæ mole augeſcunt, humorum proinde decubitum ſalutarem teſtantes. Si paucißimis noſtris Obſervatiunculis aliquam deberi fidem æquum eſt, candidè affirmare poſſum, *Pleuritidis* longè pulchriorem curationem vidiſſe, dum calidis fomentis emollientibus nocte & die tegeretur affectum latus, atque molliſsimis *lanis* ſedulò recrearetur. Ea enim ratione emollitis vaſculorum parietibus, diſtendens illud immeabile liquidum faciliùs tranſit, ſimulque partibus externis largiùs perſpirantibus, ab internis feliciter avertitur

(a) *Lanciſius de Vena azyga l. c.*

tur id, quod fortè irreſolubile magis cogeretur in vaſis, & *Skirrum* produceret, vel funeſtam ſuppurationem alioquin produceret. Eam ob rem non infimus ex Vetuſtioribus Clinicis *Theodorus Priſcianus* Auctor eſt, loco dolenti apponantur, præter alia remedia, ſuccidæ, aut ſulphureæ calefactæ *lanæ*: Verùm Lectorem monet *Trillerus*, (*a*) *ne latus omnes dolentes cum Pleuriticis promiſcuè confundat*; cùm omnes *Pleuritici* ſint *latus* quidem dolentes, ſed non e converſo; proindeque ſi ex *Celii* (*b*) conſilio: jacere *Pleuriticos* conveniat mollibus ſtramentis, mitigeturque ex *Aureliani* ſententia (*c*) *quodam blandimento ſtraminum*, *pars in dolore conſtituta*; non abſurdum videtur aſſerere, lateri afflicto, ex alia cauſa, quam quæ veram *Pleuritidem* ſiſtit, conducibiliora eſſe quæcumque calefactoria, aſperiora, compactiora, operimenta ſive ex *laneis*, ſive plumis, ſive goſſipio contexta, & loco vexato cautè admota.

3. Diximus ſupra *Cap.* III. §. VIII. ex *Cheyneo*; *Diapnoen* ſalutarem eſſe iis, qui vino, & ſimilibus ſpirituoſis liquoribus nimis indulgent. Aliquorum ſtrenuiſſimorum Potatorum notitiam habemus, qui detracto thorace *laneo*, cui aſſueti jam a longo tempore erant, illicò in tuſſim inciderent. Corporis munitio juvat in tuſſi præcavēda, quæ ab externo frigidiori aere pendet, ex *Gorteri* ſententia: (*d*) Nã veſtimenta, arcendo frigus, detrahunt illam frequentiſſimam cauſam prohibitæ perſpirationis, ita ut permittatur tunc liberè corpus tranſpirare, & ita hac evacuatione ſeſe depurare ab humore acri, qui ad tracheam vectus *tuſſim* excitaſſet. Ergo ſi in tuſſientibus corpus non eſt denudandum, quanto potiori jure *laneæ* vel ſimiles villoſæ loricæ commendari debeant iis, quibus acrioris humoris præprimis ob vitæ inſtitutum largior, quàm in ceteris hominibus tranſpiratio fieri, exoptarique debeat. Non ſolùm enim contegens *laneus pannus* immediatè ſubjecta corpora, frigoris inclementiam ſummoperè arcet, ſed & ſimul prohibet, ne exotici humoris, & mor-

---

(a) *Ibid. p. m.* 143. *not.* A. (b) *Cap.* XVIII. (c) *de Morb. chron. cap.* I. *p. m.* 270. (d) *Id. Medicin. dogmat.* §. LXV.

morboſæ materiei ulla ad tracheam, ejuſque glandulas *metaſtaſis* accedat. Itaque ſi quid ſimile *Bibaculis* acciderit, *lanæ* uſus curationem dabit. Poſtquam enim illi homines diutina meri potatione univerſalem villorum relaxationem contraxerunt, vix fieri poteſt, quin ſi nudato *thorace*, & in aere frigido, abſque conſueto villoſo operimento inceſſerint, ſummam tubulorum cutaneorum, & repentinam conſtrictionem experiantur, & *tuſſi* corripiantur. Optimum tunc erit ad uſitatum *lanarum* auxilium redire, quibus conciliata meatibus in ſuperficie *thoracis* halantibus naturali mollitie, & revocata ſalubri perſpiratione, commodiſsimè curari iſthæc noxa ſolet. Quo quidem loco non omittendum, quod inſigne *Aſthmaticis* commodum geſtata *lana* præſtare poterit; ut quę ſudorem inſenſibilem movendo, partem non exiguam craſſæ lymphæ *bronchialis*, viſcidique humoris veſiculas pulmonales obſidentis in externam *thoracis* aream accubitu, & tepore ſuo non ſolùm digerat, coquatque, verùm etiam ſubactam alliciat, allectamque per occultum vaporem diſpergat: Imprimis ſi ſimul corpus moderatè exerceatur, unde molli & leni motitatione concuſsi pulmones, & undulatione quadam interſitæ cellulæ idemtidem quaſſæ lentum illum humorem, qui ad contactum hæret, a ſuis finibus excutiant: hinc eſt, quòd *Theodorus Priſcianus* apud *Mercurialem* (*a*) ſcriptum reliquerit: *curſum cum veſtibus laneis peractum Aſthmaticis prodeſſe*.

4. Non rarum, nec inſolens eſt, anxium circa cordis ſcrobiculum dolorem cum frigore in dorſo, & horripilatione cutis, necnon inferiorum maximé partium inalgeſcentia, adeout etiam calidum ſatis vehemens admotum vix percipiatur, non rarum, inquam, eſt, dolorificam hance affectionem in Praxi deprehendi. Præprimis autem iſtud vitium illos adoriri conſuevit, qui lentam pituitam, & difficilè per *Gaſtrica* vaſcula fluentem gerunt; vel quibus flatuoſa congeſta in locorum vicinia materies exitum ſibi, qua data porta, quærit. Quandoquidem qui hiſce *cardialgicis* paſsionibus obnoxii ſunt, ex

(a) *de Art. gymnaſ. lib.* v. *cap.* VII.

ex ructuum ore prodeuntium frequentia dolorem nonnihil levari ſentiunt; vel oborto viſcidi cujuſdam vomitu manifeſtè levantur; ad hæc nonniſi calore redeunte in partibus extremis, calidoque tandem ſudore nato per totum corpus, dolor omnino ſòlvitur, atque diſcutitur. Calor enim præclariſsimam vim habet dolorem ſedandi atque fugandi. (*a*) Cúm ergo in hiſce caſibus calor, & mador partium affectarum ſubacti, vel ſeſe proripientis mali certiſsimum habeatur ſignum, atque implicita in tubulis ventriculi *etherogenea* materies eliminari per vias inſenſibiles geſtiat, *lana* ſcrobiculo cordis calidè admota ſolatium ſpondet. Vidimus certè tale vitium in iis præſertim, qui ingruente *cardialgia*, ſtomachalem iſtam regionem extremo frigore tactam quererentur, quique ſub ſpaſmorum tortura pulſum contractum & nimis exiguum in carpis haberent; pannis *laneis* calidis, ſulphuris accenſi fumo impraegnatis, in uſum extrinſecùs tractis ſublatum feliciter fuiſſe: Dum inde regio *cardiaca* ſenſim incaleſcere, atque madeſcere; pulſuſque major & mollior micare inciperet, quæ evaneſcentis morbi univoca ſigna cenſentur. Sed opus eſt in hocce præcordiali, & gravi dolore, ut *laneam* beneficam laciniam nocte dieque loca affecta ſuſtineant, donec dolor penitus diſpareat, atque convulſio, exeuntibus flatibus, vel ſoluta calore, & diſsipata præternaturali pituita, omninò ſoluta fuerit: Quin per aliquod tempus ad ægram partem detinendum remedium eſt, quo non ſolùm blando ſuo tepore villos demulceat, necnon fibras rigidas laxante ac emolliente facultate remittat; verùm etiam contractæ partium a repetitis morbi incurſibus debilitati ſuccurrat.

XXXVII. Si ullis in affectionibus magis elucet noſtri Topici virtus, certè in iis, quæ viſcera abdominalia malè habent, ſpectatiſsima cenſeri meritó debet. Quas quidem corporis humani noxas, *lanæ* auſcultantes in tria conferre capita perſpicuitatis cauſa juvat: nimirum ad eos morbos, qui vel dolorifici, & *colici ſunt*; vel obſtructionem viſcerum multigenam comitem habent; vel *diarrhea* habituali ſtipantur. Ad-

(a) *Hyppocrat.* v. *Aphor.* 22.

Adverſus enim hoſce affectus, non ſemel compertum eſt, ſolam *lanam* contextam, in faſciæ ſpeciem, abdomini externo ſuperinjectam profuiſſe. Proindè pannum *laneum*, tenuem, mollemque, eumque abdominis regioni extùs obvolutum, ibique diu affixum, in *colica* contumaci, cúm ab Antiquioribus Medicis, tum præcipuè a *Galeno* commendatum videmus. (a) Quidam mihi noti ſunt, qui omnibus irritis, quæ in eo morbo adhiberi ſolent, remediis, compertiſsimæ utilitatis *lanam* ſibi fuiſſe deprędicant, quàm regioni abdominali ſuperincumbentem continuò geſtant. Cúm autem plures dentur *colici* doloris cauſæ, quas tenera *lanarum* conſtructio, & tenuis ejuſdem *localis* virtus nequaquam attingit; eas in ſequentibus referam, quibus mederi *lana* circumſpectè tamen uſurpata, poſſe, & debere videatur. Et

1. Quidem iſtiuſmodi remedii genus indicatur, quoties dolores partes nervoſas inteſtinorum obſidentes a ſola *atonia*, motu & robore fiſtulæ inteſtinalis labefactato ortum ducunt; in ſenibus potiſsimum, & qui cibis frigidis inflantibus nimium veſcuntur; item in corporibus a prægreſſo morbo exhauſtis. In ſimilibus quippe circumſtantiis præmiſſa crudorum evacuatione apponendæ *lanæ* ſunt limpidæ atque molles, tinctura aliqua, vel ſpirituoſo vehiculo prætinctę, atque abdomen circumdantes. Atque imprimis major curationis ſpes collocari in externo *lanarum* uſu debet, ubi hæc omnia ex *ventris* refrigeratione, vel externarum vicinarumque partium *Adiapneuſtia* traxerint originem. Neque deficit ratio. Quippe cùm frigoris ea ſit natura atque conditio, ut nervoſi generis morbos revocandi, & exacerbandi maxima vi polleat; ſi aliquando vitari non poſsit, vel improvidè ab obnoxiis huic morbo admittatur; proſpici melius non poterit, quám ut funeſta ejuſdem effecta amico naturæ calore diſcutiantur. Quoties enim non in vulgatiſsima praxi animadvertimus, pedibus diligenter calefactis, *Dolores Colicos*, ſi non in totum abigi, diſsiparique, at ſaltem maximoperé remitti, atque ſedari. Idem, imò efficaciùs molitur *lanea* veſtis

Abdo-

(a) *Conf. Allen. Medic. pratiq. tom.* III. *chap.* VI. *p. m.* 65.

abdomini arctè circumlata, & calido aromatico fomento dives. Impacta enim intra tubum Inteſtinalem diſcutit, extenuat, & in fluorem calore reſolvit; præter hæc totam Inteſtinorum longitudinem excrementis liberam perviamque reddit, atque univerſa viſcera corroborando efficit, ut imposterum læſa dolore loca frigidum humorem præternaturalem colligere nequeant, imó ne aliunde influentem promptè intra ſeſe recipiant.

2. Quoties dolores colici *flatulenti* potiſsimum ſunt quorum generatio, & crebra invaſio, imbecillitatem, & languorem inteſtinorum, eorumque toni ac roboris defectionem indicant, atque ſupponunt; & qui Obeſis, Frigidis, Senibus, & Cauſariis admodum familiares ſunt, ut ſcribit *Fridericus Hofmannus*: (*a*) Præſertim ſi frigidior aura Incautorum pedes, dorſum, & ventrem corripuerit. In quibus præcipuè caſibus quàm maximè conducit, fomentis calidis, carminativis, ex laxantibus ſpirituoſiſque paratis totum abdomen contegere, cavendo tantúm, ne *panni lanei* refrigeſcant: tunc enim nocerent prorſus. Quantùm autem boni ab hiſce auxiliis expectari poſsint in educendo flatuoſo ſpiritu per cellulas *Peritonei* oberrante, patere poteſt inde, quòd dum *lana* duplicata ſæpè, & calido emollienti liquido repleta externo Abdominis ambitui accumbit, molliſsimum fomentum vicino *Peritoneo* præbet, ſimulque poros cutaneos emolliendo ſummè aperiat; proindeque concluſum intra *Peritonei* laminas aera duplici de cauſa exitum tentabit per exteriora corporis; tum quòd patentiores in ſuperficie meatus offendat, per quos foris detrudi poſsit; tum quòd majori concepto calore furens, varios cellularum anfractus fortiùs impetat, & viciſsim preſſus, atque reſiliens celeriori impetu foras abripiatur. Neque enim in ea verſor opinione, ut cũ *Littre* credam, morbum præſentem ab inteſtinorum, & ventriculi tunicarum flatulenta tumefactione pendere unicè, aſſerente: Quandoquidem novimus, quin & Monſpellii olim vidiſſe re-

(a) *Item tom.* II. *ſect.* II. *cap.* V. §. XVI. *p. m.* 286.

cordamur, (*a*) *Tympaniticorum* aerem in *Peritonei* cavo immediatè nidulari. (*b*) Neque adſtipulari poſſum *Gerardi Vvanſuvieten*, aliorumque opinioni, qua non illam eſſe aeris elaſtici indolem rentur, qua per inteſtinorum membranas, *Peritonei* laminas, muſculorum tunicas, pinguedinem &c. tranſire poſsit: (*c*) Quandoquidem ſi non certum, aſt veriſimile hodie habetur, aera corpus animalis ubique ſubire, indeque clanculum elabi; quam rem fusè tractaverat *Meryus*, atque claré evicit *Keylius*. Certum tamen eſt, Flatus cum ſanguine per venoſum ſyſtema oberrare expatiarique poſſe: (*d*) Inde tumorum flatulentorum in corpore exorientium theoriam ſuam eruere conatus eſt laudatus *Littre* (*e*) Inde tandem non ſine ratione protuliſſe *Hyppocratem* in *Coacis* (*f*) lego: *Tumores hypocondriorum recèns obortos inflammationis expertes, & inde dolores natos ſolvit Borborigmus fremens ſub hypocondrio; maximè ſi aut ipſe per ſe ſecedat, aut cum urinis, aut cum dejectionibus, quin juvat is ipſe, ſi modo deſcendit*: Neque mirum; quippe aer in lactea vaſa adactus, (*g*) & ſanguini mixtus *Diabetem* produxiſſe fertur.

3. Quoties incarceratum, in inteſtinis aera, ibique abundè congeſtum, atque aucto calore immaniter rareſcens, debiliſsimam fiſtulam ſummo niſu extrorſum impetit, atque hac illac vagans, *flatulentiam* ſævam excitat: Contactus enim *lanæ* non modò proficuus cenſendus eſt, ſed in ſimili caſu conſimili tela abdomen conſtringere oportet, ut expulſio flatuum feliciùs ſuccedat: Utique ſi febris, & ſuſpicio inflammationis abſuerit. Videlicet, cúm nimia fibrarum inteſtinalium expanſione dolores ingraveſcant, preſsio *lanæ* molliter accumbentis, flatus æſtuſque iſta parte aſſurgentes opportuné coercet, prohibetque niſu contrario, nè pro lubitu diſcurrant; aut ubi in latus evagandi copia non eſt, in longum pro-

(a) *Anno* 1743. (b) *Confer Combaluſier Pneumatolog. p. m.* 68. *ſeq.* (c) *Idem tom.* II. *p. m.* 245. (d) *Pecklin. Obſerv.* LVII. *p. m.* 134. (e) *Memoires de l'Accadem. &c. annèe* 1714. *p. m.* 361. (f) II. *cap.* II. *lib.* II. *&c.* (g) *Combaluſier ib. p. m.* 241

prorepant, adeòque diviſo impetu una parte minorem inferant dolorem. Notum ſiquidem exemplo familiari cunctis eſſe debet, quantum inter cetera domeſtica præſidia valeat in doloribus ſedandis *manuum* partibus dolentibus fortis applicatio. Dolores enim *Nephritici* ſæpé & ipſi, ſi ad laterales, & inanes ventris partes convertantur magnum a manus compreſsione accipiunt delinimentum. In veſicæ calculo, qui *colis* glandem excruciat dolor, nullo alio quám perpetui contactus, frictuſque mitioris remedio temperatur. Quid? Quod in capitis, dentium, & aurium doloribus, quantum manuum validior preſsio, ut preſsio eſt, poſsit, etiam vulgò exploratum eſt. Qua de re, ſi plura deſideres, *Pecklinum* adi. (*a*)

4. Quoties ſuſpicio eſt, flatulentiam dolorificam, vel tormina ventris a materia ſoboleſcere intra tunicas inteſtinales hærente, ſero videlicet impuro, & acri; quale in corporibus *ſcorbuticis*, *arthriticis*, *Podagricis* ſæpenumeró obſervatur, quodque non raró deficiente naturæ vi, vel retinetur intus, vel infauſta *metaſtaſi* in inteſtina decumbit. Nam omni ope nitendum eſt, ut relegetur materia ad extimas, ſi fieri queat, partes: Indicante Natura, quæ in ſimilibus noxis per expulſionem Purpuræ, vel macularum *Scorbuticarum* proventum in corporis habitu felicem curationem parat. (*b*) Id ipſum veró commodé, & tuto per lanarum calidarum, & apto remedio liquido madentium admotionem fieri poſſe, non dubitamus; ut quarum auxilio, dum partibus ægris immediaté adſtant, e profundis velut corporis loculis excuſſa calore materies elici, & per *diaphoreſim* quàm feliciſsimè erumpere poſsit.

XXXVIII. De Obſtructionum autem, quibus viſcera abdominalia patent, *therrapeja* quid ampliùs excogitari, dicique in *lanearum* præprimis frictionum laudes poſsit, quod non certiſsimis, & quotidianis experimentis comprobetur in dies? Solet quippe, maximè in tenera infantium ætate aqualiculus ſub coſtis nothis intumeſcere, & hypocondrium utrumque in-

(a) *Lib.* II. *Obſerv.* 30. *p. m.* 475. (b) *Conf. Frider. Hofmann. tom.* II. §. XXXII. *p. m.* 288.

inflari, & elapſo quodam tempore, tumentis abdominis moles notabiliter abſque dolore aſſurgere; ad hæc proſterni appetitus, perire faciei color, atteri vires, pedes cruraque tumere, donec puer contabeſcat. Dum enim hæc patiunrur Puſilli, & glutinoſis humoribus infarctum abdomen præſeferunt, a fricationibus cum pannis *laneis* aſperis inſtitutis præſentiſſimum levamen percipiunt. Sed debent manè perfricari partes ſomno peracto, & jejuno ventriculo, aliter ſi cibis repletus ſit, non facilè frictionem tolerant. Ea ratione ſi infarctus curandi methodum ingrediamur, laboris certè pœnitebit numquam: Maximè ſi *laneas* lacinias aromatico, fumantique balneo priùs immergi curaverimus, & ſimul laxatus fibrarum tonus firmetur, & immeabilia liquida faciliús circulentur. Teſtis eſt *Hallerius*, qui *in morbis chronicis omni alio auxilio*, inquit, *faciliùs careret* Boerhavius. *Habuit curandum hominem juvenem* [idem Boerhavius] *abdomine adeo duro, & skirroſo, ut quaſi diffractis lignis, plenum videretur Tangentibus: eum tamen hominem potu aſſiduo* Mulſæ, *& frictione aliquoties repetita, in firmam valetudinem reſtituit.* (*a*) Quantum autem conferat in frictionibus adornandis *lanarum*, vel ſimilium texturarum ſelectus, patuit in Capite antecedenti. *Cap.* XII. *paſſim*. Ubi veró tumida viſcera ingens comitatur dolor, vel omittĕdæ ſunt prorſus frictiones, vel ſuſpenſa manu uſurpandæ. Valent in eo caſu fomentationes cum oleo, & decoctis emolliĕtibus; præprimis ſi dolor intolerabilis ſuperficiem abdominis occupet, atque cum violenta corporis tenſione, *phlogoſi*, aut ad inflamationĕ diſpoſitione conjunctus fuerit: aliter ſi in profundo nimis loco abdita fuerit torminum cauſa, exulent hujuſmodi fomenta, quibus metus injicitur equidem, nè humores moveăt, & inflammationĕ adaugeant, quòd non ſemel animadverſum eſt. Eſt ubi id generis fomentorum vices ſuſtinet pannus ſubtilis *laneus* in colica diuturna in ſpecie, ſi cauſa fuerit frigus, aut inteſtinorum morbus; (*b*) abſque eo quód ad rudem frictionum mechanicam confugere interdum oporteat. XXXIX.

(a) *Haller tom.* III. *p. m.* 615. (b) *Conf. Purcellum in acta Lipſ. anno* 1715. *p. m.* 208.

XXXIX. Non prætereunda hic eſt aqua inter cutem, qui ſanè morbus, *Hydrops* audit, quique ut ab obſtructionibus originem ſuam plerumque habet, ſic *laneæ* incubationis commoda experiri ſolet; tum ſi liquidi marceſcentis intus, per apertum cutis emunctorium evocationem; tum ſi inditam majorem per ſtimuligeram villorum *laneorum* virtutem vaſculis torpidis elaſticitatem ſpectaveris. Hinc ergo univerſos opinor intellecturos, non contemnendo auſu, tomentum quodque huic morbo adaptari mederique poſſe. Quod certè non in hocce inter initia morbo curando; verùm etiam in quamplurimis aliis corporis ægritudinibus per calorem externum ſolvendis, & additum ſtimulum abigendis, atque perfectam curationem promovendis præſtare non ſemel ſategimus. Et quidem ut iſtius generis parabile ubique *lanarum* præſidium ad *hydropes*, & imprimis aquarum in muſculorum abdominalium textu reſidentium collectiones proficuam datam deſuper, appoſitamque lanuginem commendem, majores tum Veteres, tum Recentiores viros habeo Duces, & Incentores. *Aſclepiades* enim, teſte *Celſo*, (a) in eo qui ex *quartana* in *hydropem* inciderat, ſe *abſtinentia bidui*, & frictione uſum tertio die jam & febre & aqua Liberato cibum & vinum dediſſe, memoriæ prodidit. Celeberrimus du *Hamel* (b) meminit curationis cujuſdam *hydropis* factæ per cingulum, quod ſale ſicco, & in pulverem redacto, onuſtum Renibus & Regioni abdominali advolvebatur. Hiſce ergo curationum exemplis inſiſtentibus nobis, maximè ubi Pueri omnia interna, ut ſolent, remedia reſpuerent, *aſciticum* abdominis habitum optatiſsimo ſemper cum ſucceſſu prudens *lanarum* colligatio coram diſcuſsit, non aliter, quàm ſi *Arenatio*, & ſicca balnea adhiberentur; *lanam* enim in memoratis caſibus mira præſtitiſſe, lætus recordor. Quòd ſi lubeat, traditam hance, atque a nobis ſæpiùs expertam, *lanarum* virtutem ulteriùs explanare, atque in evidentiorem veritatis lucem protrahere; animum, quæſo, ad eas potiſsimùm cauſas adjiciamus, quibus ſeroſus latex in partium fibroſarum interſtitiis tanta copiâ

piâ

(a) *lib.* 111. *cap.* 21. (b) *Ragiæ ſcientiar. Academ. Pariſ. l.c.*

piâ colligitur, ut eaſdem in tumorem attollat. Illæ autem binæ ſtatuendæ ſunt: Debilitas ſcilicet, vel infirmitas laterum continentium liquida; atque poſteriorum nimia ad motum difficultas. Priori enim cauſa contingit, ut dilatatis ſolito magis tunicarum vaſculorum poris, humor lymphaticus ſeroſus ſenſim, ac ſine ſenſu, vel inſenſibilibus deciduis guttulis per incilia tubulorum, vel pleniori ex abruptis vaſculis gurgite intra partium corporis cavitates depluat. At verò, quod ſæpiùs adnotatum eſt, longè frequentius hìc inculpandum liquidorum vitium eſt; quæ niſi priùs quantitate ſua, & certo velocitatis gradu, vel compreſsionis momento robur & actionem tubulorum ſuperaverint, moramque in canaliculis diuturniorem nexerint, vix ſeu mole, ſeu preſsione canalium coercentium tunicas diſtrahere prætermodum vel morboſè perrumpere poterunt. Cùm itaque ſeri trans membranarum poroſitates effuſio ab liquidi tranſeuntis inertia, orta inde preſsione, atque vaſculis ſolita elaſticitate orbatis naſcatur, ſæpiùſque obſtet imbellis Infantum conſtitutio, ut convenientia exhiberi poſsint medicamenta ad movendas aquas, & reſtaurandam amiſſam ſolidorum elaſticitatem: Eam ideo ob rem, extùs admota *Exſiccantia*, & abſorbentia topica laudem merentur; quippe quæ profuerunt ſemper, obfuerunt numquam. Quamobrem *lanæ*, vel ſimilis villi in noſtro caſu utilitas ut experientia mihi innotuit, ſic & ratione fulcitur; ut, qua corporis partibus ægris adſtricta, præcipuè ſi fuerit aſperioris, & durioris contextus, vix ullum aliud inveniri poſsit *locale* remedium, quod magis ſuperfluas humiditates abſumat, & ſenſibilem canaliculorum compagem fodicando exſuſcitet. *Vide ſupra cap.* XII. §. XV. XVI. Id autem remedium diutiùs continuandum eſt, quouſque jam evaporatis aquis, viſcidis in halitum attenuatis, abſorpto lymphatico, & morboſo humore, mutata ſolidorum in melius actione, Æger in priſtinam ſanitatem rediiſſe videatur.

XL. Supereſt (quod erat tertium examinandum ſupra §. XXXVII.) qua ratione tunica *lanea* corpori induta *diarrheæ*, & fluxui ventris ſeroſo conferat: Ea ſiquidem, qua ſudores blandè in illis noxarum ſpeciebus eliciti juvare conſueverunt.

Agi-

Agitur verò hìc de *talibus* ſudoribus, qui viribus integris, & naturâ, morbo prævalente, excitantur, & per quos irritans materia de corpore exit, vel impetus humorum ab Inteſtinis avertitur. Ubi enim, reſoluto ob morbum vitali robore, ſudores erumpunt, lethale potiùs ſignum habetur. Porrò dum ad laxos inteſtinorum receſſus, deficiente perſpiratione, ſuccorum moles abundantiùs confluit, tunc, aliorſum determinatione facta per ſudores, minùs urgentur debilitata inteſtinorum vaſa, ſicque faciliùs ſeſe contrahere, & profluvium ſiſtere poterunt. Huc ſpectat illud tritum *Hyppocratis*: *Cutis raritas, ventris denſitas*: Huc pertinent equitationis curſus, balneationis in *diarrhea* commendata bona. Huc ratio curandæ conſtipationis alvi, dum ſummo mane conſurgens, aeri frigido ſeſe committens Infirmus, tantumdem liquidi excrementa emollientis ſufficit, quantum a ſilente tranſpiratione detraxit. (*a*) Hinc eſt, quòd in hipocondriacis hominibus, meticuloſis, ſicubi pertinacem *diarrheam* inciderint, vel *dyſſenteria* correpti diutiùs jacuerint, adeo proficuæ reperiantur *frictiones laneæ*, cautè tamen adornatæ, quod non ſemel experiri nobis licuit. In hiſce quippe, quoniam ob animi paſsiones triſtes, & dejectum corporis robur minima *peripheriæ* corporis excretoria convulſa humoribus expellendis magis renitantur; evidens eſt, ſecretionem, & excretionem perſpirabilis halitus imminuendam eſſe, parique paſſu adaugendam fore, quæ vel in Renibus, vel Inteſtinis peragitur. Quandoquidem ſecretiones iſtæ ita ad ſe converti ſolent, ut una illarum impeditâ, Natura reliquas augeat; ſicque ſingulæ ſingularum vicariæ ſint. Id ipſum ſummoperé laudo in iis, qui ſcrupuloſiori diligentia corpus ſuum ab aeris injuriis defendentes, multa veſte utuntur. Quamdiu enim in hiſce debilioris fabricæ hominibus Perſpiratio ritè procedit, optimè ſe ſolent habere; & quamdiu impeditur, facili negotio in morbos relabuntur, a quibus non reſurgent, donec in ſtatum naturalem redierit. Quoties ergo ſuppreſſam hance evacuationem, *diarrhea* conſequitur, tutius erit, ad ſo-

(a) *Confer. Allen. tom.* III. *ibid. p. m.* 23. *ſequent.*

ſolitum morem, providè contegendi corporis revertere, quàm ad ſplendida Pharmacopolarum auxilia confugere. Quod ſanè obtinebitur, circũ debile abdomen *lanoſa* veſte inducẽdo, ſi quandò ſuppletoria pharmaca defuerint. Hoc enim facto, motus humorum noxiorum ad ſuperficiem corporis convertitur, & ſalutaris adeó excretio ſecundatur. Ea ratione *dyſſenterias* olim curabat *Sydenhamus* a decubitu materiæ morbificæ in inteſtina profectas, dum ſolo tegumentorum pondere ſudorem fortunatò alliceret: Ea methodo *ſudoriferis* vomitũ tollebat *idẽ Auctor*; dum dimiſsis omnibus internis remediis, ſolam ſtragulorum molem juberet, donec maderet æger: (*a*) Ea abſervata *therrapeja*, *diſſenterias epidemicas* tandẽ ſedabat, dum lectulo addicere infirmos ſatis habebat, ubi brevi ſponte ſua in madorem ſolvebatur. Verùm ex dictis a nobis ſupra *cap.* XIII. *paſſim* patuit, inter operimentorum, & externé calefacientium genera, *lanam*, & quæ ſimilem materiam intextam habent, longé nobilioris eſſe virtutis. Si ergo *ſudoriferis* internè propinatis, & majorem motum concitantibus; ſi provocata aliqua ſenſibili evacuatione, quæ corruptos cum bonis ſuccis una eliminet horum morborum curationem, aggreſſus, ſubductionem materiæ peccantis, ejuſque ad corticem corporis diverſionem molitus fueris. Anne tu culpandus eris? Minimè profectò, præprimis quia ipſe in hiſce affectibus ſudor, ſi modó extortus, neque blandè invitatus fuerit, nocet ſemper. Vitamus autem hæc, dum ſuperextenſa tela *laneâ*, eaque ſubtili, cavemus, ne laxatis velut habenis irruat ſudoris ſenſibilis flumen; ſed è contra efficiamus, ſola ut paulò largiori inſenſibili evaporatione auferatur id, quod in Inteſtinis morbum faciebat, atque rorifero tacitoque habitu ad corporis corium feliciter avertatur. Huc pertinet *lanarum* delectus, atque diſcrimen *lanæ* uſurpandæ, ſi hujus materiæ pili breviores fuerint, velleraque ex ovibus expilatis deſumpta. Quod ſanè phenomenon notatum olim ab *Ariſtotele* in Problematibus lego. Ille enim (*b*) obſervavit, ovibus depilatis molliorem villum

(a) *Confer Sydenham. ſect.* II. *cap.* II. *paſſim.* (b) *Ibid. ſection.* X. *num.* 24. *&* 25. *p. m.* 409. *&* 410.

ſubnaſci homini duriorem; præterea ovium pilos eò eſſe compactiores, quò prolixiores; hominum contrà molliores, quò longiores. Quamcumque apparitionis cauſam ibidem afferat Philoſophus, certum eſt, rem ita ſe habere, ut planè liqueat, ubi in hiſce caſibus abdominis delicatuli lacerti diſtinguendi ſunt, fricandos equidem eſſe *lana*, ſed quæ ad præcavendam *lymphaticorum* minimorum ruptionem prædictis, vel ſimilibus conditionibus molliorem rarioremque lanuginem recondentibus prædita ſit. Quàm ergo laudanda eſt in talibus circumſtantiis *lanei* conveſtitus ratio, qua morbis adeo periculoſis tutò & efficaciter obviam itur!

XLI. Quantum in excitanda venere poſsit aſperioris *lanæ* lumbis idemtidem affrictæ contactus, diximus ſupra *Cap.* x. §.xvii.xviii. Quò ergo Juvenibus, villoſa *laneaque* veſtis magis nocitura eſt, hoc præſtantius comendandum laſsis tardiſque Maritis videtur, qui ex cōjugii lege Uxoribus ſuis *debitum* ſolvere tenentur, & quorum languet venus, & lumbi frigent. Viros de induſtria nominavi, ut qui probè noverim, Feminas & calidioris eſſe temperamenti, & otio magis quám viros indulgere, ſub quo vaga libidine, multiſque impudicis ſpectris mens humana plerumque illuditur. Viri autem cùm ob ſolidius temperamentum, tum præprimis ob negotiorum multitudinem, & Reipublicæ ſeriam adminiſtrationem hiſce luſibus carerent facilè, animumque non rarò gerunt a *Sacris* illis averſum. Ut plané rariſsimè ſint in ſequiori ſexu, quæ vel Viro maturæ Virgines votorum ſuorum ſummam non expetant, copulamque depereant; vel ſi Viduæ ſint, orbitatem non lugeant ex animo; vel quæ connubii dulcedine fruentes, ex Maritorum ſuorum oſculo non pendeant: Quibus proinde univerſis inutile & ſupervacaneum *laneum* incitamentum eſſet. Sic enim ſentio, ut obiter dicam, de infirmo adeo luto, feminarum tenella præcordia finxiſſe Naturam, illaſque inſatiabiles adeo effeciſſe, ut ni pudor vetaret, dareturque ſermonibus locus, quoſque obvios apertè provocarent ad pugnam. Non loquor feminas, quæ perfricata fronte viros undique quærunt, ut ſui corporis copiam faciant:

Non eas, quæ pexis pectine comis, facie medicamine attrita, oculorum mobili petulantia, inceſſu tutè compoſito, & ne veſtigiis quidem pedum extra menſuram aberrantibus, formam publicè proſtituunt, ut amplexus vendant: Non eas, quæ ſordibus calent, nec libidinem concitant, niſi aut ſervos viderint, aut Statores, ut loquitur *Petronius* (*a*) altius cinctos: Non illas demúm Matronas, quæ diſcordi, & infami libidine Ancillarum ſuccumbentium humilitatem habent: Non, inquam, haſce feminas comemoro, quæ æſtrum venereum, quo intus furiunt, Viris impudentiſſimè manifeſtant. Sed eas dico tantùm Feminas, quæ intra domeſticos concluſę parietes, Nuptæ, id unicè moliuntur Maritis ſuis, ut immoderatiùs placeant; quæ cultu eximio omnes tentare vultus ſolent, ut viris ſuis voluptatem commodent; quæ ſæpiſsimè quidem in maritis dolent, vel intermiſſos veneris jocos, vel frigiditatem ſugillant, vel quærentes voluptatem robuſtam, laxatum velut Mariti corpus non excuſant, modó quin, & non raró ab eo contemptim oculos reflectentes, atque animi alterationem accuſantes, jurgiis contentionibusque omnia complent, quaſi Maritus vires, ſpiritusque alibi conſumeret, Nimirum ſunt hę de illarũ generę, quę amoris morboſi petulantiã vanis hiſce momẽtis prætexunt, atque occultant. Eſt ubi veró depoſita ſanctæ, *ſi diis placet*, honeſtatis larva, quin ullus eas pudor retineat, nec modeſtia regat, neque verecundia temperet, conjuges natura procaces viris ſuis carnis obligatæ jura audacter petant, maritoſque ſi quãdo officio defuerint, in venerẽ fractos elumbeſque derideant. Durum profectò Maritorum fatum, quos adeo imprudens ſocia faſcinavit, ut ſi quid virium habeant, juſtitiæ obtentu, cum tanta corporis animique offenſa profundant! Verúm ne hic joco potiùs, quàm ſerió dicere, & ſequiorem amabilemque ſexum inurbanè traducere videar, ſanctè, & candida, ut decet, hiſtoriæ fide enarro, qui mihi opportuné in memoriam redit, caſum, & qui hactenus de connato, eoque in feminis, inſatiabili veneris appetitu a nobis prolata teſtata abundè faciat; ſimulque indicaverit quan-

(a) *Satyric.*, *l.* 6.

quantum boni tutamen *laneum* aſperum impotentibus viris afferre valeat.

XLII. Superiori, & qui ſe proximè convoluit, & elapſus eſt, anno 1753. memini, dum in ægrorum praxi verſarer, nobilem, & honeſtam Nuptam vidiſſe immaniſsima *hyſterica* affectione vexatam. Proludens enim cujuſdam globi ab utero ad ſuperiora faucium aſcendentis motus, comitans cordis tremor, extremorum algor, ventris ſtrictura, ſpiratio difficilis, delirium tacitum, & ſuccedens paroxiſmo demum limpidiſsima ad inſtar aquæ micturitio, morbi genium, de quo loquimur, luculentiſsimè teſtabantur. Nihil de toto illo remediorum genere dicam, quæ morbo debellando Mulier aſſumpſerat. Invaleſcebat verò, omnibus irritis auxiliis, mali convulſivi vehementia, atque nova in dies phenomena depromebat: uſque adeó ut animum deſpondens *Matrona*, morbo velut victa ſileret attonita, & omnem curationis ſpem adjiceret prorſus; nobis verò pertinacis affectus diuturnitatem mirantibus, abſtruſioris, & remediis *anthiſtericis* longé ſuperioris alicuius cauſæ in corpore latentis non levem ſuſpicionem injiceret. Hinc acciti in conſilium Medici, atque fruſtraneam pharmacorum expectationem cum affectus obſtinati violentia, æqua judicii lance librantes, *hydrargiroſim* matronæ multis ſuadent. Quód ſanè præſcriptum non triſti modò vultu accepit Infirma, verùm ira ſubbitò percita detonuit: *Mihi ne*, inquit, *turpe adeò medicamentum præſcribitis, & illibatæ meæ pudicitiæ ſempiternam ignominiæ aphrodiſiacæ labem adſpergitis*! Ut verò incandeſcentis feminæ mentem cœtus Medicorum ſedaret, declaraverunt, ſe non ſola luis venereæ cauſa illitiones mercuriales ut plurimum in uſum trahere ſolere: ad hæc iſtud remedii genus ordinari, & præcipuè in hac Civitate, in qua ad omne morbi genus, dummodó vulgari methodo reſtiterit, cum fructu adhiberi. Noluit tamen Medicorum parere juſsis, atque dimiſſo conſilio, cum malo ſuo per intervalla ingruente colluctabatur. Elapſis autem aliquot diebus, accidit, ut ferociſsimo morbi inſultu correpta omni penitùs ſenſu & motu ex improviſo orbaretur, atque me præſente oculis apertis, & cœlo affixis, ſta-

tuæ velut immobilis truncum, & omnem excitationem eludens offerret adſtantibus. Nec ulla mora, quin infauſtam adeo ſcenam mucidi, glutinoſique humoris ab utero manantis effluxus clauderet, quo & menti ſerenitas, & corpori robur acceſsiſſe videretur. Stupentibus interea nobis, turpem adeo Tragœdiæ finem, ſimulque a nobis ſciſcitanti feminæ, quid iſtud rei eſſet, reſpondimus: paroxiſmum *hyſtericum*, quem in Viduis, Virginibuſque, viro maturis præſertim, fluor ille ſalutaris excipere ſolet. At illa paululum erubeſcens, *nubui equidem viro*, inquit, *ſed non intelligo virum eſſe*, *non ſentio*: Tum rurſus adjecit, ſe cum marito equidem conſueſcere, ſed hactenus in umbra voluptatis luſiſſe; ut pro Virgine cenſeri meritó poſſet: Viduas ſemper exegiſſe noctes, ut *Socratica* tantùm fide ab viro ſuo diligi, nec tam intactus *Alcibiades* in Præceptoris ſui lectulo jacuiſſe videretur. Tandem in furorem verſa, & audacior facta, gravem injuriam a marito ſibi uſque illatam conquerebatur, ut qui diverſum thorum premeret, & languorem de induſtria ſimulare non deſiſtit, quo erga conjugem parciſsimus, erga autem alienas feminas liberali manu vires prodigeret. Cùm autem quid hominis illa virum haberet, & quibus moratum moribus ſcirem, ad avertendam omnem ægrę ſuſpicionem, blanditiis reſpondere, animumque ejus conceptiſsimis verbis de viri honeſtate ac continentia reſtituere conabar, donec, arrepta occaſione, ſincerè marito cuncta referrem, atque ab eodem acciperem: *Amorem erga conjugem ſemper eumdem fuiſſe*; *ſed rationem feminarum ſolita ad libidinem incitamenta viciſſe*; *vulneratam adhæc partem illam corporis habere*, *quam achilei certè roboris corporis olim vegeta temperies pollicebatur* : *Inſtrumenta in eo peccare tantùm*: *Paratum militem eſſe*, *arma verò non habere*. Inde ſedulò collegi, latere aliquid in organis Viri genitalibus, quod in opere venereo perfectum leporem turbaret; atque hinc caſſam, evanidam, & levem voluptatem efficiens, omnium quærelarum uxoris cauſa eſſet. Jubeo ergo denudari illico corporis loca, (quæ ne ad cogitationem quidem admittere ſeverioris notæ homines ſolent;) quæ cùm perluſtraſſem ſedulus, alte-

alterum corporum *cavernoſorum Penis*, altero magis complanatum offendi, nec juſtæ magnitudinis. Ad hæc in ani confinio neſcio quid tumidi laxique conſpiciebatur. Interroganti autem mihi, an in veneris promulſide perfectè erigeretur *mentula*; *ad erectionem*, inquit, *parari genitalia*, *ſed media in tentigine nervis adeo deſtitui*, *ut nec ipſa pulchræ* Matronæ *præſentia ad completum trahere opus*; *nec pluribus oſculis colliſa mutuò labra incitare*; *nec implicitæ utrimque manus excutere venerem torpidam*; *neque demùm alligata mutuo ambitu corpora animarum mixturam facere umquam potuerit. Sed inter hæc gratiſſima conjugii primordia viribus ſemen expellentibus ſubitò proſtratis*, mollis, debilis, laſſuſque *fiebat illico*, *&* *anhelitus*, *ſudoreſque perdebat*, *quin umquam ad voluptatis apicem ſe pervenire potuiſſe meminerit*. Adjungebat autem, *ſibi in vano illo erectionis apparatu ſæpiſſimè anum crepitus edere ſolitum eſſe*: ut plané nulli dubium eſſet, quin huic *paralytica* quadam mollitie laborarent Pudenda. Aderat tandem quædam lumborum frigiditas ab frequentibus *nephritidis* paroxiſmis antea perpeſsis. Itaque offerebatur mihi morbus, de quo judicium ferre mihi non adeo difficile eſſet: maximé cùm ex contemplatis partibus Viri genitalibus, & phenomenis extùs apparentibus jam didiciſſe, mihi viderer, quam curationem noxa iſthæc admitteret. Suaſi ergo, ut lumborum regionem is de die impoſterum fricari pannis *laneis* rudiſsimis calidis curaret, eoſque ſpiritu aliquo imbutos eidem regioni diu adhærere vellet. Ad hæc totum ſpatium, quod *podicem*, & radicem *colis* interjacet, eadem repetita frictione ſpirituoſa diu exerceret, & continuato *lanæ* incumbentis uſu foveret. Paruit ille conſiliis meis; atque tranſactis aliquot diebus rediens, & gratulabundus me convenit, quòd feliciſsimo quidem exitu ejus laſsitudinem traduxerim, & annos primo florentes vigore reddiderim languenti *Priapo*, quòd triſtiſsimas *hyſtericæ* Uxoris tragœdias procul arcuerim; quód tandem ſimplici *laneo* remedio, toto corpore, & integris nervis in amplexum Uxoris immiſſus, expetentis uſque ad ſatietatem oſculis frui impunè poſſet.

XLIII. Diſcimus ex præcedenti obſervatione multa, quæ

hic

híc ſileri non debent. Nam 1. ſi in tam atrocium ſimptomatum originem inquiramus, quibus noſtra Ægra vexata diutiùs fuerat, varia momenta ſe offerunt, quæ clarè commonſtrant affectionem iſtiuſmodi a nulla alia cauſa, quam a copioſiori ſanguinis ad vaſa *ſpermatica*, & *Teſtes Muliebres* affluxu, has partes vaſculoſas, & nervoſas nimium diſtrahente ſubortā fuiſſe. Hinc ſtimuli, & deſideria ad venerem ineundam proficiſcuntur; quæ fortè in matronis, feminiſque divitibus ideò exardeſcunt, quòd multò ſanguine, eoque optimo, præditæ victu calido utantur, in otio vivant, vino generoſo, multiſque calidioribus ferculis *venerem* proritantibus ad ſatietatem fruantur. Quare non mirum ſi viroſæ hujuſmodi mulieres jam diù continentes & viro orbæ, acribus copioſis ſpermatis igniculis pruriant, & deſiderio conſueſcendi cum viris ſuis fruſtratæ, in ſæva *hyſterica* pathemata incurrant.

2. Quoniam ergò retenta illa ſpermatica lymphâ, & morâ in ſuis conceptaculis corrupta, origo tanti mali habetur, præcipuè ſi priùs conſuetus concubitus denegetur; rectè in Virginibus huic noxæ ſubditis non aliud auxilii genus ſupereſſe exiſtimarunt vel ipſi Vetuſtiores Medici, quam conjugium, cujus incomparabilem vim, ad expugnandam frequentiſsimam iſtam *hiſtericæ affectionis* cauſam, multa experimenta, & ratio luculenter ſuffulciunt: (*a*) Hinc hiſtoriæ illarum *hyſtericarum*, in quibus finito paroxiſmo, ex relaxatis muliebribus copioſus humidus liquor extillaſſe dicitur. Certè in noſtro caſu (XLI.) ut oſtenſum eſt, non priùs ceſſabat inſultus *hyſtericus*, quàm ex Matronę pudendis feliciter erumperet craſſus viſciduſque, albumini ovis ſimilis, humor. Id autem præſtat Vir, ut retenta & morboſa ab utero naturæ tunc lætè operantis conatibus, & gratiſsima titillatione extundantur.

3. Aliter autem in viris contingit, in quibus nimia ſeminis retentio tantum abeſt, ut morbos inferat, ut vulgò puta-

(a) *Conf. Frider. Hofmann. tom.* III. *ſect.* I. *cap.* V. *p. m.* 53. §. XII., *& p. m.* 56. §. IX.

putatur, ut potiùs refuſa in ſanguinem parte ſubtiliori, perſpirationi faveat ſalubriori, corporique vigorem reddat. Semen enim, ut ait *Borellus* (*a*) eſt *potentiſſimum elixir*, *ſeu balſamum nedum prolificum*, *ſed etiam animam*, *&* *corpus Generantis augens*, *&* *perficiens*. Feminę autem, quæ humorem uterinum, non veró propriè dictum *ſemen* majori copia ſecernunt, hujus impenſam facillimè ferunt; quin ab eodem excreto melius ſe habent abſque ulla ſubſequente virium debilitate. Qua de re legi meretur *Gorterus* (*b*).

4. Sicubi verò res agitur, cum ſalacibus juvenibusque, quibus utpotè *hirtis* interdum, Veneris deſiderium familiare eſt, (*c*) & quibus ſolitum antea id ſeminis excerni retinetur; tunc enim verò congeſtum ſperma aliqualem moleſtiam creare machinæ poterit. Quod in caſu præcitato experti ſumus. Siquidem apparuit, muſculorum *Penis* erectorum vitium fuiſſe, qui ab *iſchii* tuberibus, & feré ad perpendiculum deſcendentes ad *urethram* nerveo corporum ſpongioſorum involucro inſeruntur: hinc ſi hi muſculi languerint, nulla erectio obtinebitur, neque venerea cogitatione, neque voluptuaria attrectatione partium, neque alia ulla ratione. Acceſsit etiam viro noſtro in inſtanti deſideratæ ejaculationis *Ani ſphincteris* relaxatio; quod apertè teſtatur, ex hac etiam cauſa erectionem imperfectam fuiſſe (*d*) Demum in eo ſubjecto deficere videbatur, ob prægreſſos *nephriticos* paroxiſmos, vel naturalis ſanguinis per arterias ſpermaticas circulatio; vel vegetus earumdem arteriarum, qua parte *Teſtem* obvelare ſolent pulſus; vel naturalis ſpirituum animalium ad teſticulos irradiatio, quibus de cauſis, ſemen, ut verbis *Hallerii* utar (*e*), coqui & perfectus elaborari ſolet, & cujus præſentia ad venerem facit.

5. Quamobrem intelliges, in hocce rerum ſtatu optimum, & efficaciſsimum remedium prębuiſſe *lanam* partibus

---

[a] *Lib.* II. *Cap.* XII. *propoſition.* LXXI. [b] *De inſenſib. tranſpirat. Cap.* XVII. §. II. III. IV. [c] *Ariſtoteles poblemat. ſection.* X. *num.* 26. *p. m.* 410. [d] *Confer. Haller. tom.* V. *parte* I. *p. m.* 428. *not. E.* [e] *Ibid. p. m.* 315.

bus muſculis idemtidem affricatam. Fruſtra enim conjux, quin interdum non ſine noxa, famigeratiſsima etiam, *ſpermato-poietica*, & ſimilia medicamenta pharmaceutica in uſum adhibebat. Nec enim poſt ſpirituoſum concinatum balneum inſtituta modica Genitalium unctio, nec ciborum validiorum, ut *bulborum*, & *Erucæ* eſus continuatus, nec potentiſsimi meri hauſtus vitium iſtud emendare umquam potuerunt: donec accedens *lanæ* virtus ſanitatem partibus, & conjugatis oblectamentum attulerit. Fortè per frictionem illam in paralitica genitalium loca ſpiritus a vicinis nervorum lumbalibus renalibuſque plexis affluentiùs irruebant; atque irritationem mechanicam in canalibus ſemen eructantibus efficiendo, erectionem *Mentulæ* promovebant. Quam forté ægregiè adjutam reor a *laneo* affrictu ad muſculos *traſverſales Renis*, unà cum muſculo *dilatatore poſtico urethræ*; quippe *hi muſculi, egregii ſunt uſus*, inquit *Boerhavius*, (*a*) *in dilatanda parte inferiore urethræ*. Certè in momento ejaculationis in *urethræ* interno orificio fremitum voluptuarium equidem, ſed velut liquidi difficile meantis ſentiebat, qui poſtquam *lanam* adhibuit, prorſus evanuit.

6. Mirabile ſané in noſtro Ægro animadverti, quód nempè dum morbo deſcripto laboraret, pudenda gereret paucíſsimis ornata pilis, iiſque glabris, mollioribus, caneſcentibus; cum tamen recuperata ſalute iidem pili, conſertiores, duriores, rigidiores, nigrioreſque emicare depromique ceperint. Expertum enim eſt, *Spadones* calvos numquam fieri; accedit, hominum caput piloſius quàm reliquum corpus eſſe: Tandẽ unum omniũ animantiũ hominem caneſcere. Quorum omnium phenomenorum cauſas, qualitercumque adũbraverat *Ariſtoteles* (*b*). Quidquid tamẽ ſit, negari illud nõ poteſt, inter ſigna tẽperamenti calidi pilos flavos, craſſos, copioſos toto corpore; & viceverſa frigidi temperamenti notas inter recenſeri pilos glabros, tenues, coloris palleſcẽtis (*c*). Hinc in omni

[a] *Inſtitut. medic.* §. 658. [b] *Problemat. ſection.* x. *num.* 56. 61. 62. *p. m.* 423. 424. [c] *Boerhav. inſtitut.* §. 890. 891.

omni Puero, quando adolevit, & calidior factus eſt, ſimul pili prodeunt; & ipſæ demum robuſtiores puellæ (*a*) genis ſunt lanuginoſis. Quamobrem cúm per noſtri Ægrotantis genitalia frictionis quotidie inſtitutæ calor major fieri cœpiſſet, non mirum ſi partes illas pilis copioſioribus magis coactis conſertas viderimus.

XLIV. Inter reliquos veſicæ urinariæ morbos, quibus contactus *lanarum* ſalutaris eſſe poteſt, præcipuum obtinet locum, qui muſculorum *pyramidalium* noxam, & adventitiam veſicæ labem in conſortium tracta complectens, ſub ſpecie oppoſiti morbi, incontinentiæ ſcilicet, & *retentionis* urinæ ſeſe manifeſtat. Non novum eſt enim, muſculos *pyramidales* abdominis in junioribus veſicam, quæ & pro ratione molis corporis, & pro ratione altitudinis ſupra os pubis preſsioni magis patet, comprimere, & urinæ fluxum incitare. (*b*) Neque incompertum eſt, veſicæ urinariæ corpus fibris muſcularibus copioſiſsimis, fortioribus inſtrui, eamque contrahi abſque ullo adminiculo reſpirationis; necnon urinam ſola fibrarum contractione cum impetu expellere, & cavitatem ſuam penitús delere. Si ergo a nimia dilatatione veſicæ infirmentur fibrarum componentium manipuli, ut *ſphincteris* etiam vis ſuperetur; tunc enim veró perpetuum *ſtillicidium* urinę habetur, ſeu *Incontinentia*, dummodo a potentiis ſuperincumbentibus validé, ut decet, comprimatur ſaccus. Quód ſi præ ſumma tum muſculorum *pyramidalium*, tum veſicæ inertia fibrarum tonus ita labefactatus ſit, ut nec hilum facultati expellenti cedant, atque auſcultent; in ſimili caſu ne guttula quidem lotii effluxura eſt. Cognito igitur flacciditatis vitio in illis partibus, *regionem veſicæ* oleo *lauri*, *rutæ*, *ſcorpionum Matthioli*, vel pulveribus variis ſeroſitates exundantes abſumentibus inungere, vel adſpergere, utile erit. Sic non nocebit aliquo ſiccante, & calefaciente tegmine pubem, & vicina loca probé munire, datis deſuper *la-*

(a) *Haller. tom.* VI. *p. m.* 274. (b) *Confer. Haller. in Boerhav. tom.* I. *p. m.* 316., *&* *tom.* III. *p. m.* 262. *not.* D.

nuginoſis villoſiſque panniculis. Imó nullũ efficacius commendari in praxi iſta remediũ ſtupa, vel *lana* adhibita poteſt. Audiamus *Aquapendentem*, & ejuſdem verbis hìc opportunè commodèque appoſitis, lanoſæ, vel ſimilis materiæ uſum in præſentibus malis jure extollamus. *Quod ſi tandem*, inquit, *urina* (*a*) *detineatur*, *quia urina ſit nimium repleta veſica*, *&* *expultrix facultas reſoluta ſit*, *ut pueris accidit*, *eo caſu ego ſoleo ad claram flammam Pectinem calefacere*; *interea verò oleo calido de capparibus ſupra veſicam inungere*, *&* ſtupam pexam calidam *ſupra ponere*: *Ita enim pueri ferè omnes minxerunt*. *Hoc Venetiis erat cujuſdam ſecretum*, *quo omnibus pueris*, *urina hac de cauſa ſuppreſſa ciebatur*; *quod lubentiſſimè vobis communico*. Hactenus ille.

XLV. Communis, quamvis peſsimus, mos apud Noſtrates invaluiſſe videtur, ut ſi quis circa regionem lumbarem, vel circa quamcumque corporis partem articulari quodam dolore corripiatur; ſtatim *rheumatiſmo*, vel *lumbagine* affectum eſſe exiſtiment: Cùm tamen, ut de *lumbagine* loquar, fixus ille in lumbis dolor non ſemper *rheumaticam* verè fluxionem denotet. Eſt enim ubi flexuoſus inteſtini *duodeni* finis, neque minus Sygmoidea *coli* flexura morbum contrahens medenti etiam, nedum ægris imponit; eſt ubi inſtantium in Feminis menſium, vel fluxuri ſanguinis *hæmorroidalis* ſignum in viris habetur. Quamvis ubi immaniter vexat dolor, & corpus vegetum, maximè poſt exercitia majora, aggreditur, a ſola ſanguinis quantitate, circa plexum *meſentericum*, ligamenta vertebrarum lumbalium nervea, muſculos externos lumbales ſtagnante, ortum certò certiùs ducit. Cui proinde ſcopo attingendo, ſolam eamque repetitam venæ ſectionem parem eſſe, nullus dubito; *Sed hoc opus*, *hìc labor*; obſtinatis ægrotantium animis tantum a ſanguinis miſsione beneficium ſuadere: Jam enim alté, ut ſibi videtur, perſuaſum habent, veneficam eſſe in tali morbo ſanguinis omnem detractionem; morbum ideo ſibi eſſe ſinendum. Eſt ubi ingenti, & inflammatorio dolore lumbis quaſi per medium *ſectis*, incurvatus incedere debet homo, nec

(a) *Operat. Chirurg. Cap.* 58.

ſurgere poteſt, & tamen ſi huic *phlebotomiæ* præſtantiam inculcas, *ſurdo loqueris.* Hinc eſt, quod aliquando obſervant Clinici, prorumpente ex hemorroidalibus venis cruore, ſalutari naturæ conatu dolorificus effectus abſcedat, vel copioſiori ſuperveniẽte locali ſudatione, omnia ſimptomata remittant. Quoties ergò obrepit *lumbago*, ſed ob frigus ſuſceptum antea, vel repulſam aliquam venenatam materiem, vel virium lapſum, vel intemperatam humorum *Dyſcraſiam*, inflammationis notas non exhibet; non omiſsis, ſi fieri poteſt, aliquot miſsionibus, commodum ex *lanæ* velamen ſuadendum eſt. Illud lumbis ſuis admoveat cauté, & providè Ægrotus, ne frigori externo ullus acceſſus detur. Illam molliorem eligat, & fotu appropiato imbuat, & locis morboſis aptet ſeduló. Illam demum numquam deſerat, quouſque a diris cruciatibus penitus convaluiſſe videatur. Mirum enim quantum ad hujuſce mali præſervationem vilis *lanugo* poſsit. Hinc eſt, quod plerique loca ægra, & dolentia animalium exoticorum villoſis, & ad tactum tenerimis pellibus fulcire conſueverunt. Novi Monialem *lumbagine* vexatam, cum frigoris in partibus dolentibus ſenſatione moleſta, quæ neſcio a quonam edocta, ut lumbalia loca piloſo lanuginoſoque vinculo circumdaret, ſpiritu vini madido bis de die, renovato, cúm hac medicina per menſem uſa fuiſſet, optimè ex illo morbo evaſit. Ingens enim puſtularum, velut culicum morſicum agmen erupit per regionem lumbarem, quæ, amoto dolore, apertè deſignarent cauſam *lumbaginis* in acri materia, & muſculoſis nervoſiſque lumborum partibus impacta reſediſſe, quæ dein *lanarum* adcumbentium fotu ad corporis *peripheriam* traducta eſt. Pharmacopola nobis notus eſt, qui cùm diutiſsimè atrocem *lumbaginem* perpeſſus fuiſſet, neque ullas emplaſtrorum formulas fugando morbo idoneas inveniſſet; tandem cujuſdam Medici conſilio *lanea* de materia femoralia de induſtria ſibi confici curavit, quibus continuò geſtatis, a morbo antea pertinaci liberatus eſt, vivitque adhuc incolumis.

XLVI. Illud multiplici obſervatione in artis ſalutaris exercitio compertum eſt, Virgines floridas, & tenellas multiplici

tiplici ciborum acidorum abuſu, necnon frigido aere liberiùs paulò ad inferiora admiſſo, dum ſępé nudis feré oatibus frigido ſolo inſident, vel incautè pedes frigida lavant; difficulter ſanabilem, & obſtinatã menſium ſuppreſsionem ſibi adſciſcere. Indé enim non tantùm circa muliebria, verùm & in toto corpore ſalubris perſpiratio intercipitur, aut maximé imminuitur; humores torpidi, & jam concreti ad motum minus habiles fiunt: Quaré ut ab glutinoſa, & acida acrimonia ad cutim delata obſtructiones ad ſubcutaneos imprimis folliculos prurientes naſcuntur; ſic ab eadem pituitoſa, qua gravatur, *cacochimia* ſanguis in vaſis uterinis ſubſiſtit, cum menſtruę ſcaturiginis emanſione. Ad hæc pallet frigetque virgo, cui fluxus ille ſilet non ob jacturam ſanguinis rubri, ſed ob majorem circumductorum viſcidorum molem potentię pellenti ad uterum reluctantem. Paſtacea deinde univerſi corporis mollities, atque inertia ad levem quemque motum anhelatio quid aliud arguunt, quam quod ex nimia ſanguinis glutinoſitate, & conceptaculorum uterinorum laxitate, abſit ea vis muſcularis, quæ effluxum menſtruum determinat? ubi ergò in praxi nobis occurrunt curandę virgines *chloroticæ* menſium ſuppreſsione laborantes, quæque laxiorem corporis compagem nactę; pręterea otioſæ vitæ nimis deditæ, ſi ditiores fuerint, vel quæ ſedentario labore victum ſibi quærunt, ut quibus anguſta domi res eſt, & quæ tandem acidorum, dulcium, farinaceorum, lacticiniorum, aliorumque ſimilium abuſu maximé delectantur: In talibus caſibus ad pręſcindendas cauſas morbificas ab omni ævo ſuaſerunt Medici, corporis exercitationem, laborem, motum, vel horum loco *Martialia*, quæ non tantùm *cacochimiæ* geneſi reſiſtunt, ſed & tonum partium roborando excretionem uterinam promovent. Verùm & *Topica* regioni uterinæ extùs appoſita, vel in uterum data, miram opem pollicentur, aliquando, præprimis cùm jam monuerit *Riverius* (a) medicamenta menſes moventia in majori copia eſſe exhibenda; *quia eorum virtus retunditur in via a ventriculo*

(a) *Prax. medic. lib.* XV. *Cap.* II. *p. m.* 372.

triculo ad uterum. Inter hæc autem numerantur fomenta, balnea pedum, crurumque, miſsio ſanguinis a *ſaphena*, & alia a *Boerhavio* recenſita (*a*): Inter quæ ſua laude non defraudanda eſt *lana*, quæ in tegmen uterinarum partium aptum effiсta, & aromaticis uterinis roborantibus odorata ad vulvæ labia cum fructu adhærere ſolet. Sed oportet frictiones iiſdem pannis exercere in pedibus, cruribus, femoribus, *hypogaſtrio*: quem morem *Hypocratis* tempore viguiſſe lego, & qui dein poſterioribus temporibus a Practicis commendatus eſt, hodieque laudatur. Soleo equidem, non omiſsis generalioribus remediis, non modò per ſemihoram fricare partes interiores pedum ad genua uſque cum aſperis pannis *laneis* (*b*); verùm etiam ęgrotantis lumbos, & vicina loca, eadem frictionis actione percurrere, qua parte repunt uterinæ arteriæ. Imò ſetoſis & paulò rudioribus *laneis* petiis ſenſibilia vulvę labia atterere, quò nata in nervulis grata titillatio, & uberior ad partes ſanguinis proventus concitatus, torpentem excitare uterum, inertiæ & flaccida erigere ſtamina, & fluxum menſtrualem ciere tutò valeant. Neque ob aliam cauſam, frictionibus carnium moles adaugetur, atque præprimis ſi ſicciores fuerint, partium ſoliditati conferant (*c*); quam quod aſsiduo vaſculorum attritu collapſa antea vaſcula ſtimulo quodam tendantur; oſcula canalium in ſeſe contracta amplientur, & priſtinam diametrum recuperent: Pręterea ſanguis in capaciores redditos alveos abundantiùs fertur, ſpiritus in nervos affatim quoque impetunt, & ſuborta vividiori partium pulſatione, quidquid vitioſum corpori ineſt, per aſpiratiorem, & laxiorem cutis fabricam, vel per lateraliter patefactos canaliculos feliciter abripitur: Unde eadem ratione futurum eſt, ut in deſide vaſculorum uterinorum ſyſtemate, & languidos uteri canaliculos validiori momento & ſanguis, & cetera liquida per motum frictionis incurrant, atque in laterales, hianteſ-

que

(a) *Inſtit.* §. 1225. (b) *Confer Haller. tom.* VI. *in* §. 1226. (c) *Confer Ariſtotelem Problemat. ſection.* XXXVII. *num.* 3. 5. *ſequent. p. m.* 633. *ſequent.*

que ſectiones ad effluxum inſtaurandum ſecedant, vel ex peculiaribus excretoriis in cavum conceptaculi tacito ploratu depluant.

XLVII. Ceterùm nec adeò infelix, & noxius putandus eſt *lanæ* uſus ad evocanda menſtrua, modò ratione dicta (XLVI.) exerceatur, ubi ſcilicet ſpaſmo affecti ſunt uterini canales: in mulieribus prætereà, quæ temperamento bilioſo donantur, vitam degunt ſedentariam, aut immoderatiùs veneri litant; in quibus omnibus accedente convulſionis ſtimulo, vel venereo *æſtro*, vel ſanguinis intumeſcentia canales ſanguinei juſto magis propriæ dilatationi obſiſtunt, ut aperiri nequaquam poſsint. Illud ſuppreſsionis vitium exaſperari præcipuè ſolet in *Bilioſis* per calida intus adhibita remedia, in quibus pulſus natura major eſt celerior, & conſequenter intra idem tempus plus ſanguinis congerendi ad vaſa uterina defertur: in Pletoricis feminis, per ſiccarum *lanarum* ſpirituoſam frictionem imprudenter adornatam, in quibus naturaliter exſuperanti humorum copia magis citiùſque turgentes uteri ſinus æquabili ad fluxum menſtrualem circuitui viam adimunt prorſus; In ſalacioribus demum per ſtimulantem aſperiorem *lanarum* ſuperficiem; in quibus naturaliter ad genitalia plus humoris derivatur, quàm meare poſſit. Itaque non ſemel expertus ſum, incidente iſtiuſmodi menſium reſtitatione plus profluiſſe ſimplicem mollemque lanuginem Pudendis admotam, & ſimplici emolliente decocto humectam, quám celebria adeò *Pediluvia*. Hęc enim ex *Friderici Hofmanni ſententia* pręſertim eo, quo tempore fluere menſes incipiunt, magis eos ſiſtunt, quam urgent; dum ſanguinis motum ad uterum revocant, inque poroſa pedum ſubſtantia blando humido calore majus pro diverſione ipſius ſpatium parant. Sic quoque pergit (*a*) in affectibus quibuſdam ſpaſmodicis obſervare licuit, quod ab uſu Pediluviorum horripilatio, & frigus univerſum corpus pervadat. Et ſanè horror excitatur, quoties aliquid ingratum applicatur nervis, ſit calidum, ſit frigidum, ſit acre quodvis imó, & ab animi pathemate, & nimia evacuatione.

(a) *Idem tom.* VI. *de remed. benig. &c.* §. XXXVI. *p. m.* 336.

Ita *Gorter* (*a*). Aqua ſiquidem frigida æquè ac calida infuſa inhorreſcimus: Pili in cute inhorreſcere ſolent, tamquam in loco aeris frigidioris incurſui objecto ſiti: Pilorum parva moles horrore affecta rigeſcit, conſtipatis violento affectu porulis, meatibuſque pilorum. Quid plura? Hyeme cum currimus, magis rigemus, quàm cùm ſtamus; cùm aer noſtra corpora ambiens, dum currimus, continuò mutatur, & *atmoſpheram* noſtri corporis calidam aufert: Similiter *exercitati* frigus vehementiùs ſentiunt; & tempore matutino frigus acrius eſt, cùm tamen *Sol* propiùs adſit; quia nimirum calentia vel exercitio, vel tepore lecti corporum foramina *peripherica* frigoris injuriis obnoxia magis redduntur; undè deambulatio matutina, & in vento horrorem inducit. Hæc, & alia effecta (*b*) horroris Pediluviorum uſui ſupervenientis rationem in affectionibus convulſivis innuere id circo videntur, quod cum repetitis illis motibus, villi nervei majorem tenſionis gradum acquiſierint, vix a calore pauló immoderatiori, qui & acre quoddam eſt, impeti ſe ſinunt, quin illicò in abnormes, tremulos, & horrificos motus cieantur.

XLVIII. A menſium intermiſsione ad *hæmorroidalem* in viris fluxum ſilentem devenimus; cui evocando multa pharmaca non intùs modò preſcribuntur a Medicis; verùm etiam non minora locis affectis Topica ſupradari ſolent, ut dura, & conſtricta vaſcula *hemorroidalia* emolliantur, & relaxentur, ut obſtructio removeatur, atque viæ ad beneficam excretionem expediantur; cui intentioni *Sanguiſugarum* morſus infidus plerumque animadvertitur, ut quæ animalia ſtimulo canales potius arctent, quám reſerent; ut quibus poſt ſaturationem decidentibus, niſi partes hæ vapore aquæ tepidæ foveantur, cohiberi ſoleat fluxus, unà cum ſanguinis ad partes ſuperiores infauſto plerumque repulſu. Curioſa ſanè eſt hiſtoria cujuſdam Mercatoris hemorroidibus a longo tempore obnoxii; ſed cui numquam tamen varices ſolutæ profu-

ſo

(a) *Compend. tractat.* 29. II. *p. m.* 114. *tom.* I. (b) *Confer Ariſtotel. Problemat. ſection.* VIII. *num.* 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. *p. m.* 393. *ſequent.*

ſo ſanguine fuerant, niſi in auxilium vocatis foliis ficuum; quibus tumores varicoſi circa *Anum* fricabantur ad ruptionem uſque. Cúm enim inſtituta circa illud tempus, quo *hęmorroides* ipſi emicare ſolebant, hujuſmodi fricatione evacuatio moderata ſanguinis hærentis ita ſuccederet, ut poſtea dolor, rubor, pruritus circa ſedis loca, aut irritus alvum deponendi conatus pertinaciter manerent, cum levi ſubſequente vertigine addubitare cœpi, an tentata ea ratione hęmorroidum laxatio naturam irritando potiùs ad fluxum cogeret, quàm leniendo dulciter invitaret. Hinc hujuſce fluxus prolectionem neceſſariam arbitratus, Infirmo ea topica ſuadeo, quibus non laceſsitis, ſed refocillatis hęmorroidalibus venis, feliciter contingeret ſtatis temporibus cruoris profluvium. Huic ſcopo commendavi laxantium, & emollientium vaporem blandum ano excipiendum; item *Pediluvia* cum prægreſsis partium infernarum frictionibus. Sperabam equidem indè fore, ut lotis pedibus, & obſequioſis fibris ſubcutaneis, & poroſis per vaporem humidum facilior liquidorum ad imos canalium truncos fieret, & e quibus *hęmorroidales* venæ proficiſcuntur. Verùm ſive ob inductam fluidis ſubitam rarefactionem, liberum eorumdem exitum inhibentem; ſive ob nimium, tepida humiditate flacceſcentes, & patulas venulas, quæ proinde concluſum intra ſuos ſurculos cruorem minùs exigerent, pellerentque (niſi enim a tergo ſanguinis ſuccedens columna antecedentem urgeat, nulla ſuccedet evacuatio); Id unum ſcio prælaudata topica parum, vel nihil ægrotanti profuiſſe; donec neſcio quo ſydere tibialia ex ſtamine, & craſsiori *lana* parata continuò uſurpans ſponte ſua ſanguinem ex prædictis venularum orificiis ſtato tempore manare animadverterit. Pergit veró iſta expurgatio, nec ullum detrimentum ægrotanti affert, cúm antea levi vertigine ſuccedente ſtiparetur ſemper. Pergit, & quoque ęger iiſdem tibialibus *laneis*, infimas corporis ſui partes ad uſque crura cautè contegere, quorum efficaciam per experientiæ fidem, nulla autem ratione prævia, edoctus eſt. Quid autem illud ſit, quod in iſto Tibialium genere omnium remediorum localium virtutem in ciendo hemorroidali fluxu ſuperaverit,

raverit, equidem non video. Niſi malueris, numquam intermiſſum per appoſitionem hujuſce tegumenti fotum partium inferiorum tacitam cruoris in venas ſedis derivationem advocaſſe, quæ determinato dein tempore intra venas accumulata, eadem manente vi vitæ, hærentem humorem feliciter adeo protruderit.

XLIX. Poſtremò nonnullis hominibus ſolent peculiari vitio pedes affligi, præcipuè autem poſt curſum, exercitationẽ, continuam ambulationem: Scilicet initio torpent artus, levi fugacique horrore idemtidem redeunte torquentur, ſuccedit frigoris ſenſus cum quadam *Formicationis* perceptione comitatus, pallor pedum ſeſe adjungit, & notabilis ad motum tarditas. Cui vitio ſi non maturé occurritur, periculum eſt, ne noxa, in principio levis, in *paraliticã* dein partis affectionem tranſeat. Quem affectum cùm comperiſſem, iis Religioſis familiare eſſe, qui mendicatò vivunt, atque *a Solis ortu*, ut ajunt, *uſque ad occaſum* ambulando, victum quęritant; ſciſcitatus idcirco ab iiſdem tantæ indiſpoſitionis auxilium, accepiſſe recordor medelam certam, tutam, & efficacem in eo morbo, panniculam præbere *laneam* imprimis, ſiccam, calidam, reverſi domum, vel cœnobium pedibus advolutam. Illicò enim oborta ſudatione, quod frequenti fibrillarum motitatione comprehenſum immotumque erat, liquatur, & patentioribus factis cutaneis meatibus, patenti de ſuperficie egreditur. Jam dudum enim obſervaverat Vetuſtiſsimus Author *Alexander Aphrodiſeus* (a), quód tam pili pedum, quam *Pectinis* ſerò caneſcant, quia nimirum albor pilorum ab immeabilitate pororum æquali robore lucis radios reflectente enaſcitur, atque materiem pinguem ductulos obturantem non temerè agnoſcere videtur. Porrò pedes per continentem ambulationem craſſum pilorum nutrimentum abſumunt, & pubis calidiora loca in veneris campo collocata lentum illud crinium pabulum digerunt. Quod ſi canitiei cauſam in ſuccum pili fabricam interiorem perluſtrantem refundere velis, qui coagulatus, vel ſpumeſcens, vel quo-

(a) *Problemat. lib.* 1. *num.* 147. *p. m.* 698. 699.

quo modo alteratus (*a*) albedinem efficiat, habebis probabilem rationem, quare corporis infima, pubeſque rarò incaneſcant: Fortè quòd præ exercitio, & calore partis ſuccus e bulbo capilli emergens, nec juſtò denſior, neque rarior cùm ſit, poros æquabiliter repleat, uniformi niſu ſpatia diſtendat; undè emiſſariorum oſcula debitè ampliata, ſuperficies æqualis, & mollis paucorum radiorum reflexioni inducendæ aptiora futura ſunt, ſeu, quod idem eſt, color naturalis pilorum niger in prædictis partibus diù manſurus eſt. Haud ergo ſine cauſa divinus ille *Cous* Medicos monuit, ne quibuſque in febribus *pedes ſint reliquo corpore frigidiores*, utque ne perfrigerentur, *vel ceratis integendos*, *vel faſciis obvolvendos* juſſerit; (*b*) quidquid enim *Baglivius Hyppocratis* Magni ſcimiola de ſemper laudando pedum calore in morborum medicatione, eoque promovendo in ſcriptis ſuis inculcat, & eruditè commonſtrat, ut quorum plantę mirum cum toto ſiſtemate nervoſo, & membranoſis partibus commercium, & arctam unionem præſeferant, (*c*) illud omne bonam, laudabilem, ac ſalubrem fore oſtendit, tutam parabilem, & facilem *laneam methodum*, quę nativum illarum partium calorem ſuo contactu ac appreſsione foveat: Planè ut conſtet, faſcias villoſas, & ſimiles corporis amictus ubi pedibus de induſtria, & ſemper cum Medica limitatione, induuntur, obſtringunturque, numquam propria carere laude, quin eam pollere virtute, quę deducendis ad ima nimis furentis ſanguinis fluctibus capitique infeſtis, digerendiſque in pedibus, impactis materiis, fomitique noxio cuique ſufficiat, nec umquam a ſcopo Medici aberret. Equidem, ut vitium pedes invadens, & cum incredibili tortura tenens commemorem in ipſa Podagricorum inſultuum violentia, levamen artis poſcente, vix inter externa remedia quicquam preſtantius eſſe inquit *Vverlhof* (*d*) *levi tegmine laneo*, *&* *patientia*. Legantur, & conferantur quæ ſupra dicta ſunt (*e*).

CAPUT

(a) *Chirach. ſur les cheveux p. m.* 317. 318. *ſequent.* (b) *De acut. num.* 10. 30. 42. 43. (c) *Specim. lib.* 1. *p. m.* 261. (d) *De laudib. medel.* §. VI. *p. m.* 29. (e) *In prę́ſ. cap.* §. XXXVII. *num.* 2.

CAPUT XIV.

CONCLUSIO OPERIS.

QUæ adorandi Conditoris noſtri mira ſagacitas in Naturæ minimis ad pompam uſque oſtentationemque elucet; eadem domeſticis remediis jam plebi notis, & quotidie viliſcentibus, in Humani generis ſalutem incredibilem efficaciam conceſsit. Hinc eſt, quod famigeratiſsimus *Fridericus Hofmannus* peculiari diſſertatione de remediis domeſticis agens, eorumdem præſtantiam adſtruere aggreſſus ſit (*a*). Experientia enim ſuffultus ille, confidenter adfirmat vernacula, parabiliora, & domeſtica omnibus nota auxilia medica viribus, uſu, atque utilitate varia compoſita pretioſa, & magno labore conquiſita arcana longiſsimè antecellere, & in ſanando longè certiorem, & tutiorem effectum illis promittere. Simile quid demonſtrandum ſuſceperat ſingulari tractatu illuſtris *Boyleus* (*b*). Qua re permoti preſenti noſtro labore ob oculos ponere, quid in *lanearum* veſtium uſu commendari; quid rurſus noxæ periculoſus earumdem abuſus afferre poſſet, conati ſumus: Ut quantúm homines a remediorum farragine ſibi cavendum ſit, & qualẽ in purganda a ſordibus inheren-

(a) *Tom.* v. *p. m.* 363. *ſequent.* (b) *De ſimplic. medicam. &c. apud mangett Bibliotch. ſcriptor. tom.* 1. *l. c. littera.* P.

hęrentibus cute per adhibitam frictionem *laneam*, tuendiſque ab noxio frigore corporibus, curam impendere debeant, ex adductis pluribus Vetuſtorum, & Recentiorum exemplis, atque noſtris hiſtoriis, & animadverſionibus intelligant. Et quamquam id vitio *laneis* pannis verti ab omnibus videamus, ut miaſmatum peſtilentialium, & ſuccorum corpuſculorumque extraneorum per aera vagantium aptiſsimum promptuarium exiſtant: Indé tamen potius argumento deducendum arbitror, Naturæ conſilio factum eſſe, ut lanigera cuncta per ſuſceptum, indeque ſparſum in Mortales virus certó certiùs nocitura; ita demum omni virulentia ſpoliarentur, ſi ventilentur, & ſedula vigilantia ad publicæ incolumitatis tutelam ſuffiantur, ſicque labi adventitiæ, & abſconditæ ſeduló occurratur. Quemadmodum enim recipiendis venenatis radiis præ cæteris omnibus corporis integumentis aptiſsima *lanea* cenſentur; ita quoque ſugendis beneficæ ſuffumigationis halitibus omnium opportuniſsima habentur. Nemo igitur poſthac de *lanei uſus ſalubritate* dubitabit, modò intaminatæ ſimpliciſsimi remedii ſimplicitati credere velit; ubi nimirum laxantem unà, & ſtimulantem velleris corpori ſuperſtrati virtutem; cohibitam inſenſibilem tranſpirationem morborum occultiſsimorum etiam feraciſsimam; innoxium *lanæ* incumbentis vaporem, & gratum pruritus, titillationiſque nervorum cutaneorum ſenſum; tum ſequuturam indè diviſionem, & attritionem materiæ tranſpirabilis, cujus morboſa ſpiſsitudo chronicos morbos ſuſtentat; tum alia *laneorum* pannorum ſalutaria effecta, ductuum ſudoriferorum, tranſpiratoriorumque obſtructorum infarctorumque reſerationem, atque ſanguinis circulum per tubulos extimos ęquabiliorem, & faciliorem inde redditum candida, & ab omni alieno *hypotheſium* caſta contagio mente intueatur.

Sed quid me in *lana*, ut fertur, *caprina* inſudantem in colligendis fructibus Medicis nimium, in hiſce digerendis laſſatum penè, in commendandis exhauſtum; Oſoribus, qui pro ſua quam ſuperciliosè ſibi arrogant authoritate, & licentia aliorum opera faſtidiunt, deridentibus, ipſe regeram? Quî quæſo illis, quibus tam vaſta pompoſæ oſtentationis materies medica, tam laborioſa pharmacia, tædioſa

adeo pharmacorum preparatio, tam demum operoſa placet chemia, qui Arabum ſequuti morem, dedita id agunt opera, quo artem ſalutarem ex ſe longam nimia remediorum *Galenicorum* farragine opprimant, ſupervacanea induſtria auxiliorum nativam indolem deturpent, ſordida auri cupidine, quæ arcana ſua *thraſonicè* jactitant, celent; qui demum remediorum formulis nimium confiſi, magni erroris flagitio corruperunt Artem, atque confictis ſuis *Armamentariis*, *Diſpenſatoriis*, *Pharmacopeis* largi tribuunt, quam ſimpliciſsimis, & ex nuda natura petitis, nec perſonatis præſidiis Medicis ademptam læti ferunt gloriam: Qua, inquam, ratione hiſce hominibus ſatis noſtris hactenus exantlatis laboribus fieri poſsit? Non eſt hic tractatus, fateor, talis, qualem vellent; faſtidioſa remediorum ſupellectile onuſtum, atque decantatis multiplicium pharmacorum formulis ſplendidum: Verùm qualem certé exigebat Sancta noſtræ Artis ſimplicitas, quæ ubi integra puritate colitur, ab omni admirabili abhorret, & viliſsimo in ſpeciem, eoque facillimo, remediorum apparatu vitam tuendo atque ſanitatem, ab injuria morborum tutos præſtare mortales unicè ambiat: Sed qualem Principum in Arte Virorum, quos gloria eximios vel ipſa clamat invidia, medendi ratio commendat, cujus ope expurgata compoſitorum remediorum fæce, & abrogatis fictis omnibus pharmacis, inutilem medicaminum ſcientiam generosé repudiarint: Sed qualem demum ſinceri candidique Profeſſores Medici deſiderarent, qui duce Medicinæ Parente, & ſaniorum Vetuſtiorum facilè principe *Hypocrate*, ſic in factitanda exercendaque ſeſe gerunt, ut auxiliorum paucitate contenti, & inanem medicamentorum copiam reſpuentes, alternam balneorum, frictioniſque vicem in omnibus ferè morbis cautè adhibitas omne punctum ferre confiteantur.

Huic ergo communiori in ſanandis ægrotantibus methodo, quæ in præcedentibus Capitibus de uſu, & abuſu villoſe in cujuſque veſtis re medica fusè proſequutus ſum, ſuper ſtruxi; ratus agendi *Gnaro* raram remediis penuriam; ratus cum *Sanctorio* ex cohibita ſalubri perſpiratione, multos eoſque facie diverſos ſuccreſcere morbos, qua radice ſucciſa ſepiſsi-

piſsimè evaneſcere; ratus cum *Antiquis*, *&* *Sydenhamo* in morbis nihil agendum, nihil eſſe tentandum, niſi natura monſtrante viam; huic in univerſum opitulari medentem; ubi laxa ſtringit, adſtricta laxat, ſpiſſos, & impactos humores diluit, atque humectat; ratus demum ex noſtris ſupradictis experimentis, moderatum laneorum indumentorum uſum, ſetis prurientibus ſolida ſtimulare modò, modò verò coercito tranſpirabili, conſtricta fovere, & emollire; ſicque concuſsione mechanica per frictionē adjuta, torporem, indeque varias morborum ſpecies enatas excutere; interdum tamen electa *lanæ* ſpecie tenerrima & mollisſima, ſubjectam cutem, humectari tantùm, & ſtricturas, ſi quæ ſint, ſolidorum in corporis habitu vapore humido removeri. Quare omnium huc uſque dictorum a nobis ſummam paucis hiſce tene: quòd habeamus alimenta, & operimenta, ſatis abbundè eſſe; abjectam proculcatamque in ſpeciem *lanam*, ſimilemque materiem, quibuſque aliis pretioſis indumentis prȩferendam meritò eſſe, imó longé extimabiliorem ipſo ciborum delectu in praxi habendam; ut quæ ſine Sellæ uſu nullo negotio, monente ſenſu, necnon corporis ita compacti conſarcinatique ſequente levamine dietam ſola præſcribat, exercitia definiat, ſomnum, & vigiliam moderetur, & præclariſsimo *perſpirationis* uſu in Medicina gaudens, non modò ad acquirendam longȩvitatem, aut ſanitatem conſtantiſsimam obtinendam, ſed & morborum cognitionem indagandam, & curationis indicationes multó faciliùs eruendas utiliſsima ſit. Hȩc, & alia ex periculis noſtris ſponté fiuunt, praxi Recentiorum ſaniori quadrant, Antiquorum monumentis apprimè conveniunt. Quæ ſi moroſi Lectoris judiciis non adprobentur, at ſudoribus noſtris, conatibuſque interim æqui bonique conſulant, humaniores viri, quibus compertum eſt, quàm tardum quàmque difficile ſit intricatum, obſcurum magna parte opus, & a nemine hactenus excultum polire ita numeris, ut omnibus abſolutum, ſatisfaciens emergat Univerſis. Non ignarus aliquid molientium veriſsimæ laudis felicitatem eorum, quantum potui, æmulari ſtudui, de

quibus ſcripſit *Hallerius*: *Felices illos*, inquit, (*a*) *qui unam minutam de hyſtoria rerum creatarum portionem ſibi decerpunt, in hac laborant unicè, eam undique verſant; torquent ratione, experimentis ſcrutantur, donec veritatem fateatur nudata conando Natura*. Hanc ſi aliquando perdidimus ducem, non illius, ſed ingenioli noſtri vitium eſt. Hujus enim calcare ubique veſtigia prudentis eſt; penitiſsima in agendo myſteria rimari velle audacis hominis eſt; ſimpliciſsimam, pulcherrimamque ejuſdem operandi rationem in medendo ſcrutari, Medici ſanioris eſt. Itaque, hiſce noſtris lucubrationibus fuere L. B. & quam inceptis, auſiſque tribuere nolis; candidis tamen noſtris in publicam utilitatem conatibus laudem ne dedigneris; quippe eo unicè conſpirantibus, ut *utilitatem juvandi pręferre* maluerimus gratiæ placendi (*b*), & illa quidem nihil jucundiùs, nihil antiquiùs veritatis Indagatori; hæc verò aut ſilentio aut diſsimulatione, aut obliqua obtrectatione poteſt imminui.

FINIS.

(a) *In prefation. tom.* v. *part.* 1. (b) *Plin. in præfat.*

JOSEPHI DEMARCO

Medici Melitenſis Philoſophiæ, & Univerſitatis Monſpellienſis

MEDICINÆ DOCTORIS

DISSERTATIO DE COCHOLATA,

Ejuſque Uſu, & Abuſu IN MEDICINA;

Ubi inquiritur etiam:

An Potione *COCHOLATÆ* Jejunium Eccleſiaſticum frangatur.

Melitæ in Palatio, & ex Typogr. C. S. S. 1760.)(Sup. Fac.

PRÆLOQUIUM.

QUod olim Macedonibus Alexandri Militibus in Babilonia conſiſtentibus; quod ſubſequenti inde ſæculorum ſerie *Annibali*, ejuſque exercitui in Campania hybernantibus accidit: Illud Hiſpanis novum Orbem ingreſſis contigiſſe mihi videtur univerſum. Inter enim Babilonica flagitia exercitus ille Domitor Aſiæ per triginta quatuor dies ſaginatus [*a*] ſe cum moribus Babiloniorum corruptiſſimis, perditoque ingenio ita temperaté compoſuit; veſtitum, Gentis more, ſermonem, ceterum cultum, imò nefandas Illorum illecebras ita adamavit, ut quem ferro priùs, æreque tantum fulgentem ſuſcipiens expaverat Aſia, muliebriter deinde cultus Hoſtis, luxuque enervatus, ad ſubeunda belli diſcrimina debilior fieret: Ex altera parte delinierat militum *Carthaginenſium* animos *Capua* inſtrumentum omnium voluptatum, averteratque a memoria Patriæ; jam illa ubertate camporum fruentes laſciviebant, jam intempeſtivis epulis, & perpotandi licentia dies noćteſque effrenis conſumebat miles; quandó Marius Romanorum Conſul percunćtando ſolúm hoſtem vincere decreverat. [*b*] In ſumma, nullus locus diſciplinæ Militari *Carthaginenſium* magis nocuit, qui in peregrina, vićtarumque gentium mala eoſdem impulerat. Ita nihil *Americæ* moribus corruptius, neque ad irritandas, illiciendaſque immodicas delicias inſtrućtius umquam *Europæis* fuit. Dum enim bello parti novi Imperii potiti Indorum Domitores Hiſpani commune conculcatumque ubique in illis Regionibus, argentum, occurrentes paſſim auri fodinas admirantur; dum Indorum Reges aurea lećticâ margaritis circumpendentibus recubantes; Regiæ auratas columnas; tapetes auratos, intextas auro veſtes, effićta in auro Idola, laquearia laminis aureis; Deúmque ſimulacra ex auro obrizo conflata, aureas Palatiorum venationes, ſoleas Equorum auro quoque puro; univerſa denique loca vel auro lita, diſtinćta gemmis, unionumque conchis, vel intra vaſtiſſimas ſpecus abditum metallum gerentia, illudque eruendum parvula molientium operâ, vel in montes aureos, colleſque aſſurgentia oculis percurrunt: [*c*] Dum, inquam, indicibilem hujuſmodi opulentiā, inexplicabilem luxus magnificentiam, & Populorum inviſam ad uſque illa tempora, bonorum omnium affluentiam ſtupent, divitiarum ſacra fames, tantaque cupido inceſſit, ut Indis, invićti priùs, nunc auro eorū vincerentur, totique in conquirendis, & ac-

[a] *Quint. Curtius de reb. geſt. &c. lib.* v. *cap.* v. [b] *Titus Liv. hiſtor. decad. lib. cap.* [c] *Conf. varios hac de re Auctor. ut* Gomara *hiſtoire des Indes livr.* 4. *chap.* 120. Nouveaux *memoires &c. tom.* 11. *l. c. par Louis le Comte de* la Loubere *du Royaume de Siam ann.* 1687. 1688. Relazion *des Amazones Journal &c. ann.* 1673. 1687. *&c.*

& accumulandis opibus incumberent, qui priùs novas haſce Mundi oras ſubacturi glorioſè tantùm veniſſe viderentur. Sed ut ſunt ubique hominum ingenia in vitia quæque facilia flecti, omnia Hiſpanis in externum lapſa ſunt morem. Domita enim Indorum Gens omnis luxuriæ commercium in Europæos vulgare; varias Gulæ illecebras oſtendere; condimenta peregrina jactare; *Zinziberata*, *Piperata*, & alia id genus aromatica irritamenta offerre; *Thè*, *Caffè*, inaudita priùs verba, ſorbitionis ad inſtar uſurpata prædicare; & quod ad rem noſtram magis pertinet, *Cacao* ſemina, Cinnamomum, Saccarum, & ex iis vel ſolis, vel aliis commixtis pharmacis varias confectiones in uſum noſtrum invehere. Inde factum eſt, ut poſtremo loco indicatis rebus conſurgens mixtura [*Cocholatam*, vel *Succolatam* vocant] non ſolis Americanis, ſed & Europæis jam ſit familiaris. Jam quæ apud *Indos Cocholatæ* paſta vigebat, quæque Suibus ſaginandis, quàm hominibus alendis aptior eſſet, hodie ab Hiſpanorum induſtrioſa in hac re luxuria reformata fuit, adeo ut [a] ſalubriorem, & ſuaviorem ex illa potum reddiderint.

Itaque de hac potionis ſpecie in præſens acturi, ut ordo dicendorum clareſcat, totum negotium in tria capita dividemus. I. Compoſitionem *Succolatæ*, quantum ad ſanitatem pertinet, ejuſque principiorum virtutes aperiet, detegetque inde ortam mixturæ efficaciam. Alterum, ſeù II. uſum, & abuſum *Cocholatæ*, tam in tuenda valetudine, quàm in nonnullarum affectionū medela enucleabit. III. denique: Quid ſorbitio hæc ad Jejunium Eccleſiaſticum ſolvendum conferre ſoleat, vel quibus Eccleſiæ finibus in jejunio Fidelibus præcipiendo obſtet, præmiſſa jejunii excellentiâ, & dilutis Adverſariorum objectionibus, enodabit. Quæ etſi partim ab Auctoribus præſtita, partim ſub aliorum fide narrata, partim ab Nonnullis adumbrata leviter ſint, qui de *Cocholata* ſcripſerunt; Tanti tamen eſſe minimè videntur, ut noſtras, qualeſcumque fuerint, de hoc argumento, aſſertiones in medium proferre abſtineamus, atque in lucem eductas elencticis peritiſſimorum Virorum meditationibus lubēter, & abſque invidia ſubjicere; Vt quod mancum fortè, ſuppleant; quod deſit, addant; quod inutile tollant; ſicque *Veritati*, quam ſemper quæſivimus, pleniſſimè ſatisfaciant.

---

[a] *Hecquet Diſpence du quarême tom.* II. *chap.* XI. *par.* III. *p. m.* 348.

CAPUT PRIMUM

De modo conficiendæ SUCCOLATÆ, deque virtute, & qualitate principiorum ejus, & de compoſitæ inde Paſtæ præſtantia.

I. Mittimus ſtatim in limine Auctorum circa *Succolatæ*, vel *Cocholatæ* ethimologiam ſcrupuloſiùs verſantium diſquiſitiones, atque inutiles nomenclaturas. Sive enim *Cocholatæ* vocabulum Indicum a ſono, quem effervecens decoctum efficit, quique apud Americæ Accolas *Coco* audit, & ab aqua, nomine *Atte*, vel *Atle* veniente, cum nonnullis efformaveris: (*a*) Sive cum *Du Four Cocholatam* appellaveris, quaſi *Cacao-aquam* diceres; (*b*) perinde ad rem noſtram eſſe videtur, ut quibus denominationibus tamquam pompoſâ potiùs, quám utili eruditione, nihil bonæ frugis in Artem Medicam redundare valeat.

II. Vulgaris, & uſitatus apud omnes Regiones modus *Cocholatam* præparandi ſequens eſt: Recipiantur nuclei *Cacao* excorticati, toſti, & in mortario in paſtam ductilem, ſequacemque redacti; huic paſtæ parum ſaccari unà coquendi admiſceatur. Hæc eſt *ſanitatis*, ut ajunt, *Cocholata*. (*c*) *Pariſienſes* cinnamomum, & *vanillam* addunt: ſed poſterior in deſuetudinem abiit. Hinc eſt, ut confectio *Cocholatæ* odoribus, vel acrioribus condimentis refertæ, vel apud Americanos, vel in quibuſdam Hiſpaniæ plagis tantúm vigeat. *Indi* enim, ſi Hiſtoricis adhibenda fides eſt, non ſolùm *Cacao*, ſaccarum, cinnamomum, & vanillam, ut moris eſt, uſurpant; verùm etiam pipere Mexicano, cariophillis, arboris cujuſdam Indicę ſucco inſpiſſato, & coccinei coloris, amygdalis, Corili cujuſdam fructibus, aliiſque rebus paſtam inficiunt. [*d*] Quod ad Hiſpanos attinet, eos *cariophillorum*, *ambræ*, & aliorum aromatum uſui in *Succolatæ* præparatione nimiùm indulgentes lego. [*e*] Quemadmodum autem unica eſt, & valetudini accommodata *Succolatæ* confectio, quam ſupra indigitavimus; ſic coquendæ ejuſdem, & ſorbendæ methodus præ reliquis, quæ apud Auctores proſtant, (*f*) unica quoque eligenda eſſe videtur; quæque in eo conſiſtit, ut certa menſurâ inditæ in ſpecialis figuræ olla, & eo loci ebullienti aquæ; paſtæ noſtræ determinata doſis in ſcobem, vel pulverem redactæ adjiciatur; adjecta bulliat; ebulliens inſtrumento ligneo denticulato agitetur, donec ſpumeſcat: quo non fervens, non frigida, ſed tepida propinanda potio ſit.

III.

(a) *Le Fevre de Cocol. cap.* VII. *p. m.* 27. [b] *Traittèe du Chocolat. p. m.* 309. [c] *Spèctacle de la natùre entret:* XV. *tom.* II. *p. m.* 406. (d) *Vid. du Four ibid. chap.* 1. *p. m.* 312. *ſequent.* [e) *Spectacle de la nature tom.* 1. *p. m.* 491. [f] *du Four ibid. p. m.* 362. *ſequent.*

III. Quandoquidem *Cacao*, *ſaccari*, *cinnamomi*, & aliquando *vanillæ* compoſitionem *Cocholatæ* ingredientium meminimus: Exigit rei dignitas, ut de ſingulis aliqua tradamus; initium ab intritæ hujuſce velut baſi ſumentes, ab nucleis, inquam, *Cacao*. Non loquor de arbore, quæ ſemina hæcce in America producit. Neque verbum addam de multiplici *Cacao* differentia; de hiſce enim conſulatur *du Four*. [*a*] Illud tantùm dicam: Nucleos hoſce pingui oleoſaque ſubſtantia abundare, præprimis ſi maturi de arbore colligantur, inde terantur, exprimanturque. Ita enim inquit *Boerhavius*: (*b*) Si *Cacao* optimi libra trita cum octo libris aquæ cocta ad craſſitiem pultis fuerit; ablata pinguitudo collecta & frigefacta ſebi inſtar, uncias dabit ſeptem talis olei: unde mira in ſemine hoc pinguis copia præſens intelligitur. Sed & ſcitur etiam, quare foliis exareſcentibus deciduiſque, floribus jam emarcidis, fructus *Cacao* maturus, perfectuſque collectus feré ſponté dilabatur; Quare, inquam, dum fructus ille ita de arbore cadit, tunc, & non alio tempore pingui materia turgeat, itaut nativum oleum aggregatum emineat, ceteriſque partibus prædominetur? Quia nimirum, virente planta, motus aquoſorum humorum promovetur, ſalia circulantur diluta, terræ partes interponuntur, unde olea ab unione, & miſcela ſuarum partium arcentur. Demum largior oleoſæ ſubſtantiæ ex *Cacao* toſto, & in igne agitato quam ullo alio tempore habetur copia; propterea quòd inter torrendum, terendumque intermixti oleoſi globuli, avolante aquoſiori parte, ſui juris fiant; partes terreæ, & ponderoſæ frangantur, & a ſe mutuó ita divellantur, ut nidulans & incarceratum pingue detrudant, expellantque ſurſum. Hinc eſt, quód ebulliens *Cocholata* pinguem ſpumam ſuæ ſuperficiei inhærentem copioſiorem fundat, præcipué ſi eo, quo diximus, inſtrumento (II.) moveatur perpetuò. Hinc eſt, ut finita ebullitione, terreſtrior *Cacao* ſubſtantia crateris fundum petat, ubi hic potus paratur, & eo loci reſideat, velut abjecta ſeminum pars. Non albeſcit verò *Cacao* ſeminum in aqua coctorum mixtio; non quòd oleum deficiat, vel quód illud aquæ connubio deſtituatur ad conficiendam ſaponis candidam ſpumam; ſed quòd ſpontè flaveſcat, atque flavedinem præ ceteris coloribus vehiculo impertiat. Notum enim eſt, quód quotieſcumque olea minutim diviſa, hinc latentia, miſcentur aquæ, toties albus color exoritur; (*c*) Verúm flavedo in oleo *Cacao* indicat vel craſſitiem partium pinguium, vel earumdem ad ranciditatem majorem diſpoſitionem: Antiquiora quippe olea ùt flaveſcunt, ita ranceſcunt: recentia verò dulcia ſunt, & alba.

IV. Nunc autem de virtute *Cacao* ediſſerentes, dicimus, eam in oleoſa eadem largiori ſubſtantia ſitam eſſe univerſam. Quippe terrea ſeminum pars nequaquam ſorberi ſolet, ſed veluti fex in fundo ollæ reſidua negligitur. [III.] Inde *Cacao* crudum, craſſum ſuppetit nutri-

(a) *ibid. p. m.* 312. *ſequent.* [b] *Chem. tom.* II. *proceſſu* XXII. [c] *Boerhav. chem. ibid. p. m.* 61. *num.* 4.

trimentum, ſanguinem inſpiſſat, ut humores craſſiores efficiat, obſtructiones gignat, & pallidum virginibus colorem inducat [*a*]. In genere autem ſapor amarus, & oleoſa *cacao* portio ignis effecta ſunt, quo defectus probæ mixtionis inter principia fructus *cacao* immaturi ſuppletur; oleum ſeparatur, accumulatur, butyri in ſpeciem emergit, & inſipidus fructus, ſapidus redditur. Quamobrem ſi guſtus, criterium eſt efficaciæ vegetabilium, (*b*) ſequitur, *Cacao* nucleos, quales ad *Succolatam* adhiberi conſueverunt (III.) inter amara, & oleoſa remedia recenſendos eſſe; ob nimiam ſcilicet, & craſſiorem pinguedinem, quam fundunt, & proptereà quòd accedente in Bilioſis, ingenti ventriculi calore, in rancidum vergant, & hominum ſanitati perniciem afferant. Novi micas aliquot olei, ſeù butyri, quod e pulte nucleorum *cachao*, in aqua ebulliente aliquandiu decocta colligitur, plurimum ab nonnullis laudari in leniendis pruriginoſis papulis, quæ ab affrictu unguenti *mercurialis* (*c*) ad loca piloſa contingere ſolent. Verùm inde non colligitur, recentiſſimum licèt & blandiſſimum *cacao*, oleum, ignis tamen adminiculo, tritu, & bilis effervefcentia in acre, & rancidum degenerare non poſſe. Saltem illud nobis ultrò dent *cacao* pinguedinem, in hominibus otioſam, & umbratilem vitam degentibus ſtomacum gravare, vires ponderoſiori nutrimento potiùs opprimere, quàm inſtaurare. Calidis autem, & bilis æſtu turgentibus viſceribus affuſam, indeque in ſanguinem remeantem pinguedinem illam alia ratione nocere poſſe conſtat; dum illud oleoſum ſanguini impensè calenti admixtum, & unà cum eo per corpus circulans, vaſcula minima ſuo lentore obſtruit, & impedit quominus ceterorum liquidorum moles per ſuos canaliculos æqua ac priùs facilitate percrret: unde ſæpè poſt *Cacao* ita præparati ſumptionem levis fugaxque dyſpnea utentes vexat, quod in memetipſo non ſemel obſervavi, obſtructis ſcilicet ea ratione pulmonalis arteriæ ultimis anguſtiis, dilatatis earumdem principiis, compreſſis adjacentibus cellulis, coarctata harum capacitate, & intercluſo irruenti aeri libero intra præcordia aditu; Inde factum eſt, ut poſt *Cocholatam* aquæ cyathum ſumant, quibus cordi eſt valetudinem ſartam tectamque tueri, ne fortè quod glutinoſius in ea ſorbitione eſt, ullibi ad pulmonum plagas ceſpitet, & noxiè offendat, difficilem reſpirationem concitaturum. Non ergo improbandum quod *Antonius Colmonerus* Medicus Hiſpanus (*d*) de feminis Indis meminit, eas crebra *Cacao* maſticatione viſcerum obſtructiones contrahere; eo enim abuſu, quod de oleo amygdalarum dulcium in omnibus morbis a vulgaribus Medicis promiſcuè adhibito, alibi quærebatur *Baglivius*, [*e*] idem contingere poteſt, nimirum ſimilium laxantium imprudenti methodo, ut dejecto ſolidorum fluidorumque tono, & retardato humo-

(a) *du Four ibid. p. m.* 325. [b] *Abercrombius*, *Clavis &c. in præfat. lib. cap.* (c) *Aſtruc. de morb. vener. lib.* IV. *cap.* VI. *p. m.* 465. [d] *Apud Joann. Bapt. Felici*, *Parere intorno all'uſo della Cioccolata &c. p. m.* 17. 18. [e] *de Morb. ſolidor. p. m.* 312. *&* *diſſert.* II. *p. m.* 317.

humorum ubique decurſu, ad morbos chronicos, cachexiam, hydropem, latum pandatur iter.

V. Verùm, quum conſtans opinio ſit, *Cacao* inter *Nutrientia* numerandum eſſe, Tabidis, emaciatiſque plurimùm favere; videndum, (*a*) quomodo iis opem ferat. Enim veró, quamvis per *Stubbi* experimenta conſtitit, [*b*] ex unica nucleorum *Cacao* unciam plus oleoſi, quàm ex libra integra carnis bubulæ elici; inde tamen minimè conficitur, ut voluit ille, ſemina hæc plus alere, quàm carnem bovillam. Diſtinguendum namque eſt, inter *nutritionem*, & *impinguationem*. Ad priorem requiritur, ut continuó tantum & tale corpori addatur, quantum & quale deceſſit: (*c*) quod fit, dum ingeſta propriam naturam exuunt, & induunt naturam liquidorum humanorum, ut primò in chilum, mox in ſanguinem, inde in liquida tenuiora convertuntur. In poſteriori autem caſu accedit quidem ad naturale pondus corporis *pinguedo*, ſed ea ſanguini laxè commixta, & velut fluctuans in cellulis deponitur, & ibidem aſſervatur, abſque eo quod in ſanguinem abeat: unde paucus ſanguis *Obeſis* ineſt. Si igitur homini pallido, & exangui oleoſa ingeras, reples quidem, ſed non nutries; tantùm fortè addes, quantum abſumptum eſt, ſed non tale: cibus enim non eſt neceſſarius ut vaſa repleat; neque nutritio canalium repletione perficitur, ut voluit *Deidierius*. (*d*) Quamobrem *Cacao* pinguefaciendi potiùs, quàm nutriendi conceſſa videtur facultas: Juſculis autem carnium vera & genuina alendi poteſtas debetur, ut quæ ſuccum omnes nutrimenti dotes in ſe habentem [*e*] ſuppeditent; blandum nempe lymphaticum, gummi ſoluti ad inſtar adhærentem, levem, mutilaginoſum, & in ſubſtantiam animalium facilè mutabilem. Quod autem ex ſeminibus *Cacao* exprimitur, amarum eſt, [IV.] vel ſaltem præparatione tale fit, rurſus ſalinum eſt, [*f*] oleoſum, reſinoſum, & inflammabile; ponderoſum præterea, & vehementia ignis, violentoque tritu attollendum; & demum in cellulis membranæ adipoſæ, tamquam in propriis receptaculis, coercendum: Quare valentibus ſaltem hominibus optimum præbere poteſt nutrimentum. Quid ergo? An omnibus promiſcuè conveniat? Vt ſentit *du Four*. [*g*] An ſemina *Cacao* calidi temperamenti homines refrigerent, frigidi autem temperamenti calefaciant? ut nonnullis viſum eſt. [*h*] An eadem adſtringant, an verò laxent? [*i*] An alimentum calidum unà, & humidum corpori ſuggerant? [*k*] An refrigerent, & leniant, ut amygdalæ? [*l*] Hæc, & alia quæſita ex enarratis modò ſatis eluceſcunt, patetque ad ea reſponſio.

VI. Succedit examinandum *Saccarum*; [vide ſupra III] quod an ſit

ſal

(a) *Conf. le Fevre ibid. cap.* VIII. *p. m.* 30. (b) *Journal des Scavans ann.* 1666. *tom.* III. (c) *Sanctor. ſtatic. Aphor.* I. [d] *de Nutrit. lib. cap.* (e) *Memoir. de l'Accadem. &c. ann.* 1730. *tom.* I. *p. m.* 312. [f] *Geofroi Mater Medic. tom.* II. *p. m.* 412. (g) *ibid. p. m.* 395. (h) *Journal. ſupra.* (i) *du Four ibid.* (k) *Hecquet ibid. p. m.* 351. [l] *Barbeyrac Formules l. c. du Chocolat &c.*

ſal eſſentialis pinguis, & oleoſus, [*a*] vel oleum, vel neutrum ex hiſce, [*b*] parùm impræſentiarum noſſe juvat, ac refert: Dummodo per experimenta circa *Saccarum* capta, & ab ejus aſſumptione nimia in corpore noſtro obſervata abundè conſtiterit: 1. *Saccarum* ſalem eſſe ſingularem, & ſui generis in aqua perfectè diluendum, imò cum aqua facilè in vinum fermentandum; Cum oleis mixtum, ſaponem evadere; dum illa ſic dividit, ac eorum tenacitatem frangit ita, ac ſi ferè fermentata forent cũ illo *Saccaro*. Hæc autẽ omnia intelliguntur de *Saccaro* albo, poroſo, ſicciſſimo, leviſſimo, friabili, quod in conis habetur; quodque proinde omni aquoſo latice privatũ, & ab humore melleo expurgatũ ritè ſit. Nam ubi pinguedinẽ illã nativã fovet, quæ in *Saccaro* ſponte ſuis e calamis exſudante, & in Moſcovato rufo obſervatur; (*c*) Tunc enim veró longé diverſam obtinere videtur virtutem, quam ubi omni oleo ſpoliatum, in verum & ſolidum ſal concreverit. Nam pingue *Saccarum* & craſſum, laudabile pabulum ſubminiſtrat, pituitæ acrimoniam demulcet, tuſſim ſedat gutturis, & pulmonum aſperitatem emendat, partium laceſſitarum parietes obducit, acerrimum humorem obvolvit, & expectorationẽ foras educit, pungentem *dolorem colicum* a volatili, & ſylveſtri humore productum irretiendo compeſcit, & mitigat. Quòd ſi verò 2. in uſum adhibeatur *ſal ſiccum Saccari* omni pingui orbatum, tunc more ceterorum ſalium agens, extra corpus, oleoſis commixtum immaniter effervefcit: In corpore verò noſtro olea, quibus ſe interpoſuit, reddit equidem cum aqua miſcibilia, ſicque æquabili nexu deducere illa poteſt viribus integris ad deſtinata loca. Verumtamen latici noſtro confuſum, vi vitæ adjuvante, non ſolùm pituitam diſſolvit, verùm etiam pinguedinem humanam nimis ſolvendo morboſam macilentiam inducere poteſt; ut & attenuatione nimia humorum debilitatem producit, & laxitatem ſolidorum nimiam: hinc eſt, quód *Scorbuticis*, & *Rachiticis* plerumque noceat, [*d*] quidquid dixerit *Fridericus Salare* apud *Geoffroy*. [*e*] Nam obſervavit *Rayus*, (*f*) *Scorbutum* populariter Londini graſſantem non in aeris humiditatem, ſed in *ſaccari* abuſum referendum eſſe; cùm in aere *Luſitaniæ* calidiſſimo *Scorbutica lues* vigeat, ab nimio *ſaccari eſu* producta. Dulcia enim, ut mel, & *Saccarum*, de quo loquimur, dentibus non ideo inimica ſunt, eos ſcilicet corrodendo, & carioſos reddendo, quòd ſal acidum in ſe recondant, ut credidit *Moebius*: (*g*) Quippe, ut rectè animadvertit *Geoffroy*, (*h*) in hordeo, cereviſia, lacte, in fructibus etiam quibuſcumque latet acidum hoc implicitum, & irretitum ſilet, quin prava illa alimenta exinde cenſeantur. Itaque *ſal Saccari*, & omnia mellita cariem dentibus inducunt, quód ſalina ſpicula antea in *ſaccaro* v. g. ſopita, nunc autem prævia præparatione a particulis oleoſis ſociis ſegregata,

B in

[a] *Geoffr. mater Medic. ſect.* 1. *tom.* 11. *p. m.* 732. *art.* IX. (b) *Boerhav. chem.* 11. *p. m.* 100. [c] *Conf. Geoffroy ibid. p. m.* 734. 740. [d] *Boerhav. ibid.* (e) *ibid. p. m.* 748. (f) *apud Republique des lettres. tom.* IX. *artic.* VI. *avril.* [g] *Fundament. Medic. cap.* IX. [h] *Ibid. p. m.* 749.

in libertatem aſſerantur, & prædominium teneant, eaque ratione dentibus inhærentia, eorumque poris immiſſa, ſolutionem fibrillarum minari poſſunt. Hoc adeo probabile mihi videtur, quod ſaccarata, intacta gingivarum carne, ſolos dentes plerumque afficiant, quod obſervatum olim legimus in *Zodiaco Medico-Gallico*: [*a*] Quia nempe viſcido gingivarum humore obducti ſales levem impreſſionem eo loci exerunt; e contra veró, toto ſuo niſu in dentium ſtamina impetentes, cuneorum ad inſtar villos oſſeos diſcindunt, & detrita exteriori dentium lamina, cariem tantò faciliùs creant, quòd oſſis interiora nudo aeri, omniſque corruptionis genitori immediaté pateant.

VII. Non temerè ergo *Cacao* pinguedini abundanti (iv.) albiſſimi *Saccari* certam doſim immiſcent, qui *Cocholatam* confecturi ſunt. Pinguis enim & *Cacao* ſeminibus expreſſa materies tenax, ope ſaccari ſalini ita dividitur, diſcerpitur, ut per venas lacteas in ſanguinem, ex hoc per omnia corporis loca meare poſſit; quin in cellulis otioſa congeratur, (V.) quemadmodum contingeret, ſi ſola ſumeretur. Cùm verò *Saccaro*, ut diximus (vi.), oleo inflammabili, & ſale quodam conſtet, & juxta alterutrius principii prædominium, diverſas virtutes in liquidis noſtris producat: Patet, *Saccarum* pingue, & craſſum oleo *Cacao*, eoque viſcido, etiam confuſum minima obturare vaſcula corporis, *Scorbuticorum* ſalibus admixtum magis fermenteſcere, & morbi ſimptomata graviora efficere. Quod ſi candidiſſimum *Saccarum*, & ſalium ſpiculis dives eligatur, ut oleoſum *Cacao* principium craſſum, & iners innata ſuorum angulorum acie diſſolvit in ſaponem mirum; ſic ventriculo, inteſtiniſque receptum, & cum bile efferveſcens, hujus attenuationem & fluiditatem promovet: Quare acrior motu reddita bilis æſtum non ſolùm in fiſtula inteſtinali accendit, verùm etiam dum in maſſam ſanguineā tranſvehitur, per totum, quà latè patet corpus, incendium molitur. Inde flatus in primis viis *borborigmi diarrhea building*; in ſumma autem corporis cute excrucians ardor, pruritus, imò puſtulæ. Itaque diverſa ratione Bilioſis, Macilentiſque *Saccarum* ſive ſiccum, ſive pingue, nocere comperitur: pingue enim particulas bilem componentes adipoſas calore exaltando; ſiccum verò cum illis fermentando; (ſit verbo venia) Ideoque utrumque alibili blando mucilaginoſo ſuppeditando, (V.) impar prorſus videtur.

VIII. *Cinnamomum* cortex aromaticus eſt, balſamicus, oleoſus, reſinoſus, ſuaveolens, atque diu admodum propriæ fragrantiæ imprimis tenax; guſtui, & ventriculo gratus, viſceribus conferens, totam denique animalis œconomiam recreans. Vnicum ſolamen feminis ad frigidi pituitoſi *Vteri muccum*; (*b*) unicum in virium imbecillitate præſidium. Inde *Cinnamomum* vulgò habetur tamquam ſummum aperiens, ſiccans, diſcutiens, nervos excitans mirè. Eadem ſua *aromaticitate* intempeſtivé, vel immodicé ſumptum, tantùm abeſt, ut concoctionem ciborum juvet, ut vulgò putant, quin potiùs ventriculum ad inflammationem diſpo-

(a] *Ann.* 1680. *menſe Febr. q.* IV. *p. m.* 52. (b) *Boerhav. chem. ibid. p. m.* 76.

diſponat, hujus fibras criſpet, ſanguinem hàc fluentem cogat, perque totum corpus diffuſus *ſpiritus*, ut ita dicam, *rector Cinnamomi* inſtar veri ignis omnia conſumat, ortaſque inde ægritudines accerſat. (*a*) Hinc eſt, quòd in arte ejuſmodi conficiendæ *Succolatæ* parca quidem manu *Cinnamomum* aliis rebus adjungatur; quo ſumma indomita & acerrima virtus ejuſdem olei retundi queat. Sed hæc intellige de vero, acuto *Cinnamomo*, non autem de adulterato, & evanido, ſub nomine *Caſſiæ ligneæ*]. (*b*)

IX. Accedimus ad vires *Vaniglia*, vel *Vanillæ* indagandas. Sapore autem hæc ſubdulci, ſubacri, & aromatico donatur; plurimum ad hæc olei eſſentialis aromatici fundit, & iiſdem penè, quibus *Cinnamomum*, viribus (VIII. ſupra) pollet: niſi quòd vaporoſo ſuo ſulphure ſoporem inducat, capitique, nervíſque inimica habeatur. Apertæ enim *Vanillæ* ſiliquæ halitum mox emittunt, qui naribus acceptus, & ad cerebrum delatus, ſpeciem quamdam fugacis ebrietatis inducit. Hinc factum eſt, ut in nova Hiſpania Aroma hocce exoleverit prorſus, & ab Artificibus negligatur. (*c*) Quamprimùm autem ex novo orbe in Europam invecta eſt, de illo tetro, & nocivo odore ita deperdit, [*d*] ut uſui abſque noxa eſſe poſſit. Vtcumque autem ſit, certum eſt, rarioris eam eſſe in Medicina uſus, (*e*) etſi ab nonnullis in *Cocholatæ* proceſſu uſurpatur, id fit ut gratiam ſorbitioni noſtræ conciliet, tamquam aliquod pretioſiſſimum nectar additum [*f*], & *opobalſamum* vitæ.

X. Liquet ex dictis, *Cocholatam ſtomachicam, & cardiacam* eſſe; Et hiſce tantùm titulis in praxi adhibendam eſſe. Equidem nullus dubito *Cocholatæ* compoſitionem ingredentia, uniformi mixtione ſibi unita, coctione, præparatione prævia, maſſam coſtituere verè aromaticam, oleoſam nervos excitantem; Quæ proinde intùs ſumpta ingeſtaque, intimiora partium etſi conſtrictarum ventriculi repagula ſubit, permeando villos lubricat; ſpaſmos (a dureſcentibus ſtomachi ſtaminibus, & brevioribus factis) removet; Oſcillationem fibrillarum concoquentium ſegneſcentem reſtituit, ductus glandularum ad conſtrictionem proclives reſerat, & expandit; languidiores tubulorum ventriculi ſuccum effundentium expreſſiones promovet; ſuccis glandularum lenteſcentibus fluiditatem, dulcedinem aceſcentibus, torpentibus agilitatem impertitur: in ſumma ſanguinem per ventriculi canales circulantem calida cinnamomi virtute inſtaurat ad motum, humoris ſtomatici in ventriculi cava defluxum proritat; ſale ſuo ſaccarato, & amico halitu nervos illac diſcurrentes titillat, hinc viſcus velut a ſomno excitatum alacriùs ad coquenda alimenta inſurgit. Quoniam verò tres *cardiacorum* claſſes dantur: Aliqua enim aromatico tantum ſpiritu volatili, & elatere repleta, ſpirituoſas, & elaſticas particulas ſanguini, limphæ, & ſucco nerveo impertiunt, quarum auxilio motus cordis, cere-

(a) *Geoffry ibid. ſection.* 1. *articul.* 1. *p. m.* 170. (b) *A coſta p.* 2. (c) *Experienc. de Phiſique tom.* III. *p. m.* 498. (d) *ibid.* [e] *Geoffroy ibid. p. m.* 363. (f) *Hecquet diſpenc. du careme tom.* II. *p. m.* 352.

cerebri, & cerebelli aptè augetur, & conſervatur; Nonnulla autem lactiginoſa materia tantùm donantur, ut *emulſiones*, materiam ſpiritibus generandis præbentia; Quædam tandem ſimul, & ſemel motum, & elaterem, & nutritionem tribuunt machinæ noſtræ (*a*): Quoniam, inquam, in hiſce effectis vertitur tota *cardiacorum* remediorum efficacia, ecquis iſtiujuſmodi potui *Succolatæ* vim confortantem denegabit? Ecquis deinde, quamvis non multum nutrientem, at ſaltem modicé reſtaurantem, & pinguefacientem *Cacao* præparato virtutem non largiatur? (*vide ſuprà* iv. v.) Quis eſt qui igneam *cinnamomi*, & ſummè acrem naturam non mirabitur? Ut *Saccarum* omittam, quod ad temperandam, frangendamque olei *Cacao* excuſſi per ignem tenacitatem jure adhibitum, [vii. *ſuprà*] altilem magis magiſque naturæ noſtræ potum *ſuccolatæ* aptum reddere natum eſt.

CAPUT SECUNDUM

De uſu, & abuſu Cocholatæ *in Re Madica.*

I. Quandoquidem nullum in rerum natura ſive alimentum, ſive remedium reperire eſt, quod per ſe innoxium, licèt pręposterè tamen uſurpatum non noceat: E re, & Inſtituti noſtri eſt, ſingillatim percurrere morbos, & caſus, in quibus *Cocholatam* præſcribere ſolent Medici; atque circumſtantias ſeduló rimari, quibus in eodem caſu potio hæc juſſa, ſed inconſideratè, vel perperam uſurpata ſanis incommodum, ęgris noxam inferre queat. Et quidem diximus Capite antecedenti [*C.* I. § x.] *Cocholatam* in claſſem ſtomahicorum roborantium referendam meritò eſſe; undè in ventriculi atonia, debilitate, languore ſummum remedium audit. Hinc ad ſpecifica ſtomachica, (verba ſunt Etmuleri Oper. tom. ii. de chiloſ. lęſion. p. m. 187.) „ etiam pertinet *Succolatæ* ſuccus inſpiſſatus factus ab Indis ex fructibus *Cacao* conditus cum cinnamomo, & pipere, quæ „ *Succolata* in vino cocta, & pota eſt egregium ſtomachicum, & ſimul antiſcorbuticum. „ Hactenus ille: ubi verò ſiccis, bilioſiſque hominibus datur; Ubi ventriculo inanito, & redundante inde a duodeno bile turgenti *Succolata* committitur; Tunc enim veró tantum abeſt, ut in ſuccum placidum homogeneum mutetur, atque paſtam pacatè fluentem conſtituat, ut potiùs addito velut camino oleo, ex partibus pinguibus *Cocholatæ* cum bile exaltata colluctantibus, chilus emergat, qui imperfectè ſubactus, ex parte tritus & efferveſcens, nec planè comminutus vaſculorum meandros, & anfractus offenſo pede perreret:

(a) *Mazini mecchanich. medicament. diſſertation.* ii. *de cordial. p. m.* 100. *ſequent.*

erret: Ita futurum vellicati ut ſtomachi nervi, & præterlabentium ſuccorum acrium tranſitus moniti, in ſpaſmum cieantur, canaliculos, quibus intertexuntur, conſtringant, abnormes inteſtinorum oſcillationes concitent: Hinc *Diarrheæ bilioſæ*, hinc morſus ventriculi, *borborigmi* oriuntur, quemadmodum Nonnullis bilioſo temperamento præditis, poſt ſumptam *Cocholatam*, non raró contigiſſe memini.

II. In inappetentia autem ex copioſiore evacuatione oborta, qualis vomitui frequenti, alvi fluxui, *lienteriæ diabeti*, nimiæ lactationi accidere ſolet, *Cocholatæ* decoctum, minimia quantitate ſæpiùs de die ſumptum, egregium *analepticum* eſt. Cúm ex una parte, utpote levis nutrimenti, (Cap. 1. §. v.) non magnam requirit vim, ut humori noſtro aſſimiletur, neque digerenti ventriculo moleſtiam ullam creat: ex altera veró, lenibus aromatibus, quibus conditur, referta *Cocholata* lapſam ventriculi facultatem excitat, roburque fœneratur. Referri hùc meretur Obſervatio noſtrum aſſertum luculenter oſtendens. Delicatulus, & debiliſſimi temperamenti Vir cum ſuſpicione latentis in pulmone puris, ſed ventriculo languido adeo donatus, ut vel tenuiſſimos cibos, & faciliimæ coctionis ferre nequiret, in cibi faſtidium incidit, omnibus reluctans auxiliis. Accitus Medicus *Cocholatam* præſcripſit, quam numquam Infirmus antea deguſtarat: mox refocillatas ſenſit vires, rediit appetitus, mutatus faciei color, & omnis pulmonis affecti timor evanuit. Mirum autem quod in eodem animadverſum eſt, quodque Doctor Vniverſitatis Medicinæ Monſpellienſis *Nicolaus Fourniter*, ex quo hiſtoriam pręſentem excerpſimus, in ſua materie Medica manuſcripta enarrat (*a*), ſcilicet qui antea ex uxore nullum liberum ſuſceperat, poſtea remedii hujuſce uſu Infirmum noſtrum multa prole beatum fuiſſe. Res quidem digna inquiſitu. De cætero illud phenomenon non aliam agnoſcere cauſam videtur, quam continuatum *Cocholatæ* potum; hanc enim ſolam, vel pauco lacte dilutam ſumebat.

III. Non immeritó ergo Auctores laudant (*b*) *Succolatam* tamquam completum, & optimum remedium *aphrodiſiacum*. Hinc egregiam eſſe, inquit *Etmulerus*, pro *uſu* [*c*] *augendi genituram*. Id enim fieri ſuſpicor, quod cùm *Cocholata* ſtomachum roboret, & alimentum facilis digeſtionis, & perſpirationis ſuppeditet; neque corpus novis ingeſtis gravat [*Suprà cap* 1. *num.* v. *&* *cap.* 11. *num.* 11.] neque naturã opprimit; Quæ ſponté in ſe ſemen cõficiet, ſi ſit poſſibile. Seminis enim confectio ſola corporis virtute perficitur, nec ex quibuſvis optimis alimentis medicamentiſque *ſpermato-pojeticis* generari poteſt; multò minús a ſtimulantibus (*d*) volatilibus, quæ ſalacitatem equidem inducunt, ſed quàm breviſſimé immanis conſequitur debilitas. Non ſic autem *Cocholata* noſtra, quæ licét condimentariis calidis componatur, paſtam tamen uniformem temperatamque refert (*Cap.* I. *num.* x.) grato blandoque ſtimulo nervis comi-

---

(a) *Chapitr.* IX. *de ſtomachiques l. c. p.* (b) *Vide le Fevre ibid. p. m.* 32. *num.* 3. (c) *Ibid. tom.* 11. *diſſertation.* 1. *p. m.* 877. (d) *Gorter. de inſenſib. tranſpirat. cap.* VXII. §. XVI.

camicam; quæque proinde acoris expers, aceſcit numquam, licèt calida non effervescit; Aromatica non exiccat (*a*); Oleoſa non inflammatur.

IV. Abutuntur autem ſorbitione iſta, quicumque *anorexia* vel inappetentia laborantes [*ſupra hic* §. II.] inter ipſius morbi initia continuis cyathis *Cocholatam* ſorbent; quicumque maſſam ſanguinis, & humorum valdè impuram habeht; quicumque acido fortiori in primis viis ſtabulante turgent: Indè enim multiplex malorum exoritur hydra, fluunt ructus, ciborum deſiderium peſſundatur, torquent flatus, dolor circa præcordia cruciat, & intolerabilis ſpiritus premit anguſtia. Quæ, ſed præprimis anxietas, *Hypocondriacis*, meticuloſis, mæſtis, deque morbis ventriculi conquerentibus familiaris eſſe conſuevit; Quibus proindè nocivam fore ſorbitionem iſtam credimus; contra id quod promiſcuè dicit *Barbeyrac* (*b*). Namque fieri poteſt, ut oleoſa, & terrea ſubſtantia *Cocholatæ* congrediens cum acido internorum viſcerum multa mala producat: (*vide ſuprà in hoc* §. I.) Hinc eo caſu emeticum mite præſentaneam opem tuliſſe vidit *Fridericus Hofmannus* (*c*). Eadem ratione ad *prophilaxim*, atque ad infringendam energiam fermentationis, quam *Cocholata* bilioſa pingues inter, & inflammabiles in itinere per corpus ſuccos concitare poterit, receptum eſt, ut poſt aſſumptum decoctum nonnulli cyathum aquæ hauriant; aliquibus autem

Infudiſſe juvat ſpumanti in nectare oſellas
panis, & intinctu mollitas frangere morſu (*d*)

ſunt qui biſcoctum vaſi fumanti immittunt: Tandem quoniam *Cocholatæ mixtum* ex diverſis componentibus compaginatũ, quó recentior ea, eò fermentationi magis obnoxium eſt; [*e*] patet indè, cautè procedendum eſſe & in ejuſdem confectione, & in ejuſdem ſorbitione, proindeque in genere vim, & effecta hujus alimenti determinari non poſſe; pro varia ſiquidem ingredentium proportione, & pro vario apud diverſas nationes conficiendi modo; Nunc *Cachao* prævalet, ejuſque oleoſa pinguedo bilioſo ventriculo infenſa, & in accenſionem prona; liquida incendit; modò prædominium tenet *Cinnamomum*, & alia aromata, quibus ſanguine abundantes, torrentur potiús quãm reficiuntur: (*Capite* I. *ſuprà* §. VIII. IX.) Unde miræ ſanguinis *ſtaſes*, *febres*, *pruritus*, inflammationes: Interdum Saccarum nimia, & largiori copia intritæ *Cocholatæ* inter depſendum admiſcetur; In quo caſu dulcis ſaccari indoles, eaque oleoſa ventriculum (*Cap. ſuprà* I. §. VII.) fortaſſe a morbis, vel ſponte ſua languidum, plus labefactat digeſtionem, & chilificationem pervertit, & ad plures morbos hominem diſponit. Eſt ubi ſaccari candidiſſimi exuberans portio admittitur, quæ in *Scorbuticis* ſtrages edit notabiles, & tunc *Cocholata* iiſdem nocitura eſt. Vides ergo quanta prudentia opus ſit, alimentum ita paratum, atque ſuſpectæ notæ, neque omnibus convenientibus condimentis emergens,

præ-

(a) *Le Monnojer queſtion. quodlibet Paris. anno* 1739. (b) *Formules dù chocol. lib. cap.* [c] *Tom.* VI. *de remedior. Nox. & cap. p. m.* 333. *num.* 17. (d) *Strozza apud Ecquet. ibid. part.* III. *chapitr.* XI. *p. m.* 356. (e) *Ecquet ibid.*

præſcribere omnibus ita, ut huic proſit, alteri non officiat: ſed perge, alias *Cocholatæ* vires enarremus.

V. *Hecticis*, *Phtiſicis*, *Tabidis*, *atrophia* laborantibus *Cocholatam* apprimè convenire ajunt: (*a*) & meritò quidem, nam inter medicamenta alibilia, & coctu facilia, non infimum tenet locum, ut in præſenti Capite ſuperiùs dictum eſt (§. III.) Porrò in hiſce ęgrotantibus nimia imbecillitas adeſt, effectæ ventriculi vires pluſculum ingeſti in *homogeneum* chilum convertere vix poſſunt; unde iis concedenda ſunt edulia, quæ facilè ſubiguntur, quæ exiguum & proportionatum cum ventriculi robore concoquente nutrimentum habeant: Quantę enim fiunt anguſtiæ, dum *Phtiſici* in aſſumptorum quantitate excedunt, & minorem licèt, quàm in ſanitate optimi nutrimenti copiam ingerentes novo chilo debilem pulmonem gravant nimis! Quid fiet igitur, ſi *Cocholatæ* decoctũ non probè fermẽtatæ, (*ſuprà* §. IV.) hiſce Infirmis propinetur? Neque enim motu ventriculi, inteſtinorum, & reliquorum vaſorum; neque ſaponacitate, aliave indole humorum languentium facilè ſuperari poterit, ejuſque partes ita attenuari elaborarique, ut in inquilinorum laticum indolem commutetur: Verùm indigeſto crudoque onuſta ſucco inteſtina pererrans, vel obturatis lacteis ſubſiſtere, & in corruptelam degenerare; (*hic* §. IV.) vel ſuperatis vaſculorum illorum oſcillis, & in ſanguinem abeuns, circulationi reluctari cogitur, quæ in pulmone peragitur, hujuſque ſtrictiſſimos arteriolarum compaginantium fines miſerrimè opplet. Statuendum ergo eſt, *Cocholatam* noſtram in *Phtiſi* a nimia ſanguinis evacuatione orta locum habere poſſe; ut & in *Atrophia* ab ingenti bonorum ſuccorum penuria: Non autem in quocumque *phtiſeos* apparatu, & indiſcriminatim in quacumque *hectica* preſcribendam eſſe. Plerumque enim ſub hiſce noxis accidit, ut ſtomachus, vel errore dietæ, vel vi morbi cruditatibus turgeat; Unde non poteſt non ægrè ferre decoctum *Succolatæ*, quo tunicæ villoſæ, ex oſculis ductuum in ipſa obſtructis inflatio inducitur; Cui decocto tamquam cauſæ, & anguſtia ſpirandi, & præcordiorum anxietas, & dolor vagus pectoris, & inquietudo ſuccedens tribui ſolet.

VI. Si ullis certè ſenibus omni ratione conferre videtur *Succolata*, unde *lac Senum* jure vocatur [*b*] Quum enim morbi ſenes idemtidem afficientes non ex alia cauſa, quàm virium lapſu, ſolidorum rigiditate, & defectus ſalutaris excrectionis per ſpiracula cutis enaſci ſoleant; Illis omnibus ſuavem, & utilem medelam *Cocholata* præbebit; quæ fibras in tot annorum decurſu rigidiores, & denſiores factas parte ſua butiroſa emollit; vaſcula *neuro-limphatica* nutritioni dicata, & in illis hominibus anguſtiora reddita, parte ſua volatili, & pingui reparat; tubulos ſecretioni fluidi nervei vacantes, parte ſua aromatica fovet, & cúm parciorem cibum, eumque concoctu facilem ſubminiſtret, deperditam inſenſibilem tranſpirationem inſtaurat, qua de re conſule ſuperius a nobis dicta (*ſupra* §. V.). At veró moderationem

(a) *Vide le Fevre ibid. p. m.* 32. *num.* 4. *&* 5. (b) *Le Fevre ibid.*

nem ubique laudabilem eſſe, probè tenendum eſt; adeoque ſi *Cocholatæ* hauſtum phthiſicæ ſanguinis diſſolutioni, & ſuccorum acrimoniæ ad ſummum apicem evectæ proficuam, productis in hanc rem teſtimoniis, & Joannis Baptiſtæ prȩſertim experimentis (*a*) edocti probavimus; non abſque ratione eumdem potum improbandum cenſemus in ſolidorum ſpaſtica ſtrictura, & fluidorum orgaſmo, in ſenio exiccatis maximoperé organis, effetiſque; cum adnotante, cujus poſtremo loco meminimus, Auctore *Cocholatæ* componentia, acuta, pungentia, acria, & volatilia cúm ſint, non inſolitam modò agitationem firmis labilibuſque noſtris partibus imprimere [*b*], ſed & quoque ultima vaſcula, & nerveos fontes corrugare, atque coarctare, eoque ſubtiliſſimi laticis curſum turbare, ſiſtere apta habentur meritò.

VII. Verùm cavendum eſt, ne Senum pletoricorum corpora, & impuris ſuccis redundantia eadem immoderatius utantur. Quoniam enim *Cocholata* ſanguinem incraſſat, forſan ratione oleoſæ, viſcidæque naturæ fructus *Cacao*, & ipſa liquida circulationi reddit inepta, (*Confer cap.* I. §. IV. V. *&* *hic* §. IV.) fit, ut inde naſcantur in Senibus temperamento ſanguineo præditis inflammationes viſcerum, febres longæ *meſentericæ*, & aliquando *apoplexiæ*, olim Romæ frequentiores teſtantibus eximiis in Arte noſtra Viris, praximque in Urbe exercentibus, *Lanciſio* (*c*), & doctiſſimo *Baglivio* (*d*); Graſſantes, inquam, non ob aliam, ut videretur, cauſam, quám quòd *Succolatæ* uſus frequentiſſimus eſſet: Cùm enim cauſæ *apoplexiæ* in ſanguine *phlegmonoſo*, & inflammatorio, vaſcula cerebri opplente, & ſupra modum extrorſum agente ut plurimum ſitæ ſint; patet diuturnum *Cocholatæ* affatim ſumptæ abuſum, minùs ob copiam nutrimenti, quàm ob copiam volatilium, ſulphurearumque partium quas in ſinu recondit, [*Cap.* I. §. IV. V. VI. *ſequent.*] Succos fermentantes, rarefacientes, & ſeſe moventes in ſanguinis maſſam infundere, qui exindè majori ſolita mole, impetu per *encephali* meandros abreptus reſtitat, ſuoque curſui inſuperabilem obicem ponit, liquida illicò remoraturum, vitæque ſcintillam extincturum.

VIII. In quȩſtione poſitum id eſſe ab aliquibus video; ſit ne *Cocholata* potus refrigerans, an veró ſanguinem calefaciens? Plures aſſerunt, illam refrigerantem, & ſimul calefacientem ſuggerere potum, qui ſitim extinguat, atque languori ventriculi ſuccurrat; Inter quos numerantur, *Colmenero*, & *Du Four* (*e*). Alii nimiam olei copiam in hacce ſorbitione contentam onerare naturam, atque vires, adeout nec motus regere, neque ritè domare materiam poſſint, arbitrantur; proindèque *Cocholatam* ad obſtructiones calidas, vel inflammationes diſponere cenſent, ut *Baglivius*, & *Lanciſius* *vide* [*ſuprà hic* §. VII.] & *Felicius* (*f*); ſed eximenda hujuſce rei controverſia eſt. Plurimi, qui eam potant

(a) *Ibid. p. m.* 43. 45. [b] *p. il m.* 27. 54. [c] *Giornale de Litterati d'Italia tom.* II. *p. m.* 397. [d] *Prax. Medic. p. m.* 76. (e) *Ibid. du Chocolate p. m.* 386. 388. (f) *Ibid. p. m.* 5. 9.

tant *plethorici* ſunt, & quia parùm exercent corpus, & ſub tranquillo animo, pleno lautoque victu plus ſanguinis generant, quàm ipſis utile eſt: tali utique in caſu *Cocholatæ* repudianda ſorbitio eſt, ut qua impenſiùs ſanguis caleat, bilis exaltetur, & citatiùs circulantia liquida multa mala invehere valeant, & quidem ſanctè teſtari poſſum, hiſce hominibus ab aſſumpta *Cocholata* pulſum elevari, manifeſto circulationis adauctæ argumento, quidquid in contrarium ſcripſerint, *Hecquetus* [*a*] & *dù Four* [*b*]; Quorum prior, ut humanum eſt, dictorum oblitus, paginis inde ſequentibus [*c*] *Cocholatam* pulſum accelerare conceptis verbis, & diſertè pronunciat. In iis verò, qui jam imbecilles ſunt, vel valetudinarii, & parum cibi ſumere conſueverunt; Quique ex morbo aliquo laborant, modò autem ſtomachum omni ſuccorum immunditie expertem habuerint, iſtud eſculenti potulentive genus prorſus probandum eſſe judicamus.

IX. De cætero Regionis habenda hac in re quoque ratio eſt. Audio quippe in America *Cocholatam* tutò ægris indiſcriminatim offerri [*d*]. Sed oportet in Europa noxas ab hoc potu dependentes ritè notare. Certè in illis, quorum ſanguis nimius vel motus citiùs peccat, *Cocholatam* ingerere piaculum eſſet, quę cùm

..... Purum potiori è ſanguine florem.
Aſſiduò circum præcordia turbine verſat [*e*]

periculoſam efficeret ægritudinem. Audio etiam, quin & lego inter eoſdem Americanos, nonnullis impunè ſorberi *Cocholatam* ſtomacho licèt putri cacochilia ſcatente [*f*]; Quod quidem Europęis noſtris vix conſuluiſſes, cùm debilitati potiùs, quàm oppletioni ventriculi nata ſit *Cocholata* [*hic* §. I. & II.] opitulari. Prętereà Americæ Incolæ, cùm copioſiſſima fiat cutis exhalatio, & *chilo-pojeticorum* organorum potentia indè mirum frangatur, magis, quàm Europęi potione hac indigere videntur: Namque cibi copioſum, ſed tenuè nutrimentum, & promptę ſolutionis habentes, ut eſt noſtra *Succolata* perſpirationem inſenſibilem adaugent, ut demonſtravit *Gorterus* [*g*], non ſic autem ratiocinandum eſt de Accolis, qui moderato ſub Cœlo degunt, quique nec multum diſſipant, neque nimis debiles ſunt.

X. Corpora igitur nimia detractione, caloris vi excitata, *Marceſcentia* plurimum ſuppeditant negotii Medenti in ſanciendis Dieteticæ legibus: vires enim ſimul exhauſtæ ſunt, & humores in talibus morbis quaſi exuſti in corpore ſuperſunt, ut de *Americanis* mox dictum eſt: [§. IX.] Quæcumque induntur illis *etherogenea*, augent pondus movendorum ſuccorum, & vires parùm, vel pro inſtanti, erigunt: Quæcumque ſpirituoſa aſſumuntur, ſuperſtites humiditates naturales abſumendo, humorum maſſam magis figunt, ſiſtuntque. Si ergo *Cocholata*

 Iis

[a] *Ibid. p. m.* 352. [b] *Ilid. edition. Lugduni p. m.* 388. (c) *Ibid. p. m.* 358. [d] *Mappus apud Ecquet ibid. p. m.* 361. [e] *Strozza apud Ecquet ibid.* [f] *Vide dù Four ibid. p. m.* 386. *cap.* III. [g] *De inſenſib. traſpirat. diſſertation. cap.* XI. II. & *cap.* XIII. *num.* 3.

Iis præſcribenda eſt; ſimul tunc tepida propinanda, ut ſenſim tenuioris defectus ſuppleatur; & multùm quidem diluta, ne laborare cogantur viſcera; & mediocri condimentorum quantitate referta, ut volatilibus *Cinnamomi*, & *Vanillæ* [*Cap.* I. §. VIII. *&* IX.] elementis vires lapſę quodammodo inſurgant, ſolida reborentur, & æquabilis humorum cieatur motus. Nam quod de *cardiacis*; idem de *Cocholata* æquè verum eſt. [I. §. X.] Damnatur quippe non uſus, ſed abuſus hujuſce ſorbitionis, quæ quantò præſtantior & utilior eſt, cerebro, cerebello, & cordi præcipuè in ſenio confectis; [*hic* §. VI.] item Emaciatis; (*hic* §. V.) tuſſi ferina laborantibus (*a*), & febri carentibus (*hic* §. IX.) præcipuè cum moderata quantitate, qualitate, [*Cap.* I. §. IV.] ac tempore debito aſſumitur: Ita perniciosa eſſe poterit, quotieſcumque citra ſenectam in uſum quotidianum eadem abutuntur Juvenes, & in flore ætatis conſtituti; quoties plus æquo ſaginati, & otio torpentes huic decocto indulgent; Quoties corpora impura ab *Cocholatæ* uſu gravari potiùs, quàm refici, opprimi, quã reſtaurari ſcimus.

CAPUT TERTIUM

De jejenii Eccleſiaſtici ſalubritate, ejuſque præcipuis finibus; ubi de Cocholata, *quantùm ad jejunii obſervantiam ſpectat Judicium affertur.*

I. PArum quod ad valetudinem tuendam facit, ingerendum eſt. Paucis natura contenta. Multum autem eſt, & diverſis ſaporum illecebris conditum, quod ventriculo committunt. Neque ſatietatis gulæque hodie finis habetur. Mater ſatietatis abſtinentia eſt; Ægritudinis autem voluptas eſt. Aſſequimur plerumque, & amplexamur quod nimium nocet; ſpernimus, & rejicimus quod modicum eſt. Proh dolor! Quibusdam Populis ipſa voracitas quaſi connaſcitur. Infantum tenellos ventriculos ad vomitum uſque iteratis buccellis infarciunt. Non attendunt inde ortum languorem, non gravamen viſceris, non ructus, non odores, non inſomnia, non peregrinos oris ſapores, & ſexcentum mala ſolius luxuriæ partus. Obtentu ſuſtendandæ machinæ, prætextu refocillandarum virium, quas brevi ab inedia reſolutum iri expaveſcunt: his, inquam, aliiſque conceptibus Mortalium coactæ mentes, Sanctæ continentiæ, laudabiliſque frugalitatis præcepta deſerunt, & gulæ impetu abrepti, brutorum ne dicam, an Inſanientium more, omnium pretioſiſſimum naturæ donum, *ſanitatem* peſſundant. Dum exindè incredibilem eduliorum molem languenti viſceri perpetim ingerunt; membrenaceum ſaccum immaniter diſtendunt; Hinc *pylorum* ſummopere arctant, & liquidis licèt per *Janitorem* transfluxum aliqua ratione concedant,

[a] *Gioſeppe del Papa Conſulto* XLII.

cedant, durioribus tamen chili partibus viam intercludunt omnem. Quanta inde mala oriuntur, noverit non gulæ homines iſti ſervientes, ejuſque incitamentis allecti; ſed qui tantum eſcarum modicitate contentus, divi Senis oracula ſedulò attenderit: *Optima ſunt ad ſanitatem, quæ modicè ingeſta ſufficiunt, ut & fames, & ſitis* (a) *ſint medela.*

II. Enim veró, vix mediocritatem alimentorum egredi licet, quin ſanguis inde unàque confuſa liquida mole nimium excreſcant, atque ęquilibrium inter liquores, & vaſa ceſſaverit; in quo ſartam tectamque poſitam eſſe valetudinem univerſus Medicorum chorus confitetur. Quid dubitas? Reſpice quàm parum ſanguinis vaſculis coerceri in ſtatu ſano natura voluerit; robuſtiſſimo quidem ſi pluſquam libras viginti quatuor conceſſeris, jam ægrum efficies. Quàm ingens oritur indé diſparitas inter vitale flumen permeans, & machinæ molem! Ea nempé, quæ inter 1. & 8. intercedit (*b*). Itaque adulto homini, de quo hìc loquimur, cùm jam ad incrementi apicem pervenerit, eó inutiliús, imó periculoſius ſanguinis ſuperpondium futurum eſt, quò minùs opus habet corpus augere. Inde ergo cavendum, ne nimia aſſumptorum ſarcina plus ſolito turgentibus vaſis, in ægritudinem *Athleticis* prædictam incidamus. Quî ergo impendentem hiſce hominibus corporis ruinam avertas? Intra victui tantùm neceſſaria te cohibe, furentem, ſibique multum adblandientem appetitum frœna, prudenterque coerce, facque ut e menſa famelicus recedas. Quamvis enim vegetam vim digerenti ſtomacho natura largita eſt, ope cujus ex diverſis eduliis tritis, & humectatis uniformem chilum eliceret; Alia veró organa ulteriori ejus rudis adhuc, elaborationi defęcationique ſubſtituit. Quemadmodum ergo immodicę eſcæ, ſuperatis officinæ ventriculi viribus, malé comminutæ elaboratæque fluunt, ſic chili ſuccorumque indé emergentium diſtributiones, ſecretiones, depurationes imperfectæ manebunt. Quod nimirum ſucci in organa abundantiùs confluentes, & nimiam ſuæ triturationi reſiſtentiam opponentes, craſſiores, & impuri evaſerint, malòrum *cohortem* impoſterum ſuſcitaturi: Quando autem ſtomachus modicè plenus eſt, parciorem fermenti vim ſuppeditat; ad hæc onus partium, vaſorumque oſcillatio promptior liberior futura eſt; ſuperflua è corpore facilius eliminantur, neque ſuccorum additamento gravata natura inſenſibilem tranſpirationem ex partibus per ſolius corporis vim attenuatis conſtantem ullatenus interturbat. Prætereá verò ſervanda non genium, non conſuetudo, non gulæ blandimenta conſulenda ſunt; (*hic* §. 1.) ſed fidelior dux ille appetitus naturalis audiendus eſt, *per quem*, inquit, *Gortherus* (*c*) *tempus & ingerendi quantitas accuratiſſimè determinantur.* Qua de re conſulatur animadverſio noſtra (*de Eſculentis* XIII. *in Vvainrright.*

III. Cùm itaque conſervandæ ſanitati, neceſsaria adeo ſit ſobrietas, [§. II.] & huic adeò contraria reperiatur veſana ingluvies; [§ *num.* 1.]

 Nemi-

(a) *Lib. de affectibus, lib. cap.* (b) *Hecquet diſpence tom.* II. *partie* II. *chapitr.* III. *p. m.* 26. (c) *de inſenſib. tranſpirat cap.* II. §. XII. *p. m.* X.

Neminem Phiſiologiæ, pathologiæque præceptis vel leviſſimé imbutum forè exiſtimo, qui de *Jejunii* excellentia, imo pro tuenda valetudine, neceſſitate decertare velit. Quó enim conſtans maneat corpus oportet, ut quotidiè tanta, & talis materiæ ſumatur quantitas, quanta, & qualis deperditur. Quòd quidem privilegium nulli conceditur, cùm ineluctabili fato continuò, & plus de corpore abſumatur, quàm ad deperditorum inſtaurationem ingeritur: Vis enim vitæ cum ætate ſenſim labaſcens, ſenectæ frigus uſque ad intima corporis gliſcens, nullo auxilio, nulla humana prudentia reſtitui, evitarive poſſunt. At verò quantacumque facilitate, corpus nutriri videatur, ſuccorum tamen impenſæ nonniſi ægré recuperantur; cùm elateria ſolidorum recreationi, & ſuccorum nutritiorum depurationi præfecta jugi continuaque vitæ motitatione elangueant, deterantur, fatiſcant, materiamque nutrítionis vel parciorem, vel crudiorem ſolidis aptent. Abſtinentia ergo in Jejunantibus, quæ virium digerentium ventriculi diſpendio perparcit, & recrementorum perfectioni ultimam velut manum imponit; nihil eſt quòd magis vitam tueatur, atque ad longęvitatem condicibilibus eſſe videatur. Sanitas enim inde viget, & conſtantior fit; namque ut vitia primæ digeſtionis raró corriguntur in ſequentibus; ſic è contra a perfectione primæ coctionis cæteræ pendent univerſæ. Hiſce rationibus factum eſt, ut a Prudentioribus hominibus ſobrietas coleretur; A Medicis autem præciperetur ubique dieta; atque demum jejunium non ad naturę deſtructionem, ſed corporis macerationem, ſine ſanitatis detrimento ab Eccleſia Catholica ſapienter inſtitueretur „ Sic debes, inquit, *D. Bernardus* (*a*), nutrire corpus tu-
„ um, ut non ſuperbiat; [*loquitur de Jejunio ſervando*] & iterum ſic de-
„ bes reprimere, ut non cadat; Sic enim debes reficere carnem tu-
„ am, ut ſerviat; & ſic eam debes caſtigare per abſtinentiam, ut non
„ pereat: ſi carnem tuam (*pergit idem*) ſupra modum affligis, civem
„ tuum occidis; & iterum ſi eam pluſquam oportet reficis, inimi-
„ cum tuum nutris. „

IV. Hactenus de bonis effectibus, quos in corpore jejunium præſtat, ſatis ſuperque diximus. (hìc §. I. II. III.) Quæ autem, & quanta in anima emolumenta producit, non Medici, ſed Theologi ediſſerant. Addam tamen, cogitationum, animique paſſionum ſpecies diverſas fieri, ac promoveri medio nexu corporis cum anima per diverſas implicationes, divulſiones, corruptiones, tenſiones, criſpationes, aut oſcillationes, aut aliter factam in fibrillis ſenſorii communis mutationem: Quæ omnia ſpirituum, atque humorum *diatheſi*, necnon penès organorum diſpoſitionem, ut diverſimodè inter ſe diſcrepant, diſpari quoque ratione in corpus agunt, diſſimileſque edunt effectus. Porró hiſce omnibus prædictis moribus, & indolis mutationibus peragendis Symbolum ſuam conferunt alimenta. Innumera recenſeri hìc poſſent phenomena de ſtupendis effectibus, qui paſſim deteguntur

tur

(a) *Ad ſororem de modo benè vivend. cap.* XXIV.

tur in plurimis alimentorum ſubſtantiis, quibus corporis temperies, & animus diverſimodè afficiuntur, qua de re conſule peculiarem diſſertationem *Domini Gautier* (*a*). Vt autem immoderatum Quorumdam cibatum perſtringam, & diverſas illecebras hodierni palati; quis inde non videt turbari in Gulonibus ipſis ęquabilem illam, & uniformem circulationem, quæ in cerebro fit, quæque tanti eſt ad prudentiam momenti? Modò enim *vaporibus*, ut loqui amant, vel abnormi totius corporis per nervorum conſenſum facta criſpaturà, obumbratur mentis ſerenitas; modò humorum ad *encephalon* ubertate obruta ſenſuum, omnia receptacula ſilent; Hinc ſpiritus turmatim hàc illàc palantes ad officia ſua diſcurrunt, variæ in ſenſorio oboriuntur ideæ; Hinc iracundum hæc alimenta hominem reddunt, timidiorem alia; hiſce epulis in venerem, belluarum ritu, incandeſcit ſæpè; Aliis verò edulis, & mediocri copia comeſtis paſſionum ſedato impetu fruitur. Et verò ſobrietas ſenſibus incolumitatem confert, memoriæ vigorem, ingenio perſpicaciam tribuit; paſſiones ſedat, iracundiam pellit, libidinis impetum frangit, corpus, & animam maximis replet bonis, ut meritò mater ſanitatis non modò, verùm etiam hilaritatis, ſapientiæ, & omnium virtutum concipi, vocarique poſſit (*b*). Quamobrem jure Eccleſia *jejunium* decreto inſtituens, non Fidelium ſolum incolumitati, verùm etiam internæ animorum quieti conſulere voluiſſe videtur. „ Experimento enim dilectiſſimi (*verba ſunt Sancti Leonis Papæ*) „ (*c*) quotidiano probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, & „ ciborum nimietate cordis vigorem hebetari; Ita ut ipſa delectatio „ edendi etiam corporum ſit ſaluti contraria, ſi ratio temperantiæ „ non obſiſtat illæcebræ; & quod futurum eſt oneri, ſubtrhat vo„ luptati.

V. Eccleſia autem eſuriales ferias demandavit multos ob fines; Pręprimis autem ad compeſcendas concupiſcentias carnis, ſublevandam mentem, & peccatorum ſatisfactionem [*d*]. Quæ omnia macerationem corporis, & carnis caſtigationem indicant, non ita tamen ut corpus *jejunio* attritum deficiat, & natura conſervari impos pereat. (*ſuprà hic* §. III.) Hoc enim recta ratio non dictat (*e*), & Eccleſiæ pietati oppoſitum eſſe videtur, quæ ſummam inediam, & portentoſa illa Anachoretarum *jejunia* numquam laudavit, vel ſaltem expreſsè conſuluit: (*f*) Ii namque ſunt, qui *jejunium* charitati, vel vigilias ſenſus integritati præferunt (*g*). Neque conſueſcere ad omnimodam ciborum privationem ventriculum poſſe puto; Quin flammam naturalem, jugi eventilandam alimento ne diſpereat. Falſa ergo & fucata eſſe ſo-

(a) *Avenione anno* 1729. *An animi mores &c.* [b] *Critica della morte p. m.* 203. (c) *In* II. *lectione Dominicæ primæ Adventus ſermon.* IV. *de jejun.* (d) *D. Thomas* 2. 2. *quæſtion.* CXLVII. *articul.* I. (e) *D. Thomas ibid. ad* 2. (f) *Fleury hiſtoire &c. tome* VI. *de Stylitis* XXV. *pag.* (g) *D. Hieronymus apud D. Thomam ibid. articulo* I. *ad* 2.

lent ſtupenda, & ab aliquibus decantata *jejunia* (*a*); Niſi cauſa aliqua divinior ventriculum, ejuſque innatam ad eſcam propenſionem injecto quaſi vinculo ſubſiſtere coegerit. Verùm in præſenti naturæ ſtatu movet quilibet mox lapidem, ne diris inediæ cruciatibus emoriatur: Ipſas per Annonæ difficultates etiam ad infandos erumpit cibos veſana rabies. Hæc autem ut inſuperabilem victus quęrendi neceſſitatem demonſtrant planè; ſic & Eccleſiæ prudentem *jejunii* inſtitutionem oſtendunt, dum eo tantúm fine jejunamus, ut unica comeſtione jejunantes, in corpore affligamur; Ideſt non ut omni nutrimento careamus, (*hic* §. I.) ſed ne plus quàm ſolemus aſſumendo, corpus largiùs nutriamus. Inutilem ergo *nutritionem* Eccleſia in *jejunio* interdicit: Hinc cum pueri (*b*) frequenti, & multo alimento, ſic efflagitante natura augmenti opus habeant, quamdiù ſunt in eo ſtatu, (*c*) a *jejunio* benignè eximuntur.

VI. Eam ob rem indicto *jejunio* Sancta mater Eccleſia, pluribus, & copioſioribus refectionibus corpora Fidelium defraudendo, ſupervacuum *nutritionis* incrementum jam adeptis [*hic* §. II.] pondus ſubtrahere meritò voluit: Cùmque per alimenti defectum jejunantium corpora macerentur, juſſit præterea geſtientis carnis blandimenta fręnari, quæ [*hic* §. IV.] ab elaborato alimento reſiduo prolifico ſemini materiam optimam ſufficiunt. Qui ergo jejunium ita agit, ut cibum, vel quodcumque aliud alibile, extra tempus ab Eccleſia ſtatutum, ideſt multoties de die ſumat; profectò is, ceteris paribus, nutritionis reliquias in corpore ſuo congerit, & machinam non ſuſtentat modò, ſed & eamdem pinguem opimamque facit: Vtroque de nomine *jejunium* ſolvit.

VII. Poſt hujuſmodi de *jejunio* enodata argumenta, & doctoris *Angelici* lumine illuſtrata hac de re noſtra aſſerta, quid tibi, quæſo, videtur? Jejunare nè dicitur, vel Eccleſiæ fines tacitè ſpernere ille, qui ſummo mane, vix expergiſcens, *jejuno* ſtomacho, ſuppoſitæ debilitatis obtentu ſapidam, nutritiam, aromatico ſpiritu turgentem potionem gratiſſimi odoris, ut Magnatum mos eſt, *Cocholatam*, actu calentem, ore hiante voluptuoſè ſugit, & inaudito gulæ genere viſceribus infundit? Famem né concoquit, aut corpus ſuum *jejunio* ſpontè ſuſcepto aſpere acerbèque tractat, ſeque de facili, incitatos nimis libidinis fluctus compoſiturum, ſpondebit umquam; cui exquiſitiſſimum hoc nectar vix a lecto ſurgenti, cui epulum hocce fumans, & ſpiritibus dives, & quaſi *venerea* diceres ſpumâ ſuperbiens offertur illicò, quod non ſolùm (*d*) abundè nutriat, ſed etiam impinguet; quodque ita delicatè confectum, non *calice* ut cum *D. Hieronymo* loquar, [*e*] *ſorbeatur*, ſed *concha*. Hæc levia ſanè forent, ſi ſub tecto, ſi nemine vidente agerentur; ſed ruit in pejus ſemper humana conditio, & in-
veti-

(a) *Vide Sualve quęrel. ventricul. pag.* 80, 84. [b] *Cajetanus in D. Thomam ad articulum* VI. *ad* 3. (c) *D. Thomas ibid.* IV *ad* 2. (d) *Sponius tract.* III. *cap.* II. *p. m.* 174. (e) *Epiſt. ad Nepotianum l. c.*

vetita quæque audaciùs irrumpit. Audi quod fatalibus hiſtoriis in hanc rem proditum eſt. In Eccleſiis apud Indos inverecundè potari *Cocholatam*. Adeo eorum animos effaſcinavit hic potus. Quid plura? Quos Eccleſia Fidelium inſtructioni, & exemplo præpoſuit; quos velut candelabra, ut omnibus lucerent, præfixit; Hos, inquam, inter Miſſarum ſolemnia avidiſſimo hauſtu, & incredibili audacia *Cocholatam* bibere (*a*). Hoſcine mores! Hancine vivendi rationem! Superi proh dolor! Quis impoſterum emulſum illud non execratur, qui & multam offenſionem habet apud Chriſtianos; Qui corpus ſaginando, & libidinis aculeos inſtigando bonis moribus nocet; Qui demúm, derelicto *jejunii* ab Eccleſia imperati fine, charitatem imminuit, & pietatem extinguit.

VIII. Non defuerunt tamen, inter alia, qui voluptuoſi illius nectaris cauſam in ſe ſuſciperent, atque hujus modi effugium quęſierint: *Cocholata*, inquiunt, *aſſumitur per modum potus* (*b*); verùm potus *jejunium* non frangit, pergunt [*c*]. Cui principi argumento tempus jam eſt multis ut rationibus eamus obviam. Et primò quidem dictum illud: *Liquidum non frangit jejunium*, authoritate *Sancti Thomæ* deſtruitur; ratione item, & antiquitate ſic ſpoliatum eſt, ut multi illud exibilent. Quæ quidem adverſariorum aſſertio paucos habet *morales*, & hodiernos Theologos fautores, huic fortè aſſertioni falsó innixos, ſcilicet: *Potum non nutrire*. Demus autem illud, at ſaltem ſitim ſemper ſedat: Porró non fami ſolum, ſed & ſiti oppoſita eſſe videtur *abſtinentiæ* virtus. Per *jejunium* enim ab hiſce omnibus abſtinet homo, a quibus per conſtantem Eccleſiæ traditionem ad uſque noſtra tempora manu vel deductam, in primis Eccleſiæ naſcentis temporibus, *jejunii* Inſtitutores abſtinendum putabant. Quin quemadmodum unica comeſtio magis videtur in præcepto *jejunii* præſuppoſita, (*d*) ſic potus interdictio jejunantibus communiter intellecta quàm expreſſa videtur. „ Qualis „ eſus, talis & potus veriſimile nō eſt, inquit *Tertullianus*,(*e*) ut quis dimidiam gulā Deo immolet;„ ut inde diſtinctio ponēda ſit inter *liquidum* vi nutriendi pręditum, & *liquidum* omni altili ſubſtantia orbatum, eaque diſtinctio quamvis in rerum natura admitti poſſe videatur, nihilominus tamen omni Eccleſiæ authoritate privatur, & Eccleſiæ conſuetudini contraria prorſus eſt (*f*). Patet, preterea jejunantibus non eſcam tantùm potumve interdici; verùm etiam omnes eas res, quæ in comedendo maximam delectationem habent, ut de carnibus loquitur idem *S. Thomas* (*g*). Itaque voluptas bibendi aliena ab Eccleſia inſtituto eſſe videtur [*ſuprà* §. v.] Neque intereſt, num potio corpus reficiat, nec ne; modó ſenſibus ſatisfaciat, & voluptatem expleat, cane pejus, & angue

(a) *Dù Four Dialogue dù Chocolate p. m.* 435. *&c* 437. (b) *Franciſcus Maria Brancatius de uſu Cocholatis &c. journal tom.* III. *anno* 1666. (c) *Diana parte* 8. *tractatu* VII. *reſponſ.* 54. (d) *Cardinalis Cajetanus ibid. in articul.* 6. *ad primum dubium*. (e) *Lib. contra Phiſicos*. (f) *Hecquet diſpence &c. tom.* II. *chapitr.* XIV. *p. m.* 403. (g) *Ibid. articul.* VIII. *in corpore*.

angue *jejunium* colentibus fugienda ſemper erit. Strictè enim, & intra debitos cancellos *jejunii* lex coercita duo innuere videtur; Alibilis rejectionem in tempore, & a potulentis abſtinentiam. Aquam ut concederet enixè petentibus in *jejunii* obſervantia Fidelibus reſpondit olim *S. Ambroſius* (a), *Sitim ferre oportere*. Non ergo permittenda potio eſt, quód minimè alat; Nam ſitim extinguendo, & guſtus oblectamentum augendo, duplici inediæ hujus ſcopo adverſatur. Præter hæc, etſi concedamus, *liquida* nec hilum nutrire, *jejunium* tamen ſemper hoc ipſo diſſolvent, quòd ſenſibus adblandiatur, eorumque delitias foveant. Quemadmodum ſolveret certé *jejunium*, quicumque ſatiando ventriculo, & explendæ fami aliquid ſibi concederet, quamvis omni nutrimenti dote privatum. Num enim *ſaginationi* tantúm contrarium *jejunium* eſſe debeat? An etiam fami? Unde *Servator noſter* (b) Jejunantes faciem ſuam lavare, corpuſque inungere oleo voluit, ut oſtenderet, *jejunium* non tam machinæ deſtructioni, quám corporis *macerationi* deſtinatum eſſe.

IX. Si verò relictis quæ modó diximus, [VIII.] & a ſolis Theologis decernendis, Phyſicos conſulamus, reperiemus, potulenta quæquæ aliquali nutriendi efficacia donari. Commentum ergo eſt illa propoſitio: *potionem non nutrire*; artificium cupiditatis eſt, intemperantiæ Gulæque effugium eſt. *Facilius eſt impleri potu*, quám *cibo*, dixerat *Hypocrates* (c): Humidi enim, & liquidi cibi citò concoquuntur, facillimè digeruntur, & celerem promovent nutritionem. Qui redintegrandis viribus diuturnitate morbi fractis incumbunt, ſolidioribus alimentis minùs quám fluxilioribus egent. Qui cita indigent adjectione, inquit idem *Hypocrates*, (d) *Iis humidum ad reparandas vires optimum eſt*. Liquet inde, cur *lac* ſummè cibantem ſecum materiem gerat, & quidem præterquam quod fluxilia alimenta perfectiùs diſtribuantur, ubique locorum corporis ſeſe inſinuent, & aptent, & omnes poros canalium repleant; Accedit, eadem texturæ eſſe debilis, & minorem partium craſſitiem, & denſitatem habere, quæ ſola in cibo valentiſſimo comminuenti ventriculo reſiſtit. Cúm itaque fluida cibaria nullo negotio ſolvantur, vim ſtomachici fermenti non adeò opprimunt, & gravant, quæ expellendis ſuccis viſceris cavo, ex alimentis productis, iiſque ad corporis extrema trudendis, atque in remotiſſimorum tubulorum aperta interſtitia incuneandis inſervire tantùm debet. Demùm aqua, communis omnium animalium potus, diverſiſſimis imprægnata molleculis, nutritioni aptiſſima cenſetur, qua adoleſcunt plantæ, creſcunt animalia, omnia vegetant, & reficiuntur, de qua re conſule *du Hamel* [e], & animadverſionem noſtram in tractatu de *Potulentis* (f).

X. Ad hæc largiamur ultrò Adverſariis, in potulentis nihil eſſe, quod

(a) *Sermon.* 39. (b) *Matthæi C.* VI. *verſ.* 17. (c) *Section.* 11. *Aphor.* 11. (d) *De aliment. ſub fin. lib. cap.* (e) *De corpor. affection. lib.* 11. *cap.* (f) *In Auctorem Anglum animadverſio* 1. *& paſſim.*

quod corpus nutricet, *jejuniumque* Eccleſiaſticum labefactet. Certè ea locum habent, & mero potui aqueo convenire omnino videntur, quæ ad ſublevandam tantùm ſitim aſſumuntur. Quid autem dicam de *Cocholata*? Audes ne eam inter potus aqueos recenſere, eó quod ſummis velut labiis potari ſoleat? Vel eò quòd adinſtar *calidæ* ratione potus hauriatur? Numquid habens ſolidam nutriendi ſubſtantiam, ſi aqua liquefiat, rationem potus habet? Nequaquam reſpondet *Zacchias* (*a*): Sed in tantum dici poterit non abludere rationē *potus* a natura, in quantum non maſticando, ſed ſorbendo deglutitur, ut ovum jure diſtemperatum, ſuccus carnium contuſarum, & alia, quæ licét potus larvam obtendant, paſcunt tamen, & augent, obtinentque *rationem cibi* (*b*). Quæ omnia, ut ille, & cum eo omnes opinantur, integritati *jejunii* obſtant. An ergo tollendæ ſiti ebibitur *Cocholata*? Potiùs dixeris, eam adhiberi ad corpus ſuſtentandum, & libidinem fovendam, „ Sitim „ iſtam eſſe putas? inquit, *Seneca* (*c*) *febris eſt* (voluptuoſa intellige) & „ quidem eò acrior, quód non tactu venarum, nec in cutim effuſo „ calore deprehenditur; ſed cor ipſum excoquit luxuria, invictum „ malum, & ex molli fluidoque durum, atque patiens. „

XI. Cùm ergo, ut exploratum in dies habemus, tali *cocholatæ* potu corpus inſigniter nutriatur, [*ſupra cap.* II. §. V.] vel pinguefcat, adeò ut ea utentes, ex obſervatione *Thomæ Gagæ*, fiant *quadrati*: Cúmque ea vires recreentur, ſpiritus exhilarentnr, corpori concilietur robur, & ſtomachus adeó vigeat, ut non ſemel uno *cocholatæ* poculo iter agentes perſeverent ad veſperam uſque validiſſimis viribus: (*d*) Cúm demum iſtiuſmodi potus ſorbitio corporis vigorem acuendo, carnis ſtimulo ſerviat, & caloris impetum excitet: (*Cap.* II. *ſuprà* §. III. *&* VIII.) Videtur ſanè nec more *potus* uſurpari, neque cum *jejunii* lege, unica ſcilicet comeſtione, & corporis moleſta inedia [*hic ſuprà* §. V. VI. VII.] conſiſtere poſſe. Vbi nam *Ambroſiæ* huic dediti de corpore afflicto conqueruntur? Qui nec veneris aculeos obtundi *Cocholatâ* vident, neque (*e*) libidinis effervefcentis ictus remitti inde experiuntur.

XII. Fruſtra *Americanorum* conſuetudinem advocas *Cocholatam* ſimplicis ad inſtar potionis aſſumentium, vel enim falſum eſt apud illos Populos, *Cocholatam* ut potum aſſumi; quia numquam illam adhibent ad ſitis ſolatium, [*f*] cui tantum fini potus conceditur: (*hic* §. X.) vel & ſi *Americę* Incolis potio ſit, Italis non item, quorum ſinguli tali luxuria non bibunt: [*g*] vel Regionum attendenda ratio eſt. [*Cap.* II. §. IX.] meliùs tamen dixeris, *Americanos* eſſe ſtomacho debiliores; [*hic* §. X.] adeòque illis *Cocholatam* tamquam medicamentum nutriens, vel potiùs electuarium, abſque violatione *jejunii*, ex ſententia *Divi Thomæ* [*h*] concedi poſſe.

XIII.

(a) *Quæſtion. medic. legal. lib.* IX. *queſtion.* I. *titulo* VIII. (b) *Sanchez lib.* IV. *cap.* I. *dubio* 23. *num.* I. (c) *Natural. queſtion. lib.* IV. [d] *Berti de diſciplin. Theolog. tom.* IV. *propoſition.* III. *cap. ultimo p.m.* 587. (e) *Bravo conſult* XIV. *p.m.* 732. *ſequent.* (f) *Zacchias ibid.* [g] *Berti ibid.* (h) *Ibid. articul.* VI. *ad* 3.

XIII. Saltem cum *Branchacio* regerere poteris, *Cocholatam* ſorberi poſſe, intacta *jejunii* unitate, ab iis, qui robore caloris naturalis, generatione purioris ſanguinis, flatuum diſſipatione &c. indigent. Infirmis ergo, & Senibus tutó præbetur. Illud autem non nego: (*Cap.* II. §. I. *&* VI.) Verùm ægrotantes, & ſenes ad *jejunium* non tenentur. Neque *électuarii* tantùm *Cocholata* vires ſibi arrogat, quæ vim eſculenti habet corpus mirè ſuſtentantis; [*Cap. præſent.* §. XI.] cùm è converſo medicamenta numquam in noſtram naturam convertantur, ſed in corpus agentia, & a natura victa foras per diverſa corporis loca expellantur. Quomodo deinde, ait *Berti* (*a*), ſtomacho valentes, & naturali calore divites ſervabunt *jejunium*, ideò ab Eccleſia indictum, ut Fideles ſe ab alimentis arcentes carnem ſubigant, & corpora ſic mulctata, rationis ſub ditione coerceant?

XIV. Illudunt porró nobis, dum parvam *Cocholatæ* quantitatem *jejunio* non adverſari contendunt (*b*); Si uni *Cocholatis* unciæ tantum ineſt pabuli, ut dictum eſt ſuprà. (*hic* §. XI.) Præterea non minus conſideranda eſt hujuſce decocti copia, quàm nutrimenti, quod ſubminiſtrat indoles, atque natura. Ovum ſorbile pauco carnium jure dilutum parvam quantitatem ſiſtit equidem, ſed ſummé altilem, quæ proindè *jejunium* omnium conſenſu frangit. Et cùm animalium carnes, & ex iis expreſſa juſcula ideo Jejunantibus vetantur, quòd magis conformentur humano corpori, plus delectent, & copioſiorem nutricatum ſuppeditent; ſicque ex eorum aſſumptione plus in corpore ſuperſit, ut convertatur in materiam ſeminis, cujus multiplicatio maximum eſt ad luxuriam *incitamentum* (*c*): Nonnè liquido patet, *Cocholatam* interdicendam ſeriò eſſe Jejunantibus? Cùm operationes effecta non abſimilia, ſimilia imó ad venerem fovendam, pungendamque aptiores in corpore noſtro [*ſuprà Cap.* I. §. XI. XII. *Cap.* II. §. III. VIII. *&* *Cap.* III. §. XI.] producat. Demùm perperam creditur, largiorem cibum magis alere: (*Cap.* III. §. I.) *Qui comedit magis quàm oportet, alitur minùs quàm oportet*; verba ſunt, *Sanctorii* (*d*). Superabundans namque alimenti portio ſua ſponte corrumpitur, & corporis vires lautioris pabuli onere præſſas magis premit (*e*). Verùm qui *Cocholatam* avidé bibit, plus in die alitur, quàm requiritur ad ſuſtentandum corpus; minori adeó ſub mole ingentem vim nutrientem, vel opimantem acquirit; nec quantum ad ſalutarem mediocritatem ipſi ingerendum in prandio ſit, ſcire poſſit; ſimplici potiùs, & luxurioſæ libidinis inſtinctu, quám naturæ fideliſſimo *famis* duce permotus.

XV. Fateor, gulæ deditos, & ad *Cocholatam* propenſos minùs ſanctam cibandi moderationem advertere; illoſque nullam ab hujus ſucci exceſſu (*hic* §. XIV.) noxam aliquandò percipere: Verùm hi, ſi potui

---

(a) *Ibid. p. m.* 589. (b) *Brancacius apud Berti ibid. ad argumentum* 4. [c] *Divus Thomas ibid. articulo* VIII. *in corpore*, *&* *nos ſuprà cap.* II. §. III. (d) *De medic. ſtatic. aphor.* 255. *edition. Gorter.* (e) *Gorter. in aphor. de inſenſib. &c. p. m.* 216.

tui huic nimis ſe aſſuefecerint, pœnas luent ſeró, dum corpus acutioribus cinnamomi, & vanillæ ſpiculis; (*ſupra cap.* I. §. VIII. & IX.) & calidiſſimis oleoſiſque *Cacao* partibus; prętereà ſale ſaccari, ejuſque ſummè exaltatis atomis, [*ibid.* §. V. VI. VII.] implent, & accendunt, atque continuò calidum *Cocholatæ* decoctum ſorbendo, [*Cap.* II. §. IV. & VII.] ea ratione vires diſſipant, & ſpiritus ſpargunt. Quin non abſimilem illis labem tacité contrahunt, qui ſpirituoſo alicui liquori dediti, eodem largè ſeſe invitant: Adaucto enim liquidi vitalis motu, & increſcente diutina tubulorum ſtimulatorum contractione, quod ſubtilius fluidiuſve in liquoribus adeſt, avolat; Quod in ſolidis laxè cohęret, tenuiuſve eſt, facilè deteritur; tardius Indè reſidua humorum maſſa craſſior per vaſa fluet; Indè moleſtæ fluidorum decurrentium ſtates; Indè variæ in partibus obſtructiones; Indè ſolidorum laxitas, atque inertia, & ex iis infinita mala ſpirituoſis partibus continuò corpori, & imprudenter ingeſtis debita. Quæ quidem pravi effectus eò magis metuenda videntur, ubi larvata dulcedine *mulſum* igne dives quotidie exhaurimus, quàm ubi conſpicuo & aperto ſtimulo manifeſtas inſidias, machinæ inſtruere videatur. Sed de his ſatis.

XVI. Vt ad medicamenta, ſic ad alimenta accedere oportet, inquit *Sanctus Auguſtinus*. [*a*] *At edendi & biben di voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi, & ſitiendi moleſtia*: [*b*] videlicet in alendo animali corpore placuit Summo & Adorando Conditori noſtro, in guſtu delectationem ad capienda alimenta nobis concedere non ut ſimplex & animale oblectamentum ex cibo potuve aſſumptis haberemus, & gulæ indulgeremus; ſed ut ſuſtentaremus vitam & ſanitatem, capientes alimenta, cum grata ſenſatione ſequente. Multi tamen, ne dicam omnes, quibus conſueta jam a longo tempore *Cocholata* arridet magis guſtui, quàm ſanitati incumbunt; intenduntque; cùm nimis eam ſorbendo, inutiles, & nutritione reſiduos homores temere in venis congerant; vel voluptuoſé nimis & mille luxuriæ inventis eam delibando, non aliud, quám ſaporum delitiis unicè ſacinati videantur. Utroque igitur modo ab ſevera, & recta *jejunii* meta aberrant, ſi ob concupiſcentiam ſolam *Cocholatam* iſtam bibunt; atque ob gratum ſolam dulcedinem exceſſum in ea capienda committunt. (*hic* §. I. II. III.)

Hæc hactenus de *Cocholata*, *ejuſque uſu & abuſu*, ut candidé ſenſimus, enunciavimus. Maximé vellem, homines iſti gulæ epularumque inventionum aliquando finem feciſſent, ſeveriorem longè Jejunantiũ legem introſpexiſſent, & crebris in eſurialibus feriis *Cocholatæ* potiunculis modum adhibuiſſent. Neque enim erit qui jure mihi ſuccenſeat, ſi vel ipſa Animadverſionis hujuſce lectione remiſſam, labantemque iſtius, quo vivimus, ævi diſciplinam, *nectarii potus* illecebras ex una, & ex altera parte Nonnullorum, ut ajunt, *Moraliſtarum* nimiam facilitatem, & philautiæ faventes opiniones ingemuerit. Inde enim profectum eſſe puto ſumendæ

(a) *Lib.* I. *Confeſſion. cap.* 31. (b) *Idem lib.* VIII. *Confeſſion. cap.* III.

dæ *Cocholatę* abuſum in diebus Jejunii; Inde nimiam Auctorum indulgentiam; Inde triumphantem ubique potum. At quid hos commemorem, qui ſalutis cauſâ *Cocholatam* ſorbillant? Quid Medicorum quorumdam officia, & obſequia erga ægrotantes ſuos, vel quoſcumque valetudinarios, vel quod pejus eſt, cunctos erga obvios amicos, quibus in *jejunio* ab Eccleſia ſeveré indicto, bona fide, & indiſcriminatim eam præſcribunt; atque ſpretis, ne dicam conculcatis, Eccleſiæ legibus, ſancta abſtinentia impunè diſpenſant? *Sciant, quod cùm ſalus ſit cauſa edendi, & bibendi, adjungat ſe tamquam pediſſequa periculoſa jucunditas & plerumque prętre conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa facere vel dicunt, vel volunt* (*a*). Abuſum ergo potandæ *Cocholatæ* in *jejunii* diebus ſeriò coerceant, quibus cura eſt; nam ſemel inductæ corruptelæ modum ſervare non poſſunt. Atque caveant, & iterum caveant, quibus iſtiuſmodi potus illecebra in conſuetudinem abiit, ne dum novo huic epularum liquidarum generi nimium auſcultent, atque palato, & ſenſus delectationi ſtudioſé, & ſilente conſcientia indulgeant, corpora, ęternam ad victimam ſaginando conſervent, *& animæ ſuæ detrimentum patiantur* (*b*).

(a) *D. Auguſtinus ibid. lib.* x. *cap.* 31. (b) *Confer Epiſtol. enclycicam ſuper jejun. a Benedicto Papa* XIV. *dat.* 10. *Julii* 1747.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

P. III. in Præfat. lin. 15. *aderant* legatur *aberant*. Pag. 46. l. 7. poſſem l. *poſſet* P. 65. l. 24. adfricaturas l. *adfricaturos*. P. 102. l. 29. aptæ l. *aptè*. P. 104. l. 20. ruptionibus l. *eruptionibus* P. 112. l. 8. ſe l. *ſed*. P. 139. l. 18. halitus l. *halitibus*. P. 167. l. 5. axius l. *laxiùs*. P 203. l. 6. faces l. *fæces*. P. 204. l. 32. Poros l. *Polos*. P. 232. l. 17. venenoſos l. *venoſos*. P. 239. l. 25. vexaverint l. *vexaverit*. P. 253. l. 9. perveniſſe l. *perrexiſſe*. P. 272. l. 10. laudat l. *laudatur*. P. 345. l. 5. diſtinguendi l. *diſtringendi*. P. 347. l. 16. adjiceret l. *abjiceret*. P. 349. l. 11. potuerit l. *potuerint*. P. 352. l. 15. Renis l. *Penis*

Diſſert. de Cocholata. In Præfat. Pag. iii. lin. 29. venationes l. *cænationes*. P. xiii. l. ult. comi- l. *ami-* & in ſeq. pag. xiiii. l. 1. leg. *amicam*. P. xv. l. 7. effectæ l. *effœtæ*. P. XIX. l. 33. onus l. *tonus*.

Quòd ſi alios parvi momenti, candide Lector, errores legendo inveneris, ut benigné corrigantur, occurrat Prudentia tua.